JOANNIS VOET

JCTI ET ANTECESSORIS IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

COMMENTARIORUM

AD PANDECTAS

LIBRI QUINQUAGINTA

IN QUIBUS PRÆTER ROMANI JURIS PRINCIPIA AC CONTROVERSIAS ILLUSTRIORES
JUS ETIAM HODIERNUM, ET PRÆCIPUÆ FORI QUÆSTIONES EXCUTIUNTUR

EDITIO QUINTA VENETA

PRIORIBUS EMENDATIOR ET AUCTIOR

Cui nempe præter V. Cl. Caspari Burmanni Vitæ Auctoris Narrationem, & Indicem Generalem Titulorum, & Materiarum, in sex Tomis contentarum

NUNC PRIMUM ACCEDUNT ALII DUO TRACTATUS

DE FAMILIA ERCISCUNDA ET DE JURE MILITARI

QUI SIMUL CUM PRÆDICTO INDICE CONSTITUUNT TOMUM SEPTIMUM

TOMUS SEPTIMUS

CONTINENS LIBROS XLII. ET SEQQ. USQUE AD L. INCLUSIVE

BASSANI

SUIS TYPIS REMONDINI EDIDIT

MDCCCXXVIII.

LECTORI BENEVOLO

S.

Hunc de jure militari libellum in publicum emitto, lector æquissime, non operosa quidem facundia tumentem; in quo tamen, ceu brevi tabella, descriptam quodammodo conspicies armatam militiam, exercitus imperatoris officia, ac præsertim examinata juxta leges jura militum & disciplinam castrorum; de cujus laudibus hic diffusa te nolim oratione morari, cum ipsa se satis commendet omnibus. Experientia quippe teste, utilis adeo est & necessaria constitutis legitime Rebuspublicis, ut ea velut indissolubili sacroque nodo cohæreat illarum compages; ejusque soluto vigore furentibus simillimi milites extemplo ruituri sint in omne nefas, & luctuosos passim productura sit effectus sagatorum malitia. Cum autem non æqualiter omnibus hæc mea qualiacunque placitura persuasum mihi habeam (neque enim universis per omnia satisfacere datum est, suaque libelli fata habent, & plerumque tot arbitros experiri coguntur, quot desiderant lectores, aliis scribendi methodum, res ipsas aliis improbantibus) ingenue profiteor, usque adeo non ingratam mihi fore reprehensionem amicam, ut validioribus motus argumentis in justi monitoris castra sine mora transiturum me spondeam. At quisquis Momi personam agere voluerit, asperis, iniquis, & insulsis obtrectationibus ea carpens, quæ contentionis studio capere se posse negat; noverit, me stultis seria non esse repositurum. Lubens interim æquo tuo judicio cuncta committam, candide lector, qui si primis hisce faveris conatibus, in posterum ad majora tentanda stimulos addes. Vale.

IN-

INDEX CAPITUM

TRACTATUS

DE JURE MILITARI

CAPUT PRIMUM

De bello in genere & nonnullis ejus speciebus ac divisionibus.

1 *Bellum dictum est a duello.*
2 *Belli definitio a Bocero tradita notatur.*
3 *Exhibetur justa belli definitio.*
4 *Cur bellum vocetur dissidium armatum?*
5 *Ad bellum requiritur utrinque liber populus, nec bella civilia proprie bella sunt.*
6 *Bellum rite per fecialem denunciandum est, quod quo pacto olim, quibusque ritibus factum fuerit docetur.*
7 *Bellum omni jure licitum est.*
8 *Illi soli, penes quos suprema residet majestas, indicendi belli jus habent.*
9 *Privatus privato sub eodem Principe degenti bellum inferre nequit.*
10 *Non etiam privatus extraneo seu Principi seu privato bellum jure movet.*
11 *Princeps tamen subjectis indulgere potest licentiam per vim repetendi injuste ablata, unde repressalia.*
12 *Privatus sine Principis consensu bellum extraneo inferens læsæ majestatis reus est.*
13 *Illatum tamen ex improviso bellum impune sine prævio Principis mandato repellit.*
14 *Bellum justum vel injustum est, justum est ex jure gentium.*
15 *Injustum bellum non est ex jure gentium.*
16 *Non datur bellum utrinque justum.*
17 *Iniqua in bello justo singulorum facta non tollunt primam belli justitiam.*
18 *Justæ belli causæ ad tria capita rediguntur.*
19 *Legitima bellandi causa non est sola gloriæ cupido.*
20 *Nec amplificandi imperii desiderium.*
21 *Nec religionis propagandæ & hæreseos extirpandæ voluntas.*
22 *Si subjectis a Principe religionis ergo vis inferatur, non ideo licet ipsis in eum insurgere.*
23 *Nisi libera civitas ea conditione Principi extraneo se suaque commiserit, ut liberum retineat religionis arbitrium.*
24 *Quomodo ac quando liceat subjectis in Principem tyrannum arma capere.*
25 *Propter legatorum violationem jure bellum infertur.*
26 *Nefas est propter justas belli rationes, super quibus pace vel fœdere transactum est, bellum movere nisi dolus paci causam dederit.*
27 *In bello quod prorsus injustum est, subjecti non debent opem ferre suo Principi bellum inferenti.*
28 *Stratagemata in bello licita sunt.*
29 *Majori laude digni duces qui stratagematibus quam qui aperto marte superant adversarios.*
30 *Illicitus est in bello dolus cum fidei violatione conjunctus.*
31 *An proditorum opera uti liceat.*
32 *Dolus cum mendacio conjunctus est illicitus.*
33 *Bellum vel terrestre est, vel maritimum.*

CAPUT II.

De militia, qui, quales & quomodo in militiam sint adscribendi.

1 *Variæ enumerantur militiæ significationes.*
2 *Militis definitio & etymologia proponitur.*
3 *Non sufficit ad id ut quis miles dicatur, quod solummodo matriculæ militum inscriptus sit.*
4 *Quid sit in numerum relatio?*
5 *Quæ ejus requisita?*
6 *Olim inviti in militiam adscripti milites.*
7 *Quomodo milites tam pedites quam equites apud Romanos lecti fuerint?*
8 *Milites lecti probabantur ac stigmate notabantur.*
9 *De sacramento militari ejusque necessitate & utilitate.*
10 *Quid sit cingulum militare?*
11 *Post relationem in numeros demum cincti milites, non ante.*
12 *Quo pacto hodie penes nos conscribantur milites.*
13 *De stipendio militum, ejus definitione, origine, & augmento.*
14 *De vestibus & annona militum.*
15 *Ante alios eligendi militum filii.*
16 *Pauperibus anteponendi ditiores.*
17 *A militia arcentur fœminæ.*

18

18 *Ut & clerici seu ecclesiasticæ personæ.*
19 *Natura insuper aut captivitate servi & his similes.*
20 *Non eligendi impuberes, ubi de justa ad militiam ætate.*
21 *Nec infamia notati, ob atrox scelus damnati, criminis capitalis rei.*
22 *Nec hæretici.*
23 *Nec surdi, muti, cæci.*
24 *Nec castrati.*
25 *Nec in armis tractandis imperiti.*
26 *Nec coloni, saltuenses negotiatores.*
27 *Nec timidi aliique his affines.*
28 *Nec luxuriæ ac voluptatibus dediti.*
29 *Rustici urbanis præferendi.*
30 *Juvenes etiam anteponendi senibus, si de gregariis quæstio sit, non item si de ducibus.*
31 *Utrum expediat ex una gente, an vero variis e populis conflatas ducere copias.*

CAPUT III.

De variis militum gradibus & speciebus, præsertim de exercitus Imperatore ejusque requisitis.

1 *Milites vel voluntarii sunt vel inviti.*
2 *Equites vel pedites, & equites peditibus honoratiores.*
3 *Limitanei vel comitatenses.*
4 *De cohortibus prætoriis & eorum stipendiis.*
5 *A diversis armorum generibus diversa milites nomina sortiti sunt.*
6 *Qui fuerint equites cataphracti?*
7 *Qui velites ac pilani?*
8 *Qui hastati, principes ac triarii?*
9 *Enumerantur machinæ bellicæ majores.*
10 *Quid sit exercitus?*
11 *Quæ legio, & quæ ejus partes?*
12 *Quid per legionem; quid per vexillationem designetur, si hæc in se opponantur?*
13 *Cujacii sententia refellitur.*
14 *Ut & Turnebi opinio.*
15 *Proponitur auctoris opinio.*
16 *De legionis & partium ejus præfectis.*
17 *De hodiernis exercitibus.*
18 *De nitri pulveris præstantia, cujus primus auctor defenditur adversus atroces nonnullorum calumnias.*
19 *In exercitu penes unum, non penes plures summum residere debet imperium.*
20 *Optimus quisque in belli ducem eligendus.*
21 *Ab exercitus imperatore maxima dependet ejus salus & felicitas.*
22 *Requiritur in supremo duce maxima rei militaris peritia.*
23 *Illa lectione & experientia acquiritur.*
24 *Præter rei militaris peritiam etiam aliarum artium ac disciplinarum scientia in duce necessaria, rejecta Naudei sententia.*
25 *Ante omnia in Imperatore pietas in Deum requirita.*
26 *Etiam in se necessaria est fortitudo, & ut exemplo suo milites ad ea, quæ imperat, peragenda stimulet.*
27 *Spem vultu simulare debet imperator, & premere corde dolorem, si quæ adversa videantur imminere.*
28 *Summa requiritur in eo prudentia ad procurandum ad exercitus salutem necessaria, præsertim ut crebro milites exerceat.*
29 *Expeditum ducere debet exercitum sarcinis non onustum.*
30 *Non temere fides adhibenda transfugarum dictis ac consiliis.*
31 *Non intercludenda hostibus fugæ via; sed propriis potius militibus imponenda confligendi necessitas.*
32 *Nec in superatos hostes gravi sæviendum supplicio.*
33 *Requiritur etiam in imperante auctoritas.*
34 *Eamque maxime conservabit illæsam, si curet ne differatur stipendii solutio.*
35 *Omnis Imperatori evitanda occasio, qua collusionum cum adversariis incusari, vel sinistra de ipso concipi posset opinio.*
36 *Auctoritatem Imperatori conciliat, & perquam necessaria est comitas & affabilitas.*
37 *Ut & eloquentia militaris.*
38 *Anniti debet Imperator, ut vitia quæcumque, quantum per humanam infirmitatem licet, evitet.*
39 *Multum prodest in acie imperator in præliis felix.*
40 *Non tamen ex præliorum eventu semper de imperantis prudentia vel peritia judicandum est.*

CAPUT IV.

De delictis ac criminibus militum eorumque pœnis.

1 *Pœnarum gravitate milites in officio continendi sunt.*
2 *Delicta militum aut communia sunt, aut propria, aut mixta.*
3 *Varia sunt pœnarum militarium genera.*
4 *Miles delinquens ibi puniendus est ubi crimen commissum.*
5 *Milites plerumque durius puniuntur quam pagani, & nonnunquam sortis iniquitate pereunt innocentes.*
6 *Tyrones ut plurimum levioribus plectuntur suppliciis.*
7 *Ut & milites, si vino inebriati crimen commiserint, cujus contrarium moribus nostris obtinet.*
8 *Durum nimis est, illos qui citra supremi ducis mandatum feliciter cum hoste conflixerunt, ultimo plecti supplicio, & immane, si ea de causa pater filium morti addicat.*
9 *Quis sit proditor, & quam misera ejus conditio?*
10 *Quibus modis quis proditionis reus fiat?*
11 *Quæ proditorum pœnæ?*
12 *Etiam conscii, si proditionem non detexerint, ordinaria proditorum pœna plectendi.*

13 *Mulieres, si proditionem commiserint, non mitius quam viri puniendæ sunt.*
14 *Qui arcem vel alium munitum locum hostibus tradit, mortis reus est, nisi resistere amplius non potuerit.*
15 *Læsæ majestatis rei non sunt, qui non dolo, sed imperitia vel metu munitiones tradiderint, & mitius puniendi sunt.*
16 *Milites ea quæ ad castri defensionem spectant ad ducis imperium agere detrectantes, morte plectendi.*
17 *Navium bellicarum præfecti, si navem temere tradiderint adversariis, iisdem quibus castra dedentes afficiendi: nullo tamen jure compelli possunt, ut incenso pulvere pyrio se perimant.*
18 *Transfugæ sunt Reipublicæ hostes.*
19 *Eorum pœnæ enumerantur.*
20 *Sola transfugiendi voluntas punitur, licet eventus fuerit impeditus.*
21 *Nec excusatur a pœna rediens sponte transfuga, nisi multos transfugas aut latrones deprehenderit.*
22 *Qui sint desertores, & quæ desertionis pœna?*
23 *Duces deserentes majestatis rei sunt, & in iis solus etiam deserendi conatus puniri debet.*
24 *Qui præpositum non defenderit, ultimi supplicii reus est.*
25 *De pœna deserentium stationes ac excubias, & excubitorum qui dormientes reperiuntur.*
26 *De iis qui præposito manus intulerint ac omni alia militum contumacia.*
27 *Quæ sit illorum pœna qui ex acie aufugerint.*
28 *De fustuario & pœna illorum qui agmen excesserint.*
29 *Muros transcendens capite punitur.*
30 *Sive urbis Romæ sive civitatis municipalis muri fuerint.*
31 *Utrum sola transcendendi voluntas ordinaria sit coercenda pœna?*
32 *Ad infligendum ultimum supplicium non interest dolone an lascivia muros quis transilierit.*
33 *Etiam aliis modis quam transiliendo violari possunt civitatum muri.*
34 *Belli, non pacis tempore pœna capitalis obtinet.*
35 *Nec etiam, si quis ab hostibus undique circumventus per vallum intra mœnia se receperit.*
36 *An pœna capitalis etiam in non militibus locum habeat?*
37 *Quando, & quibus in urbibus, hodie pœna capitalis obtinere debeat?*
38 *Quam exitiosa exercitui sit seditio.*
39 *Quid sit seditio? ejus auctores solos ultimo puniendos supplicio, ac ante omnes alios plectendos esse præfectos seditiosos.*
40 *Seditionis auctorum pœnæ enarrantur.*
41 *Pœna capitalis non obtinet, si non contra Principem aut Rempublicam, sed alia de causa mota sit seditio.*
42 *Licet ex seditione nondum Respublica senserit incommodum, ultimo nihilominus supplicio plectendi auctores.*
43 *Quid sit conjuratio, & quæ ejus pœna?*
44 *Quæ sint differentiæ inter conjurationem & seditionem?*
45 *Eos qui Ordinibus generalibus fœderati Belgii vel aliis Provinciarum Rectoribus maledixerint, aut seditiosas Orationes inter milites habuerint vel repetierint jure mortis pœna plecti.*
46 *De pœna militum qui commilitones aut alios gladio vel alio instrumento læserint aut injuria affecerint.*
47 *De duello, ac pœna tam in provocantes quam provocatos statuta, & quando provocatus ab ordinaria pœna liberetur?*
48 *De sui ipsius vulneratione, ubi Stoicorum circa autophoniam opinio exhibetur.*
49 *Jus divinum ac recta ratio autocheiriam prohibent.*
50 *De furto militum, quo provincialibus res suas extorquent aut auferunt, ejusque pœna.*
51 *Milites apud præsidii præfectum profiteri tenentur res privatis excursionibus acquisitas.*
52 *De piratis & eorum pœna.*
53 *De furto militis inter commilitones vel in esculentis aliisque quæ ad castra vehuntur, commisso.*
54 *Deficiente stipendio nefas est militi ea de causa detrectare duci suo obedientiam, & ex adverso duces in proprios usus impendere non debent gregariorum stipendia.*
55 *De vexillorum desertione & amissione.*
56 *Pœna illius qui tesseram militarem non debito modo tradiderit.*
57 *Quid proprie designetur pœnæ corporalis appellatione, Belgice* lijfstraffe?
58 *Quæ sit eorum pœna, qui arma amiserunt aut alienarunt?*
59 *De iis qui non omnibus armis instructi prodierint ad excubias agendas; & monstratur, milites omnibus armis munitos confligere debere, ut maxime possint publico prodesse.*
60 *Pœna illorum, qui hostes deditos interficiunt, aut dimittunt absque præpositi venia.*
61 *Quæ captivorum reversorum sit coercitio?*
62 *Utrum captivi & ægroti illius temporis quo capti ab hostibus aut morbo detenti fuerunt, stipendia possint exigere?*
63 *De his qui morbum aut languorem simulant, vel resectis digitorum articulis se debilitant, ad evitanda belli munera.*
64 *Nemo potest eodem tempore duas simul militias gerere.*

CAPUT V.

De præmiis militum & præda bellica.

1 *Præmiis remuneranda militum fortitudo.*
2 *Milites, qui in acie ceciderunt, perpetuo per gloriam vivunt, eorumque liberi publice alendi.*

3 *De honoribus exercitus imperatori tributis, supplicatione, triumpho & ovatione.*
4 *Militum minorum præmia enumerantur.*
5 *Præda maxime milites gregarios ad fortitudinem excitat.*
6 *Jure gentium præda primo cedit occupanti.*
7 *Quid juris obtinuerit apud Hebræos in immobilibus ab hoste captis?*
8 *Quid juris in mobilibus?*
9 *Quid circa res captas tam mobiles quam immobiles Græci observaverint?*
10 *Quid jus Romanum circa immobilia capta constituerit? & de postliminio.*
11 *Quando ager censeatur captus ab hostibus.*
12 *Mobilia per deditionem acquisita a Romanis in fiscum redacta.*
13 *Aliquando postquam capta essent, ex post facto militibus concessa.*
14 *Quando res mobilis capta fiat occupantium?*
15 *Quid circa arma capta fuerit observatum?*
16 *Quæ sit differentia inter prædam & manubias?*
17 *Quid hodie circa res immobiles captas observetur?*
18 *Capti non fiunt capientium servi nisi in bello barbarico.*
19 *Quid juris sit circa mobilia publicis expeditionibus aut excursionibus privatis occupata? ubi variæ quæstiones.*
20 *Quid in captis in conflictu maritimo? ubi de fortitudinis præmiis pecuniariis?*
21 *Quid si navis sit amicorum, merces vero hostium aut vice versa?*
22 *Utrum rectius cuique quod occupat concedatur; an potius inter omnes institui debeat universæ prædæ distributio?*
23 *Quid si navis ab hostibus capta, per amicos aut socios recuperetur?*
24 *Quid si non recepta, sed redempta fuerit, verum infra justum pretium?*

CAPUT VI.

De privilegiis militum, & aliis quibusdam præter jus commune quoad milites constitutis.

1 *Quæ, & quibus competant militum privilegia?*
2 *Iis non gaudent supernumerarii milites.*
3 *Nec qui nomine tenus solummodo militant.*
4 *Qui propriis sumptibus militant, iis jure fruuntur.*
5 *Militi sine legitimo hærede morienti succedit vexilatio.*
6 *Res per alium empta militis pecunia fit militis, eique per procuratorem actio quæritur.*
7 *Pactum inter milites de futura successione validum est.*
8 *Militibus expeditionem facientibus hospitia præbenda sunt.*
9 *Juris ignorantia militi non nocet.*
10 *Quæ præcipua ratio sit cur militi non noceat juris ignorantia?*
11 *Num miles excusetur, si jura noverit, & tamen non observaverit?*
12 *Cujus juris ignorantia militi non noceat?*
13 *Absentia expeditionis causa militibus non obest.*
14 *Miles quomodocunque testari potest.*
15 *Miles dum lustrationi vacat in jus vocari nequit.*
16 *Quid si vocetur dum expeditionem suscipit?*
17 *Miles ad mortem condemnatus ex militari delicto testari potest.*
18 *Gratis a medico curandi milites.*
19 *Uxor mariti in expeditione versantis aut capti reditum moribus expectare tenetur, nec alteri nubere potest.*
20 *Milites & veterani propter debitum civile carceri includi nequeunt, & gaudent beneficio competentiæ.*
21 *Adversus quos debitores competentiæ beneficio tuti sint?*
22 *Milites & veterani personalibus, non autem ordinariis patrimonialibus exempti muneribus.*
23 *Si filiifamilias sint, habent castrense peculium, ejusque pleno jure domini sunt.*
24 *Privilegium proponitur solis veteranis proprium.*
25 *Veteranus, qui missionis honestæ testimonium amisit, modo aliter de ea constet, aut præsumptio pro ipso militet, non privandus est privilegiis.*
26 *Post missionem infamia notatus non gaudet veteranis privilegiis.*
27 *Milites veterani & ipsorum filii torqueri, aut plebejorum pœnis plecti nequeunt.*
28 *Num hodierni milites iisdem gaudeant privilegiis?*
29 *Specialia quædam in militibus constituta, quæ tamen ipsis non prosunt, enumerantur, veluti quod agrum comparare aut conducere, procuratores, fidejussores, accusatores, tributorum exactores &c. esse nequeant.*
30 *Quæ tamen hodie pleraque mutata.*

CAPUT VII.

De judicibus militaribus.

1 *Milites habent proprios judices.*
2 *Quinam penes Romanos de militum causis judicaverint?*
3 *Qui hodie penes nos?*
4 *Quo in loco judices militares jus dicant?*
5 *In quo consistat judicum militarium officium? & ne affectibus indulgeant.*
6 *Non observant stricte juris solemnitates, & summarie causæ terminantur.*
7 *Non debent excedere jurisdictionis suæ limites.*
8 *Si miles delictum commune commiserit, utrum ad civilem, an vero ad militarem judicem de jure Romano spectet ejus cognitio, disquiritur, ac judici militari locum esse statuitur.*

9 *Quid moribus circa judicum militarium jurisdictionem in criminalibus obtineat?*
10 *A1 cujus judicis cognitionem spectent civiles militum controversiæ.*
11 *Miles fori præscriptioni valide renunciat.*

CAPUT VIII.

De missione militum & pace.

1 *Quotuplex sit missio militaris?*
2 *Quæ sit honesta missio & quot stipendia requisita fuerint ad eam impetrandam tam in peditibus quam equitibus?*
3 *Quæ sit causaria missio?*
4 *An & causaria missi gaudeant veteranorum privilegiis?*
5 *Num honesta in specie missus ante legitimum tempus, privilegiis veteranorum in perpetuum fruatur?*
6 *Non temere concedenda missio causaria.*
7 *Quæ sit ignominiosa missio?*
8 *Quales ignominia mitti possint?*
9 *Quæ pœnæ comitentur ignominia missos.*
10 *De his qui ad tempus ignominia missi sunt.*
11 *Est etiam missio extraordinaria.*
12 *De pace.*

TRA-

DE
JURE MILITARI.

CAPUT PRIMUM

DE BELLO IN GENERE ET NONNULLIS EJUS SPECIEBUS AC DIVISIONIBUS.

1 *Bellum dictum est a duello.*
2 *Belli definitio a Bocero tradita notatur.*
3 *Exhibetur justa belli definitio.*
4 *Cur bellum vocetur dissidium armatum?*
5 *Ad bellum requiritur utrinque liber populus, nec bella civilia proprie bella sunt.*
6 *Bellum rite per fecialem denunciandum est, quod quo pacto olim, quibusque ritibus factum fuerit docetur.*
7 *Bellum omni jure licitum est.*
8 *Illi soli penes quos suprema residet majestas indicendi belli jus habent.*
9 *Privatus privato sub eodem Principe degenti bellum inferre nequit.*
10 *Non etiam privatus extraneo, seu Principi, seu privato bellum jure movet.*
11 *Princeps tamen subjectis indulgere potest licentiam per vim repetendi injuste ablata, unde repressalia.*
12 *Privatus sine Principis consensu bellum extraneo inferens læsæ majestatis reus est.*
13 *Illatum tamen ex improviso bellum impune sine prævio Principis mandato repellit.*
14 *Bellum justum, vel injustum est; justum est ex jure gentium.*
15 *Injustum bellum non est ex jure gentium.*
16 *Non datur bellum utrinque justum.*
17 *Iniqua in bello justo singulorum facta non tollunt primam belli justitiam.*
18 *Justæ belli causæ ad tria capita rediguntur.*
19 *Legitima bellandi causa non est sola gloriæ cupido.*
20 *Nec amplificandi imperii desiderium.*
21 *Nec religionis propagandæ & hæreseos extirpandæ voluntas.*
22 *Si subjectis a Principe religionis ergo vis inferatur, non ideo licet ipsis in eum insurgere.*
23 *Nisi libera civitas ea conditione Principi extraneo se suaque commiserit, ut liberum retineat religionis arbitrium.*
24 *Quomodo ac quando liceat subjectis in Principem tyrannum arma capere.*
25 *Propter legatorum violationem jure bellum infertur.*
26 *Nefas est propter justas belli rationes, super quibus pace, vel fœdere transactum est, bellum movere, nisi dolus paci causam dederit.*
27 *In bello quod prorsus injustum est subjecti non debent opem ferre suo Principi bellum inferenti.*
28 *Strategemata in bello licita sunt.*
29 *Majori laude digni duces qui stratagematibus quam qui aperto marte superant adversarios.*
30 *Illicitus est in bello dolus cum fidei violatione conjunctus.*
31 *An proditorum opera uti liceat.*
32 *Dolus cum mendacio conjunctus est illicitus.*
33 *Bellum, vel terrestre est, vel maritimum.*

Cum oculos atque animum in veterem illam, quæ super æthera caput axtulit, Romam conjicio, ejusque mecum repeto ortum, progressum, diversas mutationes, & per temporum vicissitudines variantes administrandi modos; ut primam sub regibus inter infantiæ vagitus ætatem egerit, ut iis ejectis ad liberam & popularem regiminis redacta formam, ut postmodum, ubi vice populi senatum consuli suaderet ingens illa civium multitudo, ad patres conscriptos maxima devoluta fuerit in Republica potestas, ut denique Cæsar Octavius cuncta civilibus fessa discordiis nomine Principis sub imperium acceperit; summis viribus illos, quibus erat demandata Reipublicæ cura, annixos fuisse animadverto, ut non minus foris armorum gloria, quam domi legum justitia essent illustres; sic ut asserere non dubitaverit Imperator Justinianus dignam esse Principum fastigio virtutem, si militari scientia æque juris auctoritate decorata conspiceretur Imperatoria Majestas. Noverat enim, nec sine viribus & armatorum præsidio inviolatas ab hostibus posse

conservari leges, nec sine belli artibus pacem esse diuturnam. Quæ & ratio fuit cur antiquiores Romani frequentibus, iisque gravissimis adversus finitimos impliciti bellis, nemini ad ullam magistratus dignitatem, ad summos in Republica honores patere portas voluerint, nisi quos per annos decem militiæ fortiter operam navasse constaret: & quo impensius aliis testatum facerent suum in armorum negotio cultum, nihil omni tempore sibi censuerunt antiquius esse debere, ubi duriora cum populis vicinis suborirentur dissidia & bellicis esset insudandum laboribus, quam ut sartam tectam conservarent, aut si corruptis forte moribus collapsa foret, restaurarent disciplinam militarem, idoneos Martis operibus eligendo viros, præmia fortibus, sceleratis pœnas pro delicti atrocitate distribuendo: ea quippe sola compertum habebant, tot sese gentes subegisse potentissimas, tot ferocissimos domuisse populos, jugum pertinaciter libertatis amore declinantes.

Unde & legum confirmarunt auctoritate quicquid ad observandam militarem in castris justitiam conducere posse videretur: cumque spes non esset solis præmiorum illecebris in officio contineri posse milites, juris vinculo ac sanctionibus ad ea peragenda, vel evitanda illos obstrinxerunt, ad quæ sponte sua forte non usque prompti invenirentur ac parati: & quamvis inter armorum strepitum conticescere leges vulgatum sit ubique proverbium, sunt tamen & belli, sicuti pacis jura: quæ, cum non prorsus inutilia scitu fore existimem, etiam viris militaribus, ne forte idem ipsis, quod quondam Servio objiciatur; turpe scilicet esse patricio & nobili & causas oranti jus in quo versatur, ignorare. Laudabiles aliorum secutus conatus, paucula ad hanc materiam illustrandam pro ingenii modulo in medium proferre decrevi. Cumque eum qui jura militaria scire desiderat, etiam quid bellum sit, haud oporteat ignorare, tribus ut ita dicam verbis in antecessum ejus exhibebo naturam, variasque veluti per indicem species enumerabo.

1 Dictum autem est bellum, (ut vocis exordiar origine) a duello; neque enim exploratius quicquam est, quam duas in bello requiri partes utrinque de summa rei contendentes, Grotius *de jure belli lib.* 1. *c.* 1. *n.* 2. & apud plurimos Latinæ linguæ scriptores antiquitus duelli nomine bellum plerumque fuisse designatum, piæ mem. parens Paulus Voet *tract. de duellis cap.* 1.

2 Belli quod attinet definitiones, non una circa eam omnium juris interpretum mens est, quorum tamen varias ad incudem revocare opiniones supersedeo: recensuit illas ac refutavit abunde Bocerus *de bello cap.* 1. cæterum & ipse suam hac de re exhibiturus sententiam censet ibidem *bellum esse dissidium armatum duorum contrariorum exercituum rite prius indictum*. Verum nec hanc ejus descriptionem, si penitius examines, vitio prorsus carere existimes: juxta eam namque vel penes quemlibet privatum, modo exercitu stipatus bellum per fecialem alteri, seu privato, seu Reipublicæ denunciasset, non secus atque penes summam majestatem decernendi belli resideret potestas. Sic latrones cum armatorum multitudine exercitum constituente viatoribus insidiantes, si modo publico programmate sese hostes essent professi, bella non latrocinia exercerent, & per denunciationem bellici juris fierent participes, adeoque facili negotio gravissimis quibus intercepti puniuntur, sese suppliciis eximerent. Sic justum ac legitimum servi adversus Scythas dominos suos olim movissent bellum a finibus eos & laribus arcentes domesticis; ibi quippe nec deerat exercitus, neque dominis ut recederent, denunciare neglexerant, Justin. *lib.* 2. *c.* 5. Et injurii in servos devictos dicendi forent Romani, ac immerito belli sustulisse commercia, dum quosvis in crucem agebant captivos; cum omnis ibi reperiretur belli forma, sexaginta millium exercitus, Imperatores purpurea veste amicti, regium in morem fronte redimita, baculo utentes argenteo, & ut omnia complectar, tales qui bellicosos Romanorum prætores non semel castris exuerant, Florus *libr.* 3. *cap.* 19.

Insuper, si bellum esset *armatum dissidium duorum contrariorum exercituum*, quandoque absque fœdere, absque induciis sponte sua intermitteretur, & nulla nova dissidiorum data causa resurgeret tamen ac reviivisceret, si forte profligatis ac dissipatis alterius partis copiis nova cogerentur auxilia, novus ad restaurandas deleti vires conscriberetur exercitus: quippe dum hæc a partibus curantur, non duo contrarii reperiuntur exercitus, adeoque nec bellum. Quæ omnia cum prorsus absurda & a ratione aliena esse notius sit quam ut dici debeat, jure quoque merito rejiciendam esse tanquam minus exactam Boceri definitionem nemo negaverit.

3 Itaque, non eum a vero aberrare autumo, qui bellum dixerit esse dissidium armatum, libero populo ab altero populo libero rite indictum, *arg. l.* 24. *ff. de captiv. & postlim. l.* 118. *ff. de verb. sign.*

4 Dissidium appello armatum, ut lites excludam civiles citra ullum armorum strepitum coram certis judicibus agitari solitas, quales quandoque inter liberos utrinque populos extitisse omnium sæculorum decursus docuit; veluti cum in tertium aliquem, seu principem, seu senatum, seu alios communi voto electos arbitros consentiunt, eorumque adeo sponte se subjiciunt jurisdictioni, ut quicquid ab iis statutum fuerit ac decretum, ei semel acquieturos promittant. Plura controversiarum hac methodo diremptarum enumerat exempla Albericus Gentil. de *jure belli lib.* 1. *cap.* 3. & *auctor du bouquet historial. tit. de la justice*. Gallorum laudibus extollens sinceritatem, & incorruptam in judicando justitiam, Regem ac Senatum Parisiensem sæpius ab iis penes quos summa residebat potestas asserit in judices electos fuisse, ac litis, quæ Frederico Secundo cum Papa Innocentio Quarto intercedebat, decisionem illis commissam commemorat.

5 Liberum utrinque desidero populum, ut latrocinia, seditiones, bella civilia removeam, & si quæ sint hujus farinæ alia, quibus neque belli jura, neque privilegia tribuenda, ac ne nomen quidem proprio loquendi modo imponendum: in civilibus namque dissidiis non liber utrinque contendit populus, verum una natio uni subjecta Principi in duas scissa partes contrarias, in duas divisa factiones;

ubi

ubi eadem utrinque conspiciuntur insignia patria & infesta signa, pares aquilæ, commilitonibus adversi commilitones, ejusdem gentis ordinibus illisi ordines, in sua viscera & cognatas acies versæ dextræ; ibi nullus Principis supremi consensus, nullum belli decretum, quilibet opibus ac auctoritate pollens in belli se ducem eligit, non ibi de reipublicæ ruina & exitio sed conservatione summis utrinque decertatur ardoribus, dum in suam quisque partem ac factionem regnum trahere annititur, & quacunque potest ratione illud urget, ne quam nisi propriam aut amicam frontem diadema obvestiat, licet inde plerumque multum detrimenti capiat Respublica, *libr.* 21. §. 1. *ff. de captiv. & postlim.* Quare nec captos in bellis civilibus victorum fieri mancipia, nec postliminii jura vigere statuit jurisconsultus in *d. lib.* 21. *ff. de captivis*, nec de civibus superatis triumphum agere victores permisit inviolata veterum Romanorum modestia, sic Florus *lib.* 3. *c.* 22. *in fine* de Sertorii bello tractans; *victores duces*, inquit, *externum id magis quam civile bellum videri voluerunt ut triumpharent*. Et Lucanus Cæsaris ac Pompeji in commune ruentium nefas prælia decantaturus, ait:

Bella geri placuit nullos habitura triumphos.
Lib. 1.

6 Tertium denique, quod ad belli requiro substantiam est ut rite indicatur, seu ut consilio prius, quam armis omnia experiamur, ac verbis repetamus quicquid deberi nobis aut injuste ablatum putamus, cum blanda sæpe plus impetrare valeamus oratione quam truculentis bellorum molitionibus; quod si denegetur, Martis aleam nos tentaturos declaremus: justum enim, inquit *Cicero* 1. *offic.* nullum intelligitur bellum, nisi quod aut rebus repetitis geratur, aut denunciatum ante sit & indictum. Præcepit id ipsum populo suo Israelitico summus rerum moderator, jussit, ut civitatum indigenis pacis offerrent conditiones, neque eos everterent, qui imperata facere non detrectassent, *Deuter. cap.* 20. *vers.* 10. Nec Græcorum antiquissimi sine prævia denunciatione ad arma provolarunt. Ita, cum apud Eurip. *in Phœniss.* Polynices Thebas oppugnare jam animo destinasset, ad occupandum imperium vicibus alternis sibi debitum, prius tamen quam hostile quicquam tentaret, hoc modo fratri Eteocli loquens inducitur:

Adsum paratus nunc quoque his e finibus,
Exercitum omnem protinus deducere,
Dum me ista dominum Regia agnoscat suum
Reddenda fratri temporum justo ambitu.
Ita nec paternas arma vastabunt opes,
Nec scala celsos faciet in muros gradum.
Sin hæc negantur, quicquid est juris mei
Experiar: inque hoc advoco testes Deos,
Cum jus petam præstemque &c.

Quin & Romani usque adeo in bellis decernendis & indicendis religiosi fuisse perhibentur, ut teste Cicerone *lib. offic.* omnem belli æquitatem sanctissime jure feciali perscribi curaverint, illudque sollicite retulerint inter juris publici species. Hinc antequam arma adversus exteras gentes movenda judicarent, justum & bono publico necessarium duxerunt plurimas hoc in negotio adhibere solemnitates, & omnes prius pacis tentare vias, si forte meliorem dii mentem adversariis inspirarent: quippe fecialium e collegio lectum quempiam augustioribus indutum vestibus & sacris conspicuum insignibus ad eorum, qui injurias intulisse arguebantur, urbem mittebant, qui ubi pervenisset ad hostium fines, Jovem cæterosque Deos invocans, testabatur pro populo Romano se jus suum repetitum venisse, & iter ad injustum instituisse populum, gravissimis, si mentiretur, additis execrationibus: eadem deinde ei in quem primus incidebat, reiterabat, postea & urbis vigilibus eadem repetebat; denique eodem modo in medio foro civitatis magistratibus aperiebat adventus sui causam, qui si rogatis non annuissent, tribus datis decem dierum dilationibus, vel uti vult Livius, triginta tribus diebus ad deliberandum interjectis, superos & inferos obtestatus discedebat, hoc unum adjiciens, populum Romanum per otium deliberaturum. Domum reversus, quicquid actum fuisset ad senatum referebat, ac si bellum decernere vellet, per Deos licere pronunciabat: Dionys. Halicarn. *lib. antiq. Roman. fere in fine*. Quod si bellum plurium fuisset decretum suffragiis, iterum fecialem ad hostiles mittebant limites, quo magis injustitiæ convincerent inimicos, & piam ac justam sese causam fovere cunctis declararent: atque is, præsentibus ad minimum tribus puberibus, bellum denuncians hastam, vel telum in hostium contorquebat agrum, addita certa verborum formula, quam Gellius exhibet *Noct. Attic. lib.* 16. *c.* 4. Aliam alii solent in bellis indicendis observare formam, quæ quamvis inter se discrepent, firmum tamen est atque indubitatum jure gentium esse necessariam belli denunciationem apud moratiores quosque populos continuo velut usu inductam & approbatam, nec absque prævia juris ac rerum repetitione fœdera pacisque dissolvenda esse vincula, in tantum ut latrones, atque prædones audiant quos aliter inferendi belli vesania subiit, *L.* 118. *ff. de verb. signif.*

7 Antequam autem in ulteriorem nos intromittamus de bello disceptationem, prius dispiciendum est, num certis in causis licitum sit ac concessum belli artibus ea sibi quærere, quæ blandis admonitionibus impetrari non potuerunt: id namque prohibitum si foret, frustra ad alias de dissidiis armatis quæstiones, huic veluti basi ac fundamento imponendas, extenderet sese nostra meditatio. Et ad propulsandas quidem injurias ac ablata injuste per vim repetenda penitus esse permissum armorum adminiculum, non facile quisquam, nisi qui videri velit humanam prorsus exuisse naturam, negaverit; illud enim non Naturalia tantum ac gentium jura, sed immutabilia quoque nobis injungunt Dei præcepta: evolvamus modo sacratos utriusque testamenti codices, videbimus in iis quaquaversum, insignes pietate viros recuperasse bello res præter omne fas sibi ereptas, hostium violentias armata manu coercuisse, & ingenti animo superbas illorum repressisse insolentias. Sic Abrahamus, Moses, Josue, David, Josaphat, aliique Israelitarum reges, ac duces pientissimi bella mandato Jehovæ gesserunt,

runt, *Epist. ad Hebræos cap.* 11. *vers.* 30. *& seqq.* Quin & ipse Deus optimus maximus per dilectum fidumque servum suum Mosen varias armorum præscribere leges & belli jura dare voluit Israelitico populo, *Deut. cap.* 13. *vers.* 13. *toto cap.* 20. *& cap.* 31. *vers.* 3. 4. 5. Et certe si magistratui concessa sit ab universi rectore potestas animadvertendi gladio, aut alio mitiori quopiam supplicio in facinorosos homines, ad arcendas a subjectorum capitibus injurias, eb illis inferri solitas, qui pariter unius ejusdemque Principis sueti sunt purpuram venerari: quis non longe majori jure dixerit illis esse permissum civium suorum vitam, existimationem & opes armis adversus extraneos intactas conservare ac inviolatas? Neque quicquam repugnant hisce textus quibus e sacro codice petitis forte quis adversus bellorum justitiam quid evincere se posse putaret; nihil enim aliud quam privatam singulorum illi inhibent ultionem.

8 Unde & statuendi nobis incumbit necessitas, non posse quempiam armatum movere dissidium, nisi penes quem suprema residet juris dicendi potestas, quique superiorem in territorio suo neminem agnoscit: atque adeo in monarchia soli Principi, solis in aristocratia Optimatibus, in democratia populo competit universo jure majestatis indicendi belli facultas.

9 Fallitur itaque quicunque putaverit impune proprie se posse auctoritate privato sub eodem Principe degenti facessere belli negotium: edixerunt namque Valentinianus & Valens ne cui se insciis atque inconsultis armorum movendorum copia tribueretur, *l. un. C. ut armor. usus inscio Principe interdictus sit*. Si quis atrociori fuerit impetitus injuria, non ad Martis recurrat judicium, sed Principis imploret auxilium, judices adeat ad dirimendas controversias a Principe constitutos, ibi vindictam exiget, ibi postulet ultionem criminis in se perpetrati, jus dicentis requirat officium, ut is sua velit auctoritate lites componere, obortas sopire rixas, & dignis nocentem subjugere suppliciis.

10 Multo minus, ut privatus in extraneum, sive Princeps is sit, sive subjectus, arma moveat, reipublicæ contextus aut boni communis fert ratio, *d. l. un.* Postquam enim in unum convenere mortales, & unanimi consensu civilis illa fuit introducta inter homines societas, recessum quoque fuit ab illo naturæ jure, cujus similitudine in brutis etiamnum cernimus obtinere, quo vim vi repellere, & injuriæ sublata quemque armorum ope vindicare non expectata superioris auctoritate, non erat improbatum. Atque hoc fundamento excusatos legimus a Catone Rhodienses, multos quidem, inquiebat, cives privatos asperas in Romanos habuisse conciones, & ad bellum suadendum omnes adhibuisse facundiæ vires; nullum tamen de bello Romanis inferendo factum esse senatus consultum, nullamque propterea iis intercessisse cum Romana Republica inimicitiam: Gellius *lib.* 7. *cap.* 3.

11 Quin autem Principe permittente privatus quisque militem conscribere, & armis damni reparationem ab extraneis illati possit impetrare, res ipsas interversas, vel earum justum intercipiendo pretium, non est quod ambigamus. Adinventæ sunt hac de causa multis hinc seculis oppignorationes, vulgo repressaliæ, quas si quis belli præludia dixerit, ei non equidem refragabor: subjectis quippe læsis ab extranei principis parentibus violenta conceditur ablatorum repetitio, quorum frequentibus admonitionibus, & amicis crebris interpellationibus obtinere non potuere restitutionem: Andreas Gayl. *lib. de pignor. observ.* 2. adeoque veluti pignoris jure quælibet alterius potestati subditorum bona detinent & occupant, in damni perpessi & illatæ compensationem injuriæ: constans enim est opinio, pro privati cujuspiam admisso turpi opes civium universas obligatas esse, si quidem rei criminis copiam habentes, eum tamen noxæ dare, vel meritis delictum pœnis expiare detrectent: Alberic. Gentil. *lib.* 1. c. 21. Excogitatæ autem videntur hæ citra belli formam violentæ repetitiones, ne propter illatas forte privato contumelias & damna turbaretur illico Reipublicæ tranquillitas, neve necessum esse integram statim ad arma concurrere gentem, ad vindicandam municipis sui calamitatem. Quia tamen omnium fere temporum nos docuit experientia, illos, quibus summa commissa boni publici cura, subjectorum suorum adversus indulta privatis oppignorationis jura publicam suscepisse defensionem, inde pacem penitus eversam, & atrocia inter paulo ante socios, fœderatos ac amicos odia fuisse grassata, ideo non levissima quaque de causa, vel minora propter incommoda, neutiquam Reipublicæ vergentia damnum, concedi debere repressalia censuerunt rerum politicarum periti: Petrus Heigius *lib.* 1. *q.* 12. *n.* 56. Ajalie *de jure & offic. bell. lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 10. Verum prius omnes, quibus absque vi publica ad sarciendum damnum, aut injuriæ ultionem compelli posse creduntur adversarii, tentandas esse vias, atque summa circumspectione & accurata consideratione cuncta perpendenda, non secus, ac si de bello tractaretur externo inferendo. Duo itaque primaria sunt in repressaliis requisita; expressus scilicet illius consensus qui superiorem non agnoscit; & ingens bonorum, vel famæ jactura, ab externi Principis procurata subjectis, qui, cum suos in officio continere posset, denegat tamen peregrinis administrare justitiam: quid enim, si prohibere nequeat? culpa caret juxta vulgata jura.

12 Quod si privatus eo dementiæ processerit, ut absque Principis consensu, motu proprio bellum intentaverit extraneis, læsæ majestatis reus erit, *l.* 3. *ff. ad leg. Jul. Majestatis*. Quisquis enim illud agit, unde necessario turbatæ pacis subsequitur effectus, hunc a perduellionis crimine nemo sanus dixerit immunem. At quod quæso majus esse potest ad dissolvende mutua fœdera & irritandas mentes incitamentum, quam si vim armatam exteris inferri contigerit? ex unius quippe scelere cæterorum bona violentæ statim subjiciuntur executioni, omnesque, uti supra demonstratum, si meritas in delinquentem pœnas non decreverint, de deinno per eum perpetreto tenentur. Præterquam quod exempli pessimi res sit: sub specioso namque illo exteris movendi belli velamine quis non animadvertit, extremam quemque moliri posse Reipublicæ ruinam?

quis

quis non videt, coacto milite, conquisitis impune armis omnique belli apparatu, quemque arrepta occasione in ipsum Principem, in alta pace regni secure moderantem habenas, arma posse convertere, eoque nihil minus exspectante de sede sua deturbato, & ejectis optimis quibusque patriæ civibus, summam per omne nefas sibi vindicare majestatem?

13 Nullus tamen dubito, quin & absque prævio Principis mandato subjectus impune possit illatum ex improviso repellere bellum, & intentatas a se suisque arcere injurias: cum juris sit minime controversi, unumquemque tuto jus sibi dicere & ab inimicorum audacia telisque vitam defendere posse, non exspectato superioris consensu, ubi judicis nequit haberi copia, neque diuturnam res moram patitur, *l.* 10. §. 16. *ff. quæ in fraud. creditorum*. Grotius *de jure belli lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 2. Scleiffius *in comment. ad Mart. Laudensem de bello q.* 2. *n.* 7. Est enim illo casu inculpata sui corporis tutela, quam omnibus leges omnes, omnia concessere jura, *l.* 3. *ff. de justitia & jure*; nihil quippe magis est naturale, nihil magis æquum aut rationi conveniens, quam se suaque a rapacium quasi vulturum vi defendere: scilicet, (ut inquit Cicero pro Milone) *hoc ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipsa præscripsit, ut omnem semper vim, quacumque ope possent, a corpore, a capite, a vita sua propulsarent*. Neque quicquam interesse censeo, justane defensio a singulis contra singulos instituatur, an a multitudine coacervata adversus plures unum veluti corpus ac animum constituentes directa sit: non enim numerus immutat justæ defensionis substantiam; adeo ut, si singulorum defensio licita sit, & natura duce fiat atque magistra, eadem quoque ratio pro multis plurium simul arcentibus injuriam militatura sit.

14 Bellum vero, (ut & ejus species enumerem) aliud justum est, aliud injustum. Justum esse censeo, quod suprema majestas legitimis de causis indicit populo superiorem non agnoscenti. Neque cuiquam dubium esse potest justum jure gentium primitus esse introductum, §. 2. *Instit. de jure nat. gent. & civil. l.* 5. *ff. de just. & jure*. Postquam enim inter homines dominiorum esset introducta distinctio, & suis paterna rura quilibet bobus araret, neque amplius mortales in omnium rerum vivere communione pacata, eveuit, ut una cum numero paulatim cresceret avaritia, & animos ipsorum invaderet amor sceleratus habendi; unde non propriis contenti rebus, (licet hæ maximæ fuisseut certissimæque divitiæ) alienis cœperunt insidieri, atque eo tandem furiosa illos & alieni appetens adegit libido, ut suis confisi viribus in reliquos imperium quærerent ac dominatum, & longa pace securis contra omnem justitiæ & æquitatis normam non opes tantum ac carissima quævis, sed ipsam quoque libertatem & vitam conarentur eripere. Scite admodum ac vivis veluti coloribus hanc bellorum delineat originem Seneca *in Hippolyto vers.* 538.

Rupere fœdus, inquit, impius lucri furor,
Et ira præceps, quæque succensas agit
Libido mentes, venit imperii sitis
Cruenta, factus præda majori minor;
Pro jure vires.

Hinc & Euripides *in Phœniss.* opum & imperii caussa bella jam olim moveri solita asseruit, Polynic. ita disserentem fingens:

Memorare dictum liceat antiquum mihi,
Imperium opesque prima sunt mortalium
Censu, atque in animos maximas vires habent.
Horum ergo veni cum tot hastatorum agmine.

Quapropter etiam asserere non erubuit primus ille Romanorum Imperator, regnandi causa violari posse jura, in cæteris rebus pietatem colendam esse.

Ad defendendas igitur paternas opes, & propulsandas iniquas illas oppressiones & injustorum tyrannidem, in unum congregata armatorum multitudo, ut juxta juris gentium præceptum omnem vim propelleret atque injuriam, *l.* 3. *ff. de justit. & jure*, hinc bellum.

15 Solet autem a doctoribus hæc plerumque ventilari controversia, num & injustum bellum juris gentium dici posset? sed nullius ego juris illud esse censeo, cumque jus omne denegetur injusto bello, frustra quem id agere ut ad aliquam juris speciem reducat; jus namque est regula liciti & honesti, & norma agendorum, quid fugiendum, quid sequendum sit docens, methodumque præscribens, juxta quam dirigendæ sint actiones humanæ, l. 1. *l. pen. ff. de just. & jure*, p. mem. parens Paulus Voet *tract. de statutis eorumque concursu cap.* 1. *sect.* 1. *n.* 2. At vero nullus asseruerit illud quod injustum est a jure mortalium mentibus ad imitandum proponi, adeoque nec injustum dici potest jus suadere, vel approbare bellum. Scilicet non a jure mala, non vitia originem duxere, sed vitiis opponi solita remedia tanquam pharmaca morbi vehementis impetum impedientia ac progressum. Justum adinventum est jure gentium bellum, ut medicina adversus omni jure adversantes iniquorum insultus & invasiones, ne tractu temporis nimium invalescerent.

16 Cum autem justi & injusti sit opposita natura, sic ut alterum ab altero excludi ac removeri necesse sit, vim veritati intulerit, qui justum dixerit utrinque dari posse bellum: Alberic. Gentil. *de bello lib.* 1. *cap.* 6. Bocerus *de bello cap.* 1. *n.* 12. Ut ut aliquando probabiles adeo justi produci possint utrinque dissidii causæ, ut uter alteri in belli justitia præferendus sit, merito dubites; dum quisque sua bella sacra, sanctam dicit bellandi caussam, iniquos, impios, fœderum violatores hostes appellat, & integris ferme rationum plaustris universo terrarum orbi belli justitiam demonstrare nititur.

17 Et quamvis ejusmodi quandoque facinora perpetrentur ab illis qui justa de causa se suaque belli commiserint aleæ, quæ justitiæ penitus adversantur & humanitati, sic ut justam adversus illa jus naturale tribuat defensionem, & ex iniquis hostibus legitimos efficiat sui corporis tutores; non tamen inde justi natura belli mutabitur, neque singulares actus iniqui primæ quicquam detrahere pote-

sint armorum justitiæ. Interim quin & bellum possit utrinque sine legitima geri causa, non est quod dubitemus, non secus atque singulare potest a duobus suscipi certamen, cujus justam neuter valet allegare rationem, veluti si signis infestis inter se concorrant duo populi solius gloriæ ducti cupidine.

18 Cæterum justas inferendi belli causas ad tria facile capita cogi posse puto; aut enim ad propulsandam vim suscipitur, suique defensionem: aut ad repetendas res quascunque summo scelere nobis ereptas: aut denique ad ulciscendas injurias immerentibus illatas, non tamen ob parvi momenti negotium in armis illico præsidium quærendum; summæ quippe stoliditatis esset propter exiguum forte dispendium universam periculis exponere Rempublicam, & per dubios præliorum eventus suspensam ac ambiguam reddere civium securitatem: stultum, levissimæ cujusque controversiæ Martem statim velle diribitorem.

19 Operæ pretium autem hic me facturum confido, si nonnullas circa belli justitiam quæstiones examinem, ex quarum definitione facili negotio cæterarum peti poterit decisio. Ac primo quidem sola gloriæ cupido justam nemini suppeditat armorum causam: non enim illa plurimorum, quos in bello perire contingit, est anteponenda vitæ ac saluti: famam affectare & illustrem ad posteros sui memoriam transmittere nulli prohibitum: verum licitis id viis efficiatur necesse est: etiam Herostratus sibi nomen in omnia secula duraturum comparare voluit, Ephesinæ Dianæ comburendo templum; sed condemnata fuit ab omnibus præpostera illa & execranda gloriæ captandæ methodus. Neminem occidendum esse divinæ voluere constitutiones, si non in extrema necessitate, & velut inculpatæ tutelæ moderamine. At quis incorruptæ mentis gloriam dixerit esse necessitatem? ubi, si non depugnetur, nulla tamen inde supervenit infamia, nullum damnum, nulla injuria; ubi eamdem cuncta post prælium formam retinent atque conditionem: nec victori quicquam acquiritur, neque victo decrescit: sic ut ejusmodi bellis delectari solitos Principes omnem odisse pacem, & nil nisi humanum sitire sanguinem jure suspiceris, dum temerario ausu nihil profuturo in cædes & vulnera ruere festinant, non magis in adversarios, quam in se suosque crudeles. Præterquam quod infelices sæpe, Deo sic disponente, sint ad gloriæ certamina provocantium successus. Amasiam contemplemur Judæorum Regem, qui cum per nuncios ab Israelitarum rege desiderasset ad vires ostentandas & explorandam potentiam, ut in prælium descenderet; non victus tantum sed & vivus in adversarii devenit potestatem, 2. *Reg.* c. 14. *vers.* 8.

20 Eodem modo nec quod ad amplificandos imperii limites & ad divitias acquirendas infertur, justum dici potest bellum: Petr. Heig. *lib.* 1. *quæst.* 12. *n.* 46. Licet horum gratia primum armata exstiterint dissidia. *Quæ tanta vos* (inquit Seneca controvers. 9.) *vel quæ furiæ in mutuum sanguinem egere? quod tantum malum humano generi vel sorte, vel fato invectum? an ut convivia poculis exstruantur, & tecta auro fulgeant, parricidium tanti fuit? magna enimvero & laudanda sunt, propter quæ mensam & lacunaria sua potius quam lucem innocentes intueri maluerint. An ne quid ventri negetur libidinique, orbis servitium expetendum est?* detestati sane fuerunt illud omni tempore optimi quique viri, & ex adverso censuerunt. Plus apud omnes bonos pietatis jura, quam imperium & opes valere debere; alias nec piratis, nec latronibus, justa deficiet bellandi causa; non deerit illis speciosum sceleris sui velamen, dum plura quam possident desiderantes rapto victitare solent. Quoscunque igitur non alia quam scelerata res alienas invadendi cupido ad arma stimulaverit, eos merito non Principes appellaveris, sed prædones, quo titulo quondam decoratus fuit ille, cui non unus sufficiebat orbis, Alexander.

Illic Pellæi proles vesana Philippi,
Felix prædo jacet.

Cecinit *Lucan. lib.* 10. Nec timuerunt eum latronem vocare Scytharum legati; *tu*, inquiunt, *qui te gloriaris ad latrones persequendos venire; omnium gentium, quas adiisti, latro es*, *Curt. lib.* 7. *cap.* 8. Diximus superius ad belli justitiam requiri, ut rite quisque illud denunciet, primumque petat, quicquid sibi debitum existimat, antequam ad arma ultimam convolet regum rationem. At quo colore quave fronte urbes & agros poscet alienos, qui solo imperii augendi studio bellare decrevit? quam obsecro debiti causam allegabit? quo titulo in extraneorum opes in possessiones sibi jus vindicabit? justior fuit & observantior æqui Demetrius; occupato namque Syriæ regno, imperii quidem fines ampliare, & finitimis opes augere bellis statuebat; expectabat tamen, donec honestum belli titulum, Orofernis scilicet in regnum restitutionem, nactos fuisset: *Justin. lib.* 35. *cap.* 1. Et certe quicunque legitimam statuere vellet hanc belli causam, eum necesse foret omnem etiam inter homines evertere societatem: tunc enim, quo quis est potentior, eo & in alios plus juris sibi vindicare volet; in armis omnis consistet justitia; æquius id habebitur, quod validius, tollentur imperii prisci limites; antiqui confundentur agrorum termini; actum denique de juris erit præceptis, quibus, ne proximum lædamus, sed sua tribuamus cuique jura, injungitur, eaque inter antiquatas erunt referenda leges.

21 Injusta quoque belli causa est religionis inter exteras gentes propagandæ & hæreseos extirpandæ cupido; justissima vero illorum defensio, qui maximas ad arcendos ejusmodi adversarios intendunt vires: Ajala *de jure & offic. bell. lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 28. Bocerus *de bello cap.* 4. *n.* 12. 13. 18. Carpzov. *ad leg. reg. German. cap.* 4. *sect.* 6. *n.* 14. Non enim læditur hæresi societas humana, non violatur illa, quæ homini cum homine debet intercedere commonio: non fœdera, non pacem religionis interrumpit diversitas; ut credibile magis sit, Principes illos speciosum solummodo, quo tegant avaritiam, quærere prætextum: Albericus Gentilis *de jure belli lib.* 1. *cap.* 9. Verum, dicet forte quispiam, hæ-

hæresi Dei læditur majestas, bellum ei indicitur, negliguntur atque vituperantur ejus mandata. At, inquam, crimen illud iis puniendum incumbit, quorum sunt subjecti, non extraneis Principibus, illis quippe extra territorium jus dicentibus impune non paretur, *l.* 20. *ff. de jurisdictione*. Quod si & ipsos Principes eveniat sceleris esse participes, in illos sibi soli Deus vindictam reservavit, quisquis illum contempserit non impune feret, nec ultricem ejus avitabit dexteram. Præterquam quod verberibus & cruciatibus ad fidem nemo compelli possit; est namque donum Dei, quod non nisi spiritualibus armis & precibus assiduis impetrari potest: ut frustra quis humano sanguine propagatam cupiat religionem: longe relegauda vis omnis atque violentia, & errabimus toto cælo, si quid credimus auctoritate Regia, potestatis plenitudine, minis, suppliciis, armis promoveri negotium Christi, adhibendus potius Moyses & prophetæ; sacris instruendi literis, erroris inde convincendi sunt infideles, &, ut inquit Theod. Graswinkel *de præl. justitiæ & juris q.* 4. *sect.* 4. si promovendus sit Dei cultus, per talia promoveri debet principia, per quæ eundem gloriosissimus apostolorum chorus, martyrum candidatus promovit exercitus.

22 Verum quid dicendum, si religionis ergo subjectis a Principa vis illata sit? nefas essa censeo parentem ea de causa in superiores insurgere: quid enim si Princeps religionem mutans idem suis imperet subjectis, non ideo decidit imperii jure, neque quicquam ejus auctoritati fidei detrahet immutatio, nisi quod huic mandato, quod antiqui & veri cultus divini injungit omissionem, non teneantur obtemperare. Magna quidem militat pro Principe ratio; verum illa summa est quæ pro religione facit: *l.* 43. *ff. de religios. & sumpt. fun.* cum Deo magis quam hominibus oporteat obedire, *Act. Apost. cap.* 4. *vers.* 19. *&* *c.* 5. *vers.* 29. Atqua ita ad edictum Regis Nabuchodonosoris Sadrah, Mesah, & Abdenago divino cultu noluerunt adorara supplices auream ejus mandato statuam erectam, *Daniel. cap.* 3. Neque Daniel obtemperavit isti Darii Regis constitutioni, qua, ne quis intra dies triginta quid a quopiam vel Deo, vel homine præterquam a Rege peteret, sancitum erat, verum nihilominus Israëlis Deum ferventibus quotidie precibus venerabatur, *Daniel. cap.* 6. Et hoc nixa fundamento Antigone apud Sophoclem se Creontis opposuit edicto.

Non summus, inquit, *hæc mihi imperat Jupiter*,
Nec justitia, deos quæ habitat apud inferos
Inter homines qui jura sanxerunt pia,
Nec jussa tanti ponderis tua æstimo,
Mortalis ut *perennia deorum queas*
Temerara jura insculpta mentibus hominum.

Sophocl. in Antigon. sic ut Dei jussa Principis postponentes edictis & proprio vim inferant animo & debitam supremo Regum domino detrectent obedientiam, cæteris in rebus ad observandam principis sui majestatem penitus adstricti sunt: monuit nos gentium doctor illo tempore, quo constat omnes vel paganos, vel Judæos fuisse populorum præfectos, monuit inquam parendum esse magistratibus non tantum pœnæ formidine, sed & quia juxta conscientiam ad obedientiam sumus obligati, *epist. ad Romani. cap.* 1. axamplo suo illud demonstrarunt innumeri martyres, quævis potius optantes sufferre mala, usque dum frigida mors per extrema cruciatuum, quicquid ipsis vitalis supererat, hauriret, quam ut atrocibus sese principis opponerent edictis.

23 Quod si tamen libera quæ civitas aut provincia sa se se conditione Principis extranei summiserit imperio, ut liberum retineret religionis arbitrium, & intacta manerent circa Dei cultum jura? sane, cum & Princeps ax contractu cum subjectis celebrato jura gentium teneatur, & pacta servari justum sit & æquitati conveniens; jure quoque in libertatem vindicare sese poterunt parentes, si fidam datam rumpere Princeps sustinuerit, nequa quicquam pensi habuerit interpositas violare conditiones: si enim penitius ejusmodi pectorum scrutemur naturam, quibus alterius imperio sese subjicientes nonnulla sibi jura reservant, animadvertemus, illos eorum contemplatione suam in extraneum Principem non transtulisse majestatem, sed in iis illam illibatam per talia pacta conservare voluisse, Albericus Gentil. *de jure belli lib.* 1. *cap.* 11. In illis itaque, quos exceperunt, casibus, non ut inferiores, sed ut summi potius sunt æstimandi magistratus, penes quos summa residet majestas; at vero dubium nemini esse potest, majestatam habentibus asse quovis jure licitum adversus insidiatores & hostes ad illam dafendendam arma capessere: Grotius *de jure belli ac pacis lib.* 3. *cap.* 3. *n.* 4. quid ni ergo liceret ipsis etiam illam, quam sibi reservarunt, vindicara majestatis partem adversus ejusmodi Principem, qui, cum in multis ejus sese jugo summisissent, iis haud contentus plenum conatur in illos exarcere imperium, quamque pro parta acquisivit, in universum sibi rapere majestatem.

24 Quæsitum atiam, num adversus Principam subjactis arma movere de jura concessum sit, si pro legitimo imperio meram in illos axerceat tyrannidem? per tyrannum hic intelligo talam exercitio, qui neque finem, neque modum facit crudelissimorum in immerentes suppliciorum, innoxios indicta causa subjectos condemnans, & prout animus tulerit, quosdam vita, bonis alios, nonnullos fama & existimatione per fas nefasque privans; non civium, non patriæ pater, sed hostis potius acerrimus, illud omne sibi licare putans, quod nec a scelestissimis credas absque horrore posse perpetrari. Quod si itaque adversus ejusdem tyrannum propria privatus quispiam auctoritate bellum susceperit, ut ad mitios imperium & mores æquiores adigat imperantem; verius nihilominus esse puto, illum in perduellionis incidare crimen: est enim penes illum summa majestas, ut penes electum rite ac mora majorum constitutum legitime regni Principem. Et quamvis iis, quibus imperium adaptus est, parere neglaxerit conditionibus, & flocci fecerit fundamentales regni violare leges, quibus velut nexu ac copula Principi subjectos cohærere constat; non tamen illico jura principatus amisisse dici potest; difficillimi quippe negotii res ast de tyrannide judicara, nec privati cujusquam id arbitrio committendum:

dum: sic enim misera nimium foret imperantis conditio, si unus atque alter mala sua fortuna non æqua forte sibi putasset Principis imperia, illico clamaret, in tyrannidem degenerasse principatum, intolerabiles esse Principis injurias, in eoque tollendo, velut in atrocissima tyrannide extirpanda seditiose moveretur. Alii benigniorem eum experti magisque benevolum, summis ejus virtutes honoribus prosequerentur, & maximis extollerent ubique laudum præconiis: atque ita infelix ac summopere Principi perniciosa fœcunditate sua disseminaretur discordiarum planta, dum nusquam deficiunt novarum rerum libidine prurientes animi, quidvis in turbandi occasionem ac causam trahentes, & impuri passim reperiuntur artifices, quibus haud difficile foret, vel ex dulcissimis favis quasvis elicere virulentias: dum neque optimo Principi de omnibus de singulis bene mereri cupienti sui desunt æmuli, sui desunt invidi: adeo ut ne Titus quidem Flavius Vespasianus Augustus, deliciæ generis humani, odio ac vituperatione publica carere potuerit, Sueton. *in ejus vita* c. 1. Hinc est, quod Salvatorem nostrum vidimus, cum indigna multa atque injusta pateretur a populi Principibus illata, æquo tamen illa animo tulisse, nec auctoritate privata resistere voluisse ipsorum tyrannidi. Petrum quin etiam educto gladio ferientem acriter reprehendisse ut in re versantem prohibita, *Matthæi c.* 26. *vers.* 52.

Ut igitur constet omnibus, imperii jure decidisse tyrannum, universi populi, vel eorum qui vice ejus consuli consuevere, majestatemque realem repræsentant, revocationem atque declarationem antecedere necesse est. Sicut enim donatio non fit ipso jure nulla, si quidem donationi conditionibus adjectis haud paruisse contigerit donatarium; sed revocanda potius & per legitimam judicis rescindenda sententiam, priusquam donatarium rerum dominium possit ad pristinum redire possessorem: *l. fin. C. de revocand. donat.* Zoesius *in comment. ad pandect. de donationibus n.* 89. Ita nec imperii concessio, quandam præ se ferens donationis speciem, cui jurejurando confirmata solent utrinque interponi pacta atque conditiones, subjectos ad impigre parendum, ad juste imperandum Principem obstringentes, non ante censeri debet evanuisse, quam per revocationem populi totius appareat abunde voluntas. Quod si deinde pristinam regno privatus Princeps non Princeps, sola jam purpura & honoris antiquati vestibus spectabilis recuperare tentet armorum præsidio majestatem, non secus atque Reipublicæ hostem populus repellere, belloque libertatem defendere justissime poterit, uti quondam adversus ejectam Tarquiniorum familiam fecere Romani, Livius *l.* 2.

Cæterum in sacris literis hoc modo ereptum tyranno legimus imperium: cum enim Roboam Israelitarum Rex juniorum consilia secutus gravissimis populum vexaret oneribus, & se scorpionibus subjectos excepturum palam pronunciasset, non tamen ea de causa quilibet in eum irruebat velut in tyrannum, sed imperio decidisse publicis universus populus palam testabatur clamoribus; *quæ nobis portio*, inquiebat, *in Davide? neque hæreditas est nobis in filio Isai: vade in Tabernacula tua o Israel*, *4. Reg. c.* 12. Pari ratione, licet urbis incendium & alia horrenda in cives in exteros scelera Nero perpetrasset, non ante tamen et Imperii ereptæ habenæ quam Reipublicæ hostis a Senatu Romano judicatus esset, Sueton. in *Nerone c.* 49. Et quamvis in Belgium missus ab Hispaniarum Rege dux Albanorum plus quam belluina sæviret in subjectos atrocitate, sic ut memoriæ proditum sit, lentis quosdam carbonibus ustos, candentibus alios forcipibus enecatos, in conspectu maritorum violatas uxores, stupratas parentibus inspectantibus filias virgines, embryones divulsos ex utero materno, in patibulum sublata jam dudum quiete defunctorum cadavera, & innumera alia quæ affimus meminisse horret, quæque passim loquuntur annales & historiæ: usque adeo tamen contra Regem majores arma non sumpserunt, ut illius nomine adversus Albanum aliosque, ut in summum affectantes imperium bella gesserint; donec tandem unanimi Patrum conscriptorum suffragio fœderati Belgii majestate decidisse declaratus fuit Hispanus edicto *anno* 1681. 26. *Julii*.

Neque quemquam hanc ejurandi Principis tyranni viam improbaturum puto, nisi qui subjectis plus quam servilem censuerit imponendam esse conditionem: nam ne ipsis quidem servis, qui jure civili pro nullis habebantur, olim denegatum fuit ad evitandam dominorum sævitiam ad Principum confugere statuas, & de dominis iniqua querelas instituere, quo nimis atroci semet illorum subducerent imperio, *§. fin. Instit. de his qui sui vel alieni juris sunt*. Si quis legibus solutum dixerit esse Principem; proinde nec subjectis teneri vitæ reddere rationem, omnia Regi justa & honesta esse, & quicquid libuerit, licere, is secum reputet parumper obsecro auream illam Antigoni sententiam, qui, asserente aulico quopiam parasito omnia licita Regibus esse & honesta, *per Jovem*, inquit, *Regibus barbarorum; sed nobis sola honesta sunt honesta*, Plutarch. *in Apopht.* Et quamvis Ulpianus Principem dicat esse legibus solutum, ipsa tamen nescia vinci veritas illustrem illam ac cuivis obviam extorsit Imperatoribus confessionem *in l. 4. C. de legibus; digna*, ajunt, *vox est majestate regnantis legibus alligatum Principem profiteri; adeo de auctoritate juris nostra pendet auctoritas & revera majus imperio est submittere legibus principatum*. Neque dubium est, naturalibus gentium, fundamentalibus & multis civilibus imperantem legibus ligatum esse, id recta nobis dictat ratio, id vita sua & moribus humaniores quique Principes monstrarunt. Ut id late probat p. m. parens Paulus Voet *tract. de jurisprudentia sacra c.* 1. *sect.* 2.

25 Justa porro belli causa est legatorum violatio: illi namque velut publicæ personæ Principis, aut Reipublicæ vivam ac spirantem repræsentantes imaginem ab omni tempore etiam inter efferatas ac barbaras gentes sacrosancti fuerunt atque inviolabiles, *l.* 8. *ff. de rerum divisione*. Quod respexisse credo Germanicum, cum Pannonicas in seditionem ruentes objurgans legiones, illas *sacra legationis & jus gentium rupisse* diceret, Tacit. *Annal. l.* 1. *c.* 42. hos quisquis contumeliis asperis impetierit, ipsi Reipublicæ, ipsi Principi, cujus vicem sustinent, inju-

juriem censetur intulisse. At vero illum, penes quem residet majestas, si per extraneæ nationis homines injuriis affectus fuerit, armis admissum posse vindicare crimen, non est quod dubitemus, si legitimis ac sufficientibus ipsi non satisfiat modis ab illa, cujus incolæ nefarium scelus admisere, Republice. Quare, ut evitentur hæ bellorum calamitates, dedendum Pomponius hostibus dicit eum qui legatos pulsasset, *l. fin. ff. de legationibus*, ne Reipublicæ clavo essidentes ejusmodi videantur approbare vel laudare subjectorum facinora. Plurima bellorum exempla nobis exhibent historiarum scriptores, quorum si fontem investigemus atque originem, violata legatorum jura primam illis animadvertemus præbuisse causam. Cum missis ad se Davidis nunciis ad lugendum parentis obitum Hanon Ammonitarum Rex vestes rescidisset barbamque penitus rasisset, gravia quoque sibi sensit Davidis arma; 2. *Samuel. cap.* 10. Propter interemptos a Macedonibus legatos validum Megabasus adversus illos misit exercitum: Justin. *lib.* 7. *cap.* 3. Per obscœnam turpemque dicta contumeliam violata Romanorum legatio primam Tarentini belli dedit originem: Florus *lib.* 1. *cap.* 18. Acerrimo etiam propter illatam legatis necem Romani cum Fidenatibus prælio depugnavere: Diod. Sicul. *hist. lib.* 12. Pari de causa motum a Romanis in Illyrios bellum, & strictis in gentis illius Principes securibus, legatorum manibus litatum: Florus *lib.* 2. *cap.* 5. Cumque Tyrii missos ad se caduceatores indigna nece peremptos in altum præcipitassent, in eam exarsit iram Alexander, quamquam satis mitis alias ingenii Princeps, ut ab urbis obsidione non ante desisteret, quam undique superba tecta consumpsisset incendii strages, plerique ferro periissent urbis incolæ, ac duo millia virorum, in quibus occidenti rabies defecerat, juxta littus crucibus effixa essent: *Curt. lib.* 4. *cap.* 2. 3. 4.

26 Cæterum si subsecuto fœdere sublata semel fuerit ac sopita juste belli causa, aut transactum sit de negotio, quod armorum præbere forte potuisset ansam, liberum cuiquam non amplius est ex obsoleta illa atque antiquata causa de novo bellandi quærere occasionem. Verum quid si dolo quis ad feriendum fœdus fuerit inductus, Josua cum Gibeonitis fraude circumventus pacem iniverit, num, ubi se deceptum resciverit, ex iisdem illis, quæ ante fœdus sufficientes erant, causis bellum decipientibus inferre possit videamus. Nihil in contrahendo magis esse necessarium quam consensum, notius est quam ut probatione egeat: at ubi dolus est, ibi omnis exulat consensus, omnis ibi cessat conventio, ac paciscendi voluntas, sicut & contractus, & transactiones, quibus causam dolus dederit, aut nullas esse aut rescindendas utique, ac doli infringendas exceptione jura voluerint: *l.* 7. *ff. de dolo l.* 16. §. 1. *ff. de minoribus l.* 3. §. *fin. pro socio l.* 36. *ff. de verb. obligat.* & nullum sit jusjurandum cui dolus causam dedit Zoes. *ad tit. ff. de jurejur. num.* 75. Unde mihi concludendi fiducia, Josuam jure summo Gibeonitas hostium loco habere potuisse non obstante fœderis atque juramenti vinculo. Et si penitius intueamur facti speciem, non in universum pacis illum conditionibus atque juramento stetisse percipiemus: cum enim jurisjurandi vis atque efficacie potissimum ex jurantium mente ac verbis æstimetur, nec probabile sit Israelitas, cum fœdus ferirent, destinasse Gibeonites ad durissima ligni cædendi & aquæ hauriendæ servitia, verum non secus ac quasvis alias longinquas gentes, illos solummodo tributarios efficere voluisse, evidens quoque fit, ad dolum in deditis puniendum illos a jurisjurandi recessisse mente & intentione: Albericus Gentil. *de jure belli lib.* 2. *cap.* 5. & *lib.* 3. *cap.* 19. Neque me movent in contrarium allata a Roberto Sandersone argumenta, *tract. de juramento prælect.* 4. *sect.* 12. Quibus evincere se posse putat, Josuam rite sancteque fœdus illud observare debuisse. Primum namque quod attinet, Deum scilicet egregiam Josuæ concessisse victoriam pro Gibeonitis contra conjuratos in eorum perniciem Reges decertanti; non inde fœderis inferri potest justitia: neque enim propter Gibeonitas fuit impetratus ille de Regibus triumphus; sed potius propter Abrahamo factam a Deo promissionem de danda ipsius posteritati terra Cananitica, quodque dudum ante pactum fœdus iidem illi reges essent devota capita. Non etiam majores habet alterum stringendi vires; violatum nempe per Saulum fœdus post centum & amplius annos triennii fame & septem ex liberis ejus expiatum fuisse publico suspendio. Saulus namque fœderi, cui dolus causam dederat, non erat alligatus; sed posteaquam dolum Josua novisset, nova quasi voluntate primum illud innovevit fœdus, additis de ligno cædendo & aqua haurienda conditionibus priori non insertis: *Josuæ* c. 9. *vers.* 33. 35. cumque jam omnis ab illo longe dolus abesset (sciens enim prudensque nemo fallitur), etiam procul dubio justum ac legitimum debuit haberi, & ex eo demum Saulus ad fidem Gibeonitis servandam fuit obligatus. Nec quicquam juvat, quod optimates jurasse se per Deum ideoque nec illos occidere posse deprædicent; in summa enim populi consternatione, ac tumultu non minus incogitanter in hæc verba eruperunt non consulentes oraculum divinum, quem eodem non requisito fœdus pepigeret. Una restat dissolvenda a Grotio in medium allata difficultas, qua Josuæ jusjurandum ad obligandum contendit efficax fuisse: *l.* 2. *de jure belli cap.* 13. *n.* 4. quia licet non fuisset deceptus Israeliticus populus, fœdus tamen cum Gibeonitis de vita conservanda feriisset. Rationis reddit rationem, quia lex divina, quæ populos illos internecioni devovebat, erat intelligenda, si moniti statim imperata non fecissent, juxta *Deut.* 20. *vers.* 10. At ignoscant hic mihi tu viri docti verba jurare soliti, si nullius esse momenti dixerim hanc ipsius rationem: non enim locus ille *Deut.* 20. *vers.* 10. de devotis & impiis illis agit gentibus; de cæteris quos extra terram Canaan commorari compertum foret, belli jura Deus ibi præscribit; versu quippe 15. ait: *ita facietis omnibus urbibus quæ longe a vobis dissitæ sunt, quæ non sunt e civitatibus harum gentium.* Versu vero 16. demum de devotarum gentium civitatibus incipit mandata dare; *sed in urbibus*, inquit, *harum gentium, quas Dominus Deus vester dedit vobis nemini respiranti*

ti vitam relinquetis, verum omnes perdetis, Hittæos &c. Inter quas etiam numeratos fuisse Gibeonitas patet ex *vers.* 16. *junct. Josuæ cap.* 11. *vers.* 19. Quid quod disertis Deus verbis vetuerit, ne cum illis gentibus aut fictitiis eorum Diis fœdera ferirent: *Exod.* 23. *vers.* 32. Cujus & edicti non immemores Israelitæ Gibeonitis pacem ac fœdus petentibus prudenter respondebant; *forte in medio nostrum habitatis: quo pacto igitur fœdus vobiscum ferire possemus?*

27 Quod si ruptis fœderibus violata pace bellum fuerit a Principe susceptum, legitimam subesse caussam eo impellentem præsumi debet, utique a subjectis. Si tamen insontibus illud & immerentibus intulerit, sic ut ne fingi quidem queat aliqua probabilis armorum ratio, & meridiano sole clarius unicuique de illius constet injustitia; ad operam suam in iniquissimo bello Principi navandam non obligatos esse crediderim subjectos: *arg. l.* 27. §. 1. *ff. de actione rer. amot.* Si enim servus, animata domini possessio, dicto ejus impiis in facinoribus audiens esse non teneatur, (qui sensus *d. l.* 27.) multo minus imperantibus opem ferre parentes necesse est in remoto prorsus a justitia & æquitate negotio: idem quippe, si non major, inter dominum & servum, qui inter civem & magistratum, nexus est atque juris vinculum. Quid quod ad rem turpem & injustam nulla per conventionem produci possit obligatio, neque quisquam juris auctoritate constringi queat ad peccandum, adeo ut si vel maxime ad iniqua in aliam gentem arma movendam suam opem atque auxilium subjecti promisissent, jure tamen merito possent a temerariis resilire promissis: Rosenthal. de *feudis cap.* 8. *conclus.* 20. *n.* 1. 2.

28 Porro non uno modo Reipublicæ, pro cujus noctes diesque invigilant incolumitate, prodesse, & adversariis inferre damnum satagunt copiarum duces: namque vel armata manu & aperto Marte belli solent aleam tentare, vel hostilem fraudis adminiculo subvertere potentiam. Fraus autem alia licita est, alia illicita: licitam appello, quæ fit per stratagemata bellica proprie sic dicta; dolum bonum vocat Jurisconsultus in *l.* 1. §. 3. *ff. de dolo*, & simpliciter dolum Tacitus *Annal. l.* 12. c. 32. *non ausis*, inquit, *aciem hostibus, vel si ex occulto capere agmen tentarent, punito dolo.* Eumque jure permissum esse docet Augustinus, *caus.* 23. *quæst.* 2. *cum bellum susceperit*, inquit, *utrum aperta pugna, utrum insidiis vincas nihil ad justitiam interest.* Multis aliis id more suo Grotius confirmat veterum sententiis de *jure belli ac pacis lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 6. Et certe, si naturaliter esse licitum contrahentibus in pretio se mutuo circumvenire dixerit Pomponius in *l.* 16. §. 4. *ff. de minoribus*; si permissum sit inter amicos aliqualem adhibere lucri gratia calliditatem: quonam obsecro jure prohibitum erit inter hostes uti quibusdam belli artibus & ingenii solertia, vel adversariorum prudenter evitare furores, vel ipsorum negligentia sponte semet offerentem arripere rei prospere gerendæ occasionem. Sic incolis Haji Josuam struxisse vidimus insidias: *Josuæ* c. 8. *vers.* 4. *& seqq.* sic timorem fugamque simularunt Israelitæ, Gibbæ cives extra vallum cupientes elicere, quo possent tutius in insidiis collocati nudatam propugnatoribus occupare civitatem: *Judic. c.* 20. *vers.* 29. *& seqq.* & in excogitandis ac adhibendis piis hisce fraudibus non minimam militaris peritiæ consistere partem, felicium inde secutorum, per omne tempus eventuum frequentia edocuit.

29 Et quamvis ingloriam, ac minus illustrem nonnulli judicent esse victoriam, in qua non aperto Marte, vel solis armorum viribus adversarii fuga salutem sibi quærere fuerint compulsi: laude tamen illum majore dignum censeo, qui callidis commentis hostilem superare noverit exercitum, & astu in potestatem redigere munita natora, vel arte loca. Dum enim bisce belli fraudibus contenditur acerrime, multum ferro parcitur & hostili sanguini, quod suadet usque naturalis æqoitas, suadet illa communis inter homines cognatio: sociorum atque militum saluti consulitur & incolumitati dum periculosis hostilium tormentorum ictibus exponere sese non cogootur; sed brevi paucorum periculo duri ac diuturni redimuntur exercitus universi labores atque calamitates, & incruenta sine luctu victoria paratur: tempori consulitur, dum unius forte diei noctisve spatio perficitur atque superatur, quod annalem alias aut longiorem requireret obsidionem, publico denique consulitor ærario, dum paucorum impendio præmiorum, quæ viris fortissimis pro Republica in utrumque paratis erogari solent, ab innumeris liberatur expendendis in obsidiones & alia sumptibus. Quod si nobiliores sint animi quam corporis actiones, si perfectiores, & illustriores a mente quam a manu prodeuntes operationes, dubium nulli amplius esse potest belli stratagemata longe viribus apertis esse præponenda: illis enim hostilem dum infringunt exercitum, magis sese præstant homines, præcipuam humanæ naturæ partem bellicis occupatam cupientes negotiis: cum ex adverso belluinum magis quam humanum liceat in his observare præliandi morem, qui indomitæ fidentes dextræ non secus ac feroces leones sine astu, sine solertia solis viribus in mutuam ruunt utrinque perniciem.

30 Præter hæc licita & omni jure concessa belli furta, est & alius in hostes dolus, qui cum fœderum, promissorum, jurisjurandi violatione conjunctus est. Ejus exemplum memorabile nobis exhibet Reidanus *histor. lib.* 1. in Ludovico Requesenio exercitus Hispanici summo præfecto: is namque Granatenses Mauros induciarum fiducia fretos ex improviso concubia nocte per centuriones aliquot opprimi curavit: cumque rupta Mauri quererentur fœdera; ipse velut omnium ignarus eosdem illos, quibus id in mandatis ipse dederat, centuriones ad capitale statim rapi suppliciom jussit, commissam perfidiam novo ac crudeli scelere diluturus. Sic quondam Cleomenem, licet paulo subtilius, adversarios circumvenisse legimus: cum enim septem dierum inducias cum hoste pepigisset, tertia nocte jurisjurandi fide securos armis oppugnavit, diebus non esse noctes comprehensas inquiens, Plutarch. *in Apopht.* plura refert Alberic. Gentil. *l.* 2. c. 4. Ajalia *de jur. & offic. bell. l.* 1. c. 6. *n.* 4. 21. existimarunt forte

te duces illi cum Lysandro, *pueros quidem talis decipere oportere, sed viros jurejurando*, teste Plutarch. *in Apopht.* Interim fraudes ejusmodi moratiorum fere gentium execrata est consuetudo, & detestandum censuit esse scelus, neglecta jurisjurandi religione, violata fide quemquam decepisse, vel insidiis oppressisse deceptum: Bocerus *de bello cap.* 13. *n.* 18. *ibique DD. citati*. Grave scilicet est fidem fallere, *l.* 1. *ff. de constituta pecun.* durum & injustum adversus sua pacta, vel promissiones venire, *l.* 29. *C. de pactis*, iis quippe conservatur atque fovetur humana societas; iis abuti si jure permissum foret, & impunitum, omne statim turbaretur inter homines commercium, periret omnis fœderum, omnis evanesceret conventionum usus, nec ullum amplius sacramenti præstiti vinculum constringere posset.

31 Cum autem illicitus sit omnis conjunctus cum fidei violatione dolus, quæsitum, num adversus hostes uti jure liceat proditorum opera? negandum illud forte quispiam existimet: cum manifestum sit, in proditione ruptam concurrere fidem; juste proinde ac generose fecisse Camillum, cum perfidum in urbem remitteret una cum impuberibus Faliscorum pædagogum, eos in Romanorum castra ducentem, nec ab ejusmodi sibi temperaret elogio; *eos tu, quantum in te fuit novo scelere vicisti. Ego Romanis artibus virtute opere armis sicuti Vejos vincam:* Livius *l.* 5. rectius tamen Grotium distinguere censeo *l.* 3. *de jure belli ac pacis cap.* 1. *n.* 22. Videndum inquit num quis subjectum ad violandam impellat Principi suo datam fidem; num vero sponte sese quis obtulerit. Neminem decet ad illicitum stimulari debere negotium, adeoque nec ad proditionem; cum non minus ille delinquat, qui ad enorme crimen aliquem commoverit, quam si illud ipse commisisset, ad quod perpetrandum instigasset alium. At oblato sponte, non expetito proditoris auxilio, commodam inde captare prosperi successus occasionem non divinis legibus inhibitum, non improbatum populorum consuetudine: quisquis enim absque prævriis ad prodendum stimulis solummodo perduellis e scelere sibi commodum quærit, nec inde subsecutam adversariis inferendi damni præterire sinit occasionem, is non proditionis auctor est, non laudat illius qui patriæ, qui Principis sui sese hostem profitetur, non approbat perfidiam. Atque ita optimo jure captivos Camillus detinere potuisset Faliscorum pueros, quos nullo suo scelere nullis artibus adhibitis in castris reperisset. Non esse confiteor facienda mala, ut inde quid boni prosilire posset; quominus tamen fine bono artibus licet sinistris per alium sine facto meo comparato, velut via ad ulteriorem finem ducente uti mihi liceat, nulla ratione prohibitum, nulloque jure negatum puto, non magis, quam si prudenti quis ac strenuo duci nefas esse duceret tumultu plenam & seditione divisam inimicorum oppugnare civitatem, vel debilitata militum dissensione superare castra; ne crimen illorum in rei feliciter gerendæ occasionem videretur arripuisse.

32 Vidimus hactenus quæ licita quæ jure prohibita sit in armis fallacia: ardua satis discutienda superest controversia, utrum ad pias & justas, an ad impias potius fraudes referendus sit dolus non fœderis quidem, vel datæ fidei violationem, mendacium tamen non secus atque comitem ac pedissequam conjunctum habens, veluti si sciens volens ejusmodi quis verba protulerit, quæ nullam aliam ex usu communi recipere queunt interpretationem, quam quæ fuerit directo veritati contraria, quo posset irritos ac frustraneos hostium efficere conatus? & nullo jure vetitum statuunt ejusmodi falsiloquium Grotius *de jure belli ac pac. lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 17. Alberic. Gentilis *de jure belli lib.* 2. *cap.* 5. Atque ita passim observatum probant, adductis in medium & virorum pientissimorum auctoritatibus, & plurimis illustrium belli ducum exemplis. Verum si cuncta libeat æqua trutinare lance, & postpositis rationi factis accuratius perpendere non quid Romæ fiat, sed quid fieri justum sit & honestum, veritati congruum magis esse animadvertemus (ut ut quotidiana nobis adversari videatur in castris experientia) illicitas has esse in bello fraudes, nec impune falso apud hostes jure divino quemquam uti posse sermone. Conservandos quidem fateor esse socios, procurandam Reipublicæ salutem, evertendas hostium vires, eludendos ipsorum conatus; at licita & divinis probata legibus adhiberi remedia fas est. Peccato namque juxta summi doctoris admonitionem, non indulgendum ad captandum sibi suisque proveniens inde commodum, *epist. ad Roman. cap.* 3. *vers.* 5. ast quisquis consulto veritati contrariam effutierit sententiam, delicti reus est; *tu perdes omnes qui loquuntur mendacium*, inquit propheta David *Ps.* 5. *vers.* 7. hæc certa & indubitata est a Justitia divina profecta regula, cui cum in omnibus aliis locus esse debeat, quo minus & huic nostro sit applicanda casui, nullam video prohibere rationem, præsertim cum vulgatum sit, fixam & immotam quamque stare regulam, donec vel disertis exceptio sit demonstrata legum verbis, vel justa possit atque sufficiens ejus allegari causa. Quod si non possit ad detegendas & exstirpandas hæreses adhiberi mendacium; si ad convertendos & reducendos aberrantes a veritatis tramite mortales non ficta vel menti contraria ferat Deus a fidelibus adinveniri verba, uti luculenter illud & evidentibus ab Augustino probatur argumentis libro contra mendacium *cap.* 6. 7. multo minus ad civilem hanc conservandam in hoc vitæ curriculo felicitatem falsas citra vitium licebit adversariis obtrudere sententias, aut excogitare veritati contrarias enuntiationes. Si quis, cum in hostes incidisset, eo necessitatis sese redactum videat, ut aut perdere responso vero socios, aut hostes circumvenire mendacio cogatur, neque verbis possit ambiguis dubios illos & animi pendentes efficere, Firmi Tagastensis ecclesiæ episcopi generosam imitetur constantiam; quem, cum alium ad se confugientem maxima diligentia occultasset, quærentibus ab ipso Cæsaris apparitoribus, ubinam delicti reus esset, respondisse memoriæ prodidit Augustinus *d. lib. contra mendacium cap.* 13. *nec mentiri se posse, nec hominem prodere*, eaque de causa diros & horrendos stupenda magnanimitate perpessum esse cruciatus. Neque refragantur hisce produ-

ducta e sacro codice Rachabæ & Elisæi exempla, e quibus evidens esse putant opinionis adversæ patroni, licitum esse jure divino & laudabile mendaciis hostem fallere; non Rachabæ factum, nam verum quidem est, illam ad liberandam ab interitu speculatorum vitam verba dedisse quærentibus, sed & firmum est illam, cum mentiretur a peccato non immunem extitisse. Neque quisquam dixerit, eam omnemque familiam beneficiis in mendacii remunerationem fuisse cumulatam: non enim ei pepercerunt Israelitæ quod falso sermone frustraneam effecisset inimicorum in quærendo diligentiam; sed quod illos summa cura viros occultasset: non propter sinistras ad finem bonum tendentes artes, sed ob ipsum felicem via licet illicita quæsitum finem & eventum: quomodo & in Egypto constat a Deo benedictas Israelitarum obstetrices. Elisæum vero quod attinet, non hostes ab illo per mendacium aversos ab urbe puto, cum enim diceret; *hæc non est via, hæc non est urbs; ducam vos ad eum quem quæritis;* lumine captus erat universus Assyriorum exercitus, & noverat propheta, non ante pristinum recepturos illos oculorum usum, quam Samariam intrassent; sic ut absque mendacio, dono Dei jam certior factus illos eum non nisi intra Samariæ muros videre vel intercipere posse, dixerit; hæc non est via &c. Ubi scilicet videre vel intercipere poseitis illum quem quæritis.

33 Bellum denique aliud terrestre est, aliud maritimum; & quamvis utrobique iisdem fere res geratur armis viris & animis, duriora tamen & horrenda magis esse navalia certamina docet abunde quotidianus usus: præter eosdem enim adversarios etiam quandoque, casso fractoque tormentorum ictibus, aut ventorum furore navigio, irati maris insaniam, quandoque contumacem flammarum rabiem, & incendii miserias experiri coguntur; sic ut illos sæpe, quibus hostium pepercere tormenta, consumat ignis, aut incendii jam periculo subductos aquarum tamen absorbeat impetus: quæ licet viros strenuos periculi magnitudine terrere potuissent; navalibus nihilominus præcipue præliis hæc nostra Respublica, summum ad honoris & gloriæ fastigium ex parvis ac prope contemnendis evecta fuit initiis, & usque adeo temporis successu adaucta majestas ejus & opes, postquam prima castellis aquaticis libertatis nostræ fuerunt extracta fundamenta, ut divina favente gratia non hodie cujusquam formidare teneamur vim atque potentiam. Unde datum quondam Atheniensibus ab Apolline Pithio oraculum, ut *muris ligneis salutem tuerentur*, non immerito fœderatis quis applicuerit Belgii Provinciis.

CAPUT II.

De militia, qui, quales & quomodo in militiam sint adscribendi.

1 *Variæ enumerantur militiæ significationes.*
2 *Militis definitio & etymologia proponitur.*
3 *Non sufficit ad id ut quis miles dicatur, quod solummodo matriculæ militum inscriptus sit.*
4 *Quid sit in numerum relatio?*
5 *Quæ ejus requisita?*
6 *Olim inviti in militiam adscripti milites.*
7 *Quomodo milites tam pedites quam equites apud Romanos lecti fuerint?*
8 *Milites lecti probabantur ac stigmate notabantur.*
9 *De sacramento militari ejusque necessitate & utilitate.*
10 *Quid sit cingulum militare?*
11 *Post relationem in numeros demum cincti milites, non ante.*
12 *Quo pacto hodie penes nos conscribantur milites?*
13 *De stipendio militum, ejus definitione origine & augmento.*
14 *De vestibus & annona militum.*
15 *Ante alios eligendi militum filii.*
16 *Pauperibus anteponendi ditiores.*
17 *A militia arceantur fœminæ.*
18 *Ut & clerici seu ecclesiasticæ personæ.*
19 *Natura insuper aut captivitate servi & his similes.*
20 *Non eligendi impuberes, ubi de justa ad militiam ætate.*
21 *Nec infamia notati, ob atrox scelus damnati criminis capitalis rei.*
22 *Nec hæretici.*
23 *Nec surdi, muti, cæci.*
24 *Nec castrati.*
25 *Nec in armis tractandis imperiti.*
26 *Nec coloni, saltuenses negotiatores.*
27 *Nec timidi aliique his affines.*
28 *Nec luxuriæ ac voluptatibus dediti.*
29 *Rustici urbanis præferendi.*
30 *Juvenes etiam anteponendi senibus, si de gregariis quæstio sit, non item si de ducibus.*
31 *Utrum expediat ex una gente, an vero variis e populis conflatas ducere copias.*

1 Exposita paucis belli natura primum sibi locum vindicat apti bello militis electio; certum quippe, sine milite non commode tentari posse Martis aleam, nec populationes & infestas inimici exercitus impediri rapinas. Varias autem nobis exhibet jus nostrum militiæ species: neque enim soli militant, qui gladiis clypeis & thoracibus utuntur, verum aut civilis est, aut togata, aut armata; civilis mentionem facit Imperator in *l.* 5. *C. qui militare poss.* atque hæc pretio vendi potest & liberis in legitimam solet imputari, *l.* 30. *in fine C. de inoffic. testam.* ac communia quædam cum armata militia jura sortitur, veluti quod utramque nulli gerere possint negotiatores, neque duas quisquam quæt eodem simul retinere tempore, & alia *l. unic. C. negotiat. ne militent.* Togata advocatorum est & juris peritorum; militant namque causarum patroni, qui gloriosæ vocis confisi munimine laborantium spem vitam & posteros defendunt, *l.* 14. *C. de advocat. diversor. judiciorum.* Et hujus cum armata convenientiam bellissime depingit eloquentiæ parens in oratione pro Murena. *Vigilas tu de nocte*, inquit, *ut tuis consultoribus respondeas: ille, ut quo intendit, mature cum exercitu perveniat; te gallorum,*

rum, illum buccinarum cantus exsuscitat; tu actionem instituis; ille aciem instruit; tu caves, ne tui consultores, ille ne urbes, aut castra capiantur; ille tenet & scit ut hostium copiæ, tu ut aquæ pluviæ arceantur; ille exercitatus est in propagandis finibus, tu in regendis. Est denique armata militia, per excellentiam quandoque militia simpliciter dicta, de qua paucis tractare nostri proprie hic est instituti.

2 Miles est, qui in numerum relatus sub armata militia stipendia meret, *p. mem. Parens ad princip. Instit. de testam. militis n.* 2. sic appellatus a militia, vel a multitudine, vel a malo quod arcere solent, vel a numero mille hominum, quasi millesimus, aut inter mille lectus, uti disputat dubius, ac vix sibi constans Ulpianus in *l.* 1. *ff. de testam. milit.* licet postremam magis probare videatur opinionem, diutius ei quam cæteris inhærens; præsertim cum plures enumerans eodem de negotio sententias, elegisse præcipue postremam videatur, *arg. l.* 10. *in princip. vers. potius enim hoc ff. de acquir. vel amitt. possess.* Bocerus *de bello c.* 6. *n.* 7. & certe maxime probabilis illa militis est etymologia: sicut enim *tribus* Romæ dictæ sunt, quod initio tres tantum essent a Romulo institutæ, quarum ille singulis virum clarissimum præfecerat: Dionys. Halicar. *antiquit. Romanar. lib.* 2. Quæ licet invalescente Republica ad triginta quinque tandem numerum accreverint: antiquum tamen nomen primitus impositum constanter usque retinuerunt. Sic quoque, cum initio rei Romanæ ex unaquaque tribu mille tantummodo viri mitterentur, quisquis inter illos mille lectus esset, militis nomen sortitus est: Connan. 9. *comment. jur. civil. c.* 5. *n.* 1. Et quamvis postea prementibus undique copiis hostilibus non observatus fuerit ille solitus ex quaque tribu dari numerus; usu tamen inveterato probatum mansit assidue militis nomen. Ad illud igitur ut miles armatus quis esse queat duo de necessitate requiri puto, primo ut in numerum relatus sit. Secundo ut stipendia mereat.

3 Cum militem in numeros dico referendum, nullo modo sufficere censeo, nomen ejus inscriptum esse matriculæ, verum illud insuper desiderari, ut in ordinem aliquem referatur aut classem, certisque sub signis sit, *l.* 4. *l.* 35. §. 1. *l.* 42. *ff. de testam. militis l.* 31. *C. locati*, *l.* 15. *Cod. de re militari*. Quoscunque enim matriculæ solummodo inscriptos esse constat, eos sacramentum nondum præstitisse Vegetius auctor est *lib.* 2. *de re militari c.* 5. sic ut hic numeri vocabulum non aliud designet quam ordinem, seu militum collectionem, quales sunt cohortes, centuriæ, contubernia, turmæ, alæ, cunei &c. *l.* 2. *in princ.* & §. 1. *ff. de his qui notantur infam. l.* 4. §. 10. *ff. de re militari lib.* 31. *Cod. locati*.

4 In numeros autem relatio actus est quo lecti, probati jurati milites sub certa signa, vel exercitus partem referuntur. Bocerus, *de bello c.* 10. *n.* 1. eoque segregantur a militibus tyrones, qui quamvis & lecti sint, & iter publicis faciant impensis, militum tamen non continentur appellatione, neque militaribus ante gaudere queunt prærogativis, quam certos in numeros relati sint, *l.* 42. *de testam. milit.* Cognatus noster Stewech, *ad Veget. de re milit. l.* 2. *c.* 5.

5 Ut vero partibus omnibus absoluta atque perfecta dici valeat in numerum relatio, varias solemnitates antecedere necesse est: milites namque primo legi, lectos probari, probatos sacramenti religione semet obstringere, tum demum in numeros referri decet; qui quidem ultimus in illis constituendis actus est ex non milite militem efficiens, & omnia militaria jura tribuens atque privilegia, *d. l.* 42. *ff. de testam. milit.*

6 Inviti quondam penes Romanos electi milites; & usque adeo impositam suscipere coacti militiæ conditionem, ut si lecti non respondissent, pro proditoribus haberentur & capitali plecterentur supplicio, *l.* 4. §. 10. *ff. de re militari;* si vero pater militiæ filium subtraxisset, in pace quidem fustibus cæderetur, belli tempore bonorum parte mulctaretur & exilio, ipse autem filius in deteriorem daretur militiam, *d. l.* 4. §. 11. sed immutatus postea fuit ille militiæ status, & voluntario milite plerumque novo jure numeri suppleri cœperunt, *d. l.* 4. §. 10.

7 Ut autem gloriæ æmulatione ducta quæque legio promptius in hostes moveretur in prælio, neque posset speciosum, quo minus virtute cæterarum res gestas adæquaret, adinvenire velamen, summa illud diligentia curarunt usque Romani, ne virorum præstantia, vel numero alia aliam superaret; verum, ut in unaquaque æquales essent robore milites, pares fere ætate, majestate, ac peritia duces, effecerunt. Consules ea de causa diem certum constituebant, eoque præsto jubebant esse Romanam in Capitolio juventutem: ubi dies præfixus illuxisset, oblatis tot simul peditibus, quot legiones conscribere destinassent, ex oblato primo numero primi virum accipiebant legionis primæ tribui; dato secundo totidem juvenum numero, ex eo primi sibi militem sumebant legionis secundæ præfecti; e tertio legionis tertiæ ducibus ante cæteros optio dabatur, atque ita mutua vicissitudine primi mediis, medii ultimis, ultimi primis principem concedebant in eligendo locum, donec legitimus repletus esset legionum numerus, *Polyb. l.* 6. equites seorsim a censoribus electi, qui etiam vel nimis obæsos, vel nimium macilentos equos habentes velut indignos equo privabant: Gellius, *l.* 4. *noctium Attic. c.* 12.

Ea, qua dictum, methodo cooptati milites per quatuor mensium spatium, vel amplius solebant exerceri, quo commode cognosci posset, utrum tanto operi pares essent & idonei; & minus apti bello repudiarentur ut inutiles, fortioribus aliis in illorum locum substitutis.

8 In certum deinceps ac patentem convocati locum probabantur a Tribunis, Polyb. *l.* 6. posterioribus temporibus a militum magistris; unde & in *l.* 1. *C. qui militar. possunt*, milites offerre sese jubentur his qui probandi jus habent: jure tamen novo non tribuni, non duces, non equitum magistri, sed solus Imperator ex Zenonis constitutione probatorias militum faciendi potestatem sibi vindicavit *l.* 17. *C. de re militari*.

Pro-

Probatorum autem brachiis stigmata, seu notæ publicæ infligebantur, partim ut de probatoria constaret, partim ut latitantes, vel aufugientes e notis istis facilius cognosci possent, & meritis pro delicti gravitate subdi suppliciis: *l.* 3. *C. de Fabricensibus*: Veget. *de re milit. l.* 1. *cap.* 8. neque enim ejusmodi imposita cuti puncta ulla humana arte ita deleri poterant, quin perpetuo brachiis aliquod ipsorum adhuc inhæreret vestigium, unde *victuris in cute puncti milites* dicit Veget. *lib.* 2. *de re milit. cap.* 5. *ex Stewechii emendatione*.

9 Postquam ita notati essent, sacramentum militare præstare cogebantur. Quod quidem nihil aliud erat quam solemnis verborum conceptio, qua sese ducibus obtemperaturum, eorum mandata pro viribus executurum, neque deserturum militiam, neque mortem recusaturum pro Republica miles promittit. Eligebatur autem e legione juvenis maxime idoneus, & concepta per tribunos verba proferebat: reliqui omnia quæ primus ille se facturos promittebant: Polyb. *lib.* 6. & illud quandoque strictis gladiis cervicibusque admotis dictum fuisse testis est Ammianus Marcel. *l.* 21. Initio autem Reipublicæ Romanæ jurejurando confirmatum non fuit apud Tribunos sacramentum militare; sed equites decuriatim, pedites centuriatim voluntarium præstabant inter se jusjurandum: bello demum Punico secundo L. Flacco & C. Varrone, uti Frontinus ait *lib.* 4. *stratag. c.* 1. *n.* 4. seu potius L. Emilio Paulo Terentio Varrone consulibus jurejurando a Tribunis adacti milites, jussu Consulum se conventuros, neque injussu abituros: Livius *lib.* 22. alia proponuntur in formulis ab A. Gellio *lib.* 16. *noct. Attic. c.* 4. & Vegetio *de re milit. lib.* 2. *cap.* 5. exhibitis. Cæterum annis singulis, Kalendis scilicet Januariis, jurare milites cogebantur. *Kalendis Januariis*, (inquit Sueton. in vita Galbæ cap. 16.) *adigi Sacramento nisi in nomen Senatus recusarunt*. Quod si repentinus suboriretur tumultus, sic ut solemni more cuncta peragi non ferret temporis angustia; non singuli sed simul omnes conjurationem instituebant; exercitum namque ducturus in capitolium adscendebat, & prolatis duobus vexillis, roseo ac ceruleo, illo pedites, hoc equites convocabat, edicebatque, ut quisquis salvam vellet Rempublicam se ducem sequeretur. Quotquot igitur ei sese comites adjunxissent, simul jurabant. Nonnunquam etiam ad singularia quæpiam jurejurando promittenda milites a ducibus coactos fuisse fides historiæ abunde probat. Supplicii comminatione mortisque metu compulsi a præfectis suis Samnites, ut diro carmine sese devoventes jurarent, ex acie se non fugituros, aut extemplo occisuros eum quem e prælio fugientem vidissent: Livius *lib.* 10. Et Petrejus exercitui Pompejano præpositus, eo suos milites adduxit, ut jurejurando promitterent universi, se duces exercitumque non deserturos, neque proditūros, neque separatim a reliquis sibi capturos consilium: Cæsar *lib.* 1. *de bell. civ. cap.* 76. Adeo autem necessaria fuit hæc in milite Sacramenti dictio, ut etiam si quis in exercitu vagaretur, absque ea tamen adversarium ferire nefas illi esset: Plutarch. *probl.* 38. cum enim, qui non præstito jurejurando in hostem ruit, non tam Reipublicæ causa illud agere, quam suæ quidem servire libidini & crudelibus indulgere velle affectibus veteres crediderunt. Ubi vero sese sacramenti fide milites obstrinxissent, tanto quandoque illius injecta solummodo mentione illos in prælium ardore concitatos fuisse constat, ut duces optimi turpem sæpe stiterint & infamem suorum fugam. De M. Fabio testatur illud Livius *lib.* 2. *Marcus* inquit *Fabius Consul transiliit jacentis* (Quinti nempe Fabii in prælio interempti) *corpus objectaque parma; hoc jurastis inquit milites* (*fugientes vos in castra redituros*) *adeo ignavissimos hostes magis timetis quam Jovem Martemque per quos jurastis? at ego injuratus aut victor revertar, aut prope te hic Q. Fabi dimicans cadam*. Quibus auditis in hostes illico cum Consule conversus universus exercitus acerrime prælium redintegrabat, & timoris ignominiam novo virtutis specimine diluere nitebatur.

10 Post dictum denique rite sacramentum milites in numerum relati. Atque ut de eo palam omnibus constaret, militiæ cingulo consuevere cingi: *l.* 25. *l.* 38. §. 1. *l.* 43. *ff. de testam. militis*; neque penes solos Romanos, sed & apud alias gentes hæc observata fuit cingendi consuetudo: nam & Moabitæ cum Israelitis prælio decertaturi omnes illos convocasse dicuntur qui cingulo, velut insigni militiæ, semet accingebant: 2. *Regum cap.* 3. *vers.* 21. & in sacro codice passim cinxisse sese perhibentur expeditionem in hostes facturi. Est autem cingulum militare Zona, qua milites prius probati & in numerum relati in militaris ordinis insigne cingebantur. Connan. 9. *comment. cap.* 5. *n.* 8.

11 Et quanquam Bocerus existimet militare cingulum antecessisse in numerum relationem, *tract. de bello cap.* 9. *n.* 3. cum Hotomanno tamen, *disput. feud. cap.* 23. post relationem in numerum cinctos demum fuisse puto milites, hoc præsertim motus argumento, quod in *l.* 42. *ff. de testat. milit.* testari posse militari jure miles dicatur cum in numerum relatus est, non ante, in lege vero 43. *eod. tit.* Papinianus responderit cingi confestim jussum testari posse: si itaque cingulum antecederet in numerum relationem, cum cinctus testamentum facere possit juxta *d. l.* 43. etiam miles ante relationem in numerum more militari posset ultimum condere elogium contra genuinam legis 42. mentem.

12 Hodiernos quod attinet in milite conscribendo mores, solent apud nos ad Tympani, vel tubæ sonitum non inviti sed sponte legi, milites; sic ut quicumque militiæ nomen dare voluerint, centurionem vel alium, cui id in mandatis datum, adire teneantur, ibique nomen suum profiteri & in arma studium, atque ubi militum fuerint inscripti matriculæ, jurare, militiam se non deserturos, fidelitatem præstituros Ordinibus generalibus unionem ac religionem reformatam tutantibus, ut & uniuscujusque Provinciæ Ordinibus: civitatis insuper illius Magistratibus, ubi præsidii causa constituti sunt, sub ducum auspiciis gnaviter obtemperaturos, leges militares observaturos, nec ullum subjectis illaturos incommodum, ut id clare patet ex notissimi sacramenti formulis.

15

13 De primo diximus hactenus in milite requisito, alterum est, ut stipendia mereat: eum enim, qui pro Reipublicæ pace ac civium salute excubias agit, e publico quoque nutriri oportet: *l.* 31. *C. locati l.* 15. *C. de re milit. tit. C. de erogat. milit. annon. & de militari veste*. Appellatum autem est stipendium a stipe, quod per stipes, id est modica æra colligatur, *l.* 27. §. 1. *ff. de verbor. signific.* illudque Puteanus ait esse *æs militare, mercedem militarem qua anima & corpus æstimatur*, *syntagm. de stipend. milit.* verum minus accurate: neque enim stipendio proprie corpus & anima militis æstimatur, non miles animam vendit, non libertatem, non corpus in bello venale circumfert; operam solummodo suam Reipublicæ necessariam elocat. Rectius igitur stipendium quis dixerit esse salarium, quod militibus erogari solet in laboris & periculorum remunerationem. Et primis quidem Romanæ Reipublicæ temporibus propriis quisque sumptibus arma pro salute publica ferre cogebatur; unde evenit, cum Servius Tullius sextus Romanorum Rex juxta censum seu divitias in sex populum classes divisisset, sextæ cives utpote omnium pauperrimos militiæ oneribus exemerit: *hoc minor census*, inquit Livius lib. 1. *reliquam multitudinem habuit, inde una centuria facta est, immunis militia*. Anno demum ab urbe condita trecentesimo quadragesimo septimo peditibus assignata stipendia; triennio post equitibus quoque salarium e publico dari cœptum, Puteau. *Syntagm. de stipend. milit. cap.* 4. longe tamen ante, Servii scilicet Tullii tempore impensis alienis equitibus equi dati ac nutriti, cum primum populus in certas classes divisus esset. Sic enim Livius *lib.* 1. *equitum ex primoribus duodecim scripsit centurias, sex item alias centurias tribus ab Romulo institutis, sub iisdem quibus inauguratæ erant nominibus fecit, ad equos emendos dena millia æris ex publico data: & quibus equos alerent viduæ attributæ, quæ bina millia æris in annos singulos penderent.*

Non unus autem fuit usque stipendiorum modus; in prima enim illa veterum paupertate tres in singulos dies asses sufficere visi fuere, crescente publica potentia quinque dati: a Cæsare decem: tredecim cum triente a Domitiano, quibus diu multumque inhærere non hujus est loci; altius hæc & accuratius si quis inquirere desideret Puteani consulat doctissimum de militari stipendio syntagma, singula demonstrata inveniet augmenti tempora & refutatos aliorum errores.

14 Porro datæ quidem militibus præter stipendium etiam vestes, arma, frumentum, unde tituli Codicis *de erogat. milit. annonæ de milit. veste &c.* non tamen hæc iis gratuita fuerunt; sed certa horum omnium pretia de stipendio a quæstore deducta. Cujus Gracchus omnium primus de vestibus publice militibus dandis sine stipendiorum diminutione legem tulit, cum prius effecisset, ut vestem militib. civitates sponte donarent, Plutarch. *in vita Caji Gracchi*. Verum aucto per Cæsarem stipendio in desuetudinem videtur abiisse hæc Gracchi rogatio: milites utique apud Tacitum, *Annal. lib.* 1. *c.* 17. militiam queruntur *gravem & infructuosam, denis in diem assibus animam & corpus æstimari: hinc vestem, arma, tentoria, hinc sævitiam centurionum & vocationes munerum redimi*. Posteriorum tamen Imperatorum seculis iterum militibus præter stipendia chlamides datæ, vel earum pretium: *l.* 2. 3. *C. de militari veste*, etiam singulis diebus annona attributa, *l.* 6. *l.* 7. *C. de erogat. milit. annonæ*.

15 Cum autem non omnes promiscue militiæ reperiantur idonei, dispiciendum ulterius, qui potissimum in milites eligendi; qui a belli muneribus removendi sint. Legendos esse viros honestos, vegetos, ingenuos, nemo dubitat; anteponendos aliis militum filios, eorum præsertim, qui rebus strenue gestis perenne sibi quæsivere nomen, Imperatores censuerunt *toto tit. Cod. de filiis official. milit. qui in bello moriuntur, arg. l.* 12. *C. de advoc. divers. judic.* Fortes enim sæpe fortibus creari contingit, & genitoribus præsumuntur haud dissimiles futuri nati, atque ut illorum vitia sic quoque virtutes imitaturi, *arg. l.* 5. *C. ad leg. Jul. majest.* quod si tamen heroum filii noxæ sint, si ignavi & socordes propter solam parentum fortitudinem aliis anteferri desiderent, ac sola majorum illustrium serie tumentes affectent militiæ dignitatem, obstabit illis Antigoni Regis effatum, qui pari in causa, o *adolescens*, inquit, *apud me virorum, non parentum virtutibus præmia sunt*, Plutarch. *de vitiosa verecundia*. Scilicet non solæ posteros bello utiles efficiunt fumosæ majorum imagines, non stantes in curribus Æmiliani: non aliena sed propria maxime spectatur ac colitur in militia fortitudo: unde Marius apud Sallust. *de bello Jugurt. c.* 85. *non possum*, inquit, *fidei causa imagines neque triumphos aut consulatus majorum meorum ostentare; at si res postulet, hastas, vexillum, phaleras, alia dona militaria, præterea cicatrices adverso corpore. Hæ sunt meæ imagines, hæc nobilitas*. Hæc digna strenuo ac generoso milite oratio: optimus nihilominus & omnibus præponendus ille, qui cum virtute propria conjunctam possidet majorum nobilitatem, & longam valet triumphorum ope ipsorum ac consilio impetratorum enumerare seriem. Impellunt namque ad similia audendum, ad illustrem posteris sui memoriam relinquendam prædecessorum exempla. Sic summum in monomachia cum Turno discrimen subiturus Æneas Ascanio, ut consanguineorum solummodo fortia sibi facta proponeret, præcepit:

Tu facito mox, ait, cum matura adoleverit ætas
Sis memor, & te animo repetentem exempla tuorum
Et pater Æneas & avunculus excitet Hector.
Virgil. *lib.* 12. *Æneid.*

Et Andromache de Ascanio puero Æneam interrogans

Ecquid, inquit, in antiquam virtutem animosque viriles
Et pater Æneas & avunculus excitat Hector?
lib. 3.

16 Ditiores quoque, quantum fieri potest, præcipue conquirendi; nec admittendi minus opibus pollen-

lentes, quamdiu suppetit aliorum copia: quanto enim majorem quis novit amissa patria sese patrimonii jacturam facturum, tanto etiam majoribus animis ac constantia pro Reipublicæ salute dimicabit, & diligentius pro ipsius invigilabit incolumitate. Cum ex adverso paupertino nihil possidenti ubique terrarum æque commodus sit habitandi locus; sic ut, pereat an salva maneat Respublica, flocci pendeat, modo liceat integrum inde corpus deducere: unde Servius Tullius immunem militia sextam jussit esse Romanorum classem, plus opus & in patriam amoris a potentioribus exspectans. Quamvis non negaverim reperiri quandoque pauperes affectione in natale solum, & erga Rempublicam fide nullis ingentium bonorum possessoribus secundos.

17 Ut autem magis constare possit, quales in militiam præcipue sint adscribendi, paucis non idoneos enumerabo; quibus cognitis, facile quinam admittendi sint, quisque percipiet.

Et primo quidem ab armorum strepitu longe remotas esse fœminas oportet, si enim ab omnibus civilibus arceantur officiis, *l.* 2. *ff. de regul. jur.* multo minus militaria poterunt obire munera, in quibus præsertim, si uspiam alibi, summa requiritur animi constantia, algoris, æstus & inediæ patientia, & sufficiens ad onera ad arma ferenda corporis robur; quæ quam raro in fœminea soleant reperiri turba cuique notum est. Unde Turnus uni ex furiis infernalibus in aniles transformatæ vultus, ac bellum suadenti respondet:

Cura tibi Divum effigies & templa tueri:
Bella viri pacemque gerent, queis bella gerenda. Virg. *lib.* 7. *Æneid.*

Telam itaque tractent ac colum mulieres; stamina pollice torqueant, ancillas & domestica curent negotia. Bello tamen illustres quandoque extitisse fœminas in opprobrium fere virorum natas historiarum monumenta testantur: non dubitarunt Amazones acriter in populos vicinos arma movere, vel ingentibus animis illata repellere. Et eximia fortitudinis suæ documenta dedit in obsidione Troyæ illarum Regina Pentisilea, Justin. *lib.* 2. *cap.* 4. quam & ea de causa Martiam Virgilius appellavit *lib.* 11. *Æn.* Interemit Camilla teste *Virg. lib.* 11. fortissimos quosque Troyanorum duces. Cyrum Regina Tamyris exercitum ipsa ducens internecione delevit, *Justin. lib.* 1. *cap.* 8. Civit inter primos acerrime prælium contra Græcos Arthemisia Halicarnassi Regina, *Justin. lib.* 2. *cap.* 12. Varias Semyramis ipsa fecit in hosticum expeditiones, per rupes & avia loca enitens munitissimam natura Bactrianorum expugnavit arcem, Diod. Sicul. *Histor. lib.* 2. Inter primas acies in cruento adversus Burgundiæ Ducem prælio perpetuo obequitans Jacoba Hollandiæ Comes, vires & animum suis inspiravit, *Batavische Arcadia sub fin.* Ut sicco pede transeam Telesillam, Teucam, Candacem, Elisabetham Angliæ Reginam, & innumeras fere alias rerum in bello gestarum magnitudine celebres. Apud Laxamatas Scythicam gentem adeo necessaria fuit in muliere belli peritia, ut nuptui dari virginem, quæ hostem non interfecisset, illicitum fuerit, Alex. ab Alexandro *gen. dier. lib.* 1. *cap.* 24.

18 Eximendi etiam belli muneribus clerici, seu ecclesiasticæ personæ, ne a cælesti militia avocentur; unde & si quis ad ecclesiasticum sese munus applicuerit, & Christi miles fuerit factus, statim desinit esse miles seculi, *tit.* 21. *lib.* 2. *feud.* quod si magna tamen urgeat necessitas, & virorum penuria Respublica laboret, ipsos quoque tela vibrare, in acie stare, hostes pellere, excubias stationes agere, & alia militiæ incommoda sustinere posse & debere ecclesiasticos, absurdum non est. Lege quondam cautum fuit apud Romanos, ut sacerdotes a militia immunes essent, nisi Galli irruerent, Plutarch. *in vita Camilli sub fin.* Cum eo casu de vita agatur, sic ut, nisi & sacerdotes arma capiant, actum sit de Reipublicæ salute, non tanquam milites arma gerunt, verum ut in statu naturali constituti vim vi repellere conantur, & a corpore ab aris ac laribus domesticis injuriam juxta rectæ rationis dictamen arcent, sui ipsorum alias homicidæ futuri ac latrones, si non omnibus modis ab hostibus intentatas repulerint violentias ac mortis periculum. Et quamvis sub veteri testamento rarissime arma gestasse Dei sacerdotes manifestum sit; eos tamen militiæ muneribus non penitus exemptos fuisse abunde constat: in castris enim versari, cum parte copiarum expeditionem suscipere, classicum in acie canere, & ad acriter depugnandum tubarum seu cornuum clangore solebant instigare, descendentibus ac insuper prælium militibus ac in procinctu stantibus animum concione adversus hostium firmare multitudinem, *Numer. cap.* 31. *vers.* 6. *Deuteron. cap.* 20. *vers.* 23. *Josue cap.* 6. *vers.* 2. *Chronic.* 2. *cap.* 13. *vers.* 12.

19 Insuper in militiam non eligendi servi, vel qui status controversiam patiuntur, *l.* 8. *l.* 11. *ff. de re milit.* nec ab hostibus redempti, nisi prius sese purgaverint, seque non ignavia vel culpa sua, sed hostium nimio oppressos ac captos esse numero docuerint: *d. l.* 8. *ff. de re milit.* generosi namque requiruntur in milite spiritus, animus ad sublimia quæque tendens, & natalis soli flagrans amore, neque renuens gloriosam pro Republica mortem oppetere. At quisnam hæc reperiat in servis? quis, obsecro, viri fortis exspectet actiones & effectus ab illis, qui servilibus usque negotiis intenti, sordidisque assuefacti operibus dominorum solummodo nutus observare norunt & imperia, ac humiles & omni libertatis spe destituti ne cogitando quidem ad altiora grassari solent, atque serviles plerumque pœnas ante oculos habentes, vel ad flagri sonitum lorive strepitum visceribus ingentem concipiunt illico timorem, adeout Scythæ servorum arrogantiam non valentes armis reprimere, flagrorum eos solo conspectu subegerint. Præcipue vero in illis sinceram ac candidam licebit in Rempublicam desiderare fidem studium & effectum, sine quibus tamen nemo bonus esse potest Reipublicæ miles; cum enim externæ sint nationis homines, utpote in bello servati §. 3. *Inst. de jur. natur. gent. & civil.* quis non jure merito suspicetur, eos levissima de causa, desertis castris, relictis belli sociis, turbatis ordinibus, ad hostes signa translaturos, ut hoc pacto possent atroces ulcisci dominorum injurias, & diuturnas du-

re servitutis vindicare calamitates: quæ & ratio fuit, quod antiquitus Romani capitalem decreverint in servos pœnam, militiæ semet offerentes, *l. 11. ff. de re milit.* Cujus tamen legis per Justinianum mitigata sævitia in *l. 6. C. qui militare poss.* cautum enim, ut si militiam ignorante domino servus meruerit, pristinæ ad domini querelam servituti quamprimum restituatur; sin vero permittente, vel jubente eo fuerit in numerum relatus, liber habeatur militiæ cingulo privatus, nisi forte bello satis visus fuerit idoneus. Quod si contigerit, servili dedecore militarem commaculari dignitatem, dum miles in servum venire sese patitur, hunc ut indignum ac degenerem ultimo supplicio censuerunt e medio tollendum, *l. 4. ff. de pœnis*.

Si vero talis sit ingenuorum in civitatibus inopia, ut e liberis capitibus conscribi nequeat ad propellendos impetus hostiles sufficiens exercitus, quis adeo foret mente captus, ut Rempublicam pessum ire potius pateretur, quam armatam e servorum numero congregare manum: ne servi legantur suadet quidem gloria; ac aliud quandoque cogit haud legis patiens necessitas; expedit sane quibusvis moraliter licitis libertatem conservare viis, quam morosa legum civilium observatione & inani gloria nihil profutura perire; præstat parumper servis misceri, quo dura Principis externe evitetur dominatio, quam virium defectu perpetuum experire servitutis jugum; *cedit scilicet interdum generosus spiritus utilitati* (ut inquit Valer. Maximus lib. 7. cap. 6. n. 1.) *& fortuna viribus succumbit, ubi, nisi tutiora elegerit consilia, speciosa sequenti concidendum est.* Priusquam tamen militum in numerum servi cooptentur, eos libertate donari fas est, ut ejus memores, tanquam reviviscentes videantur pro novella decertare patria, & propriis pugnare focis. Illud summas ad angustias redacti fecere Romani, multiplici clade deficiente sanguine ingenuo: *arma non erant*, inquit Florus lib. 2. cap. 6. *detracta sunt templis; deerat juventus in sacramentum militiæ liberata servitia.* Hoc ipsum in feralibus Cæsaris ac Pompeji fuit actum dissidiis, Cæsar *lib. 3. de bello civil. cap. 9.* & inopia militum laborantes Spartani, non liberos tantum esse servos jusserunt, sed, & quo magis novorum civium ad audaciam accenderent animos, iis in matrimonium polliciti sunt interfectorum uxores, *Justin. lib. 3. cap. 5.*

Quamvis autem nulla penes nos hodie conspiciantur nativitate vel capta mancipia; certum tamen est quosdam reperiri natura servos, quorum menti vix ulla generosi spiritus insidet scintilla, quos nihil ad fortitudinem movere valet amor patriæ, nihil natalis soli dilectio; quibus arridet facile quivis Princeps, exteri cujuslibet non displicet dominatio; hos igitur non secus atque servos aut ignava pecora militiæ dignitatibus excludi necesse est.

20 Impuberes quoque cum armis ferendis vires non sufficiant, ad belli munera temere non admittendi, Hotomann. *disput. feud. cap. 14.* propter egregia tamen parentum in Rempublicam merita quandoque in militum tribunos electos fuisse penes Romanos impuberes liquet ex *lib. final. Cod. de testament. militari:* licet hi militiæ non cogerentur onera subire, sed velut honorarii ac nomine tantum tenus haberentur tribuni: ac proinde nec ultimum propter mentis inconstantiam conderent elogium, nec militaribus gauderent prærogativis, *d. l. fin.*

Justa autem militiæ ætas pro regionum ac Rerumpublicarum diverso situ discrepare solet. Israelitis ad arma ferenda constitutus erat annus vigesimus: *Exod. c. 30. vers. 14. Numer. cap. 1. vers. 3.* Unde & illi tantum numerati, qui vigesimum implevissent ætatis annum, si quidem iis animus esset suas inquirere vires & armatorum multitudinem. Moris fuit penes Athenienses, ut quicunque decimum octavum attigissent annum, militari sese sacramento obstringerent, Carol. Sigon. *de Republ. Atheniens. lib. 4. cap. 3.* Justa Romanis ad expeditiones suscipiendas ætas fuit annus decimus septimus; primum illud a Servio Tullio fuit introductum; A. Gellius *l. 10. noct. Attic. c. 28.* legem postea tulit C. Gracchus de minoribus decem & septem annis ad militiam non cogendis, Plutarch. *in vita Caji Grac.* Alex. ab Alexandr. *gen. dier. lib. 2. c. 20.* Aliquando tamen septendecim annis minores ad obeunda belli munera lectos fuisse docent Ajala *de jur. & offic. bell. l. 3. c. 4. num. 14.* Perez. *tit. C. de tyronibus n. 1.* Manlium Capitolinum ante annum decimum septimum bina ex hoste spolia cepisse Plinius auctor est, *lib. 7. histor. natur. cap. 28.* Et quondam ante Servii Tullii tempora omnes apud Romanos anno decimo quarto stipendia fecisse patet ex Vegetio *de re milit. lib. 1. cap. 4. & quidem*, inquit, *si antiqua consuetudo servanda est, incipientem pubertatem ad delectum cogendam nullus ignorat.* Ad illud enim sæculum hic respexisse Vegetium inde mihi persuadeo, quod de antiqua populi Romani loquatur consuetudine. At non nisi ante Servium Tullium fuisse consuetudinem, ab eodem autem hanc in perpetuo valituram mutatam fuisse constitutionem ex Gellio *d. cap. 28. l. 10.* manifestum est.

21 In militiam præterea non assumendi infames, ex atroci scelere ad bestias damnati, in insulam deportati, vel criminis capitalis rei, *l. 4. §. 1. & seqq. ff. de re militari:* adeo ut si miles adulterii fuerit damnatus, ipsa quoque in illum lata sententia ignominiæ causa sacramento solvat: *l. 2. §. 3. ff. de his qui notant. infam.* Ubi enim vel minimum criminis commissi sensibus offertur signum, ubi perpetrati delicti species aliqua & imago oculis obversatur, facti statim conscientia timorem incutit. Unde nec in acie stare, nec hostium impetum, vix conspectum ferre valent, & tanquam victi arma abjiciunt, ubi de victoria maxime foret cogitandum. Philippus proinde Macedo cum Phocensibus prælio decertaturus, qui templum Delphicum spoliaverant Apollinis, eoque nomine sacrilegii erant implicitit criminl, milites suos omnes ex lauro Dei insigni coronas imponere capitibus jussit; quo viso metu statim perculsi Phocenses, ac sceleris conscientia territi, in fugam armis abjectis sese conjecerunt: Justin. *lib. 2. cap. 8.* Cumque invicti forent Scytharum servi bella dominis moventes, loris conspectis, illico non secus ac fugitiva cohors terga dederunt. Non tamen in ipsa militia factus infamis ex delicto mi-

litari secuta sententia numeris eximitur, modo sacramenti non sit rupta fides, *arg. l.* 6. §. 6. *ff. de injust. rupt. irrit. facto testam. l.* 11. *ff. de testament. milit. l.* 22. §. 1. *ff. de legat.* 3. si enim miles, ubi ex militari condemnatus est delicto, possit nihilominus ultimam militari jure condere voluntatem, eum post sententiam adhuc in numeris mansisse necesse est; cum nullus nisi in numeris stipendia merens militum more testari valeat, *l.* 42. *ff. de testam. milit. Tiraquell. de nobilitate cap.* 8. n. 7.

22 Cum autem in hæreticis eadem, quæ criminis in reis, ratio militet, illos quoque in numerum militum referri vetuerunt Imperatores Valentinianus & Martianus, *l.* 8. §. 4. *Cod. de hæret. & Manichæis*. Sic ut in militiam non ante quis fuerit assumendus, quam sacrosanctis propositis evangeliis testificatus fuisset coram tribus apud acta, se Christianum orthodoxum esse, sub decem librarum mulcta & cinguli privatione, *lib.* 20. *Cod. de episcopali audient.*

23 Adhæc arcendi bello surdi & muti, *l.* 4. *ff. de testam. milit. arg. l.* 10. *Cod. qui testam. facere poss.* neque enim talis militaris valet præstare sacramentum, sine quo tamen hostem ferire nefas olim fuit, ut ante dixi; neque ad confligendum idoneus esse potest, qui tubarum sonum, vel ducis sui nequit exaudire imperia, non ad illius mandata cedere, instare, urgere, non ad interrogata commilitonum apte respondere: qui clypeum petenti socio gladium, vel hastam porrigeret: merito proinde talem mortuo similem dixit Justinian. *l.* 29. *C. de testamentis*. Et quamvis cæcus hæc omnia commode satis percipere valeat, quia tamen executioni mandare nequit Imperatoris jussa, ignarus quem feriat, hostemne an amicum, ideo & hunc ut ineptum removendum censeo. Quod si igitur ex accidenti aliquo quis mutus, surdus aut cæcus dum stipendia meret, factus fuerit, causaria missione domum remitti debet ut bello minus idoneus: *d. l.* 4. *ff. de testam. milit.* licet hæc vitia fuerint discreta, id est ut ex morbo, vel vulnere, aut surdus, aut mutus. Quominus tamen posset ultimum condere elogium, nulla lex prohibet, disertis contra verbis Imperator illud concessit: *l.* 10. *Cod. qui testament. facere poss.* cum testamentum fieri facile scriptura possit, si vox articulata vel auditus casu defecerit: *d. l.* 10. Notandum hic obiter, existimasse Justinianum, *in d. l.* 10. aliquem posse natura surdum esse, qui tamen non usque mutus sit: verum expulsa jam dudum fuit alia sententia, & ut erronea a peritioribus rejecta; natura namque surdus sonum quidem edere potest ac vagitum, ad instar animalium rationis expertium & infantum: *l.* 7. §. 2. *ff. de suppellect. legat.* nemini tamen natura vocem concessit articulatam; eam quippe continuo usu ac crebra ejusdem soni repetitione comparandam esse quotidiana docet experientia.

24 Non minus rejiciendi duobus orbati testiculis ac castrati, Ovid. lib. 2. amor.

Non tu natus equo, non fortibus utilis armis,
Bellica non dextræ convenit hasta tuæ:
Ista mares tractent, tu spes depone viriles;
Sint tibi cum domina signa ferenda tua.

Hos enim fœminarum magis quam virorum gregi annumeraveris, cum ejusdem fere cum illis sint temperamenti ac frigiditatis: unde & exiguæ plerumque ac acutæ reperiuntur esse vocis, & caloris defectu non facile barbam nutrire queunt: Cælius Rhodigin. *lect. antiq. l.* 13. *c.* 29. Ut autem fœminas, sic & castratos quandoque contingit esse in bello strenuos. Aristonicum Ptolemei Regis Ægypti Eunuchum ingenio militari & armis potentem fuisse testis Suidas. At si quis uno natus fuerit testiculo, eum jure militaturum Arrius respondit ex Trajani rescripto: nam & duces Sylla & Cotta memorantur eo habitu fuisse naturæ, *l.* 4. *ff. de re militari;* & sane merito nemo viros illos esse negaverit, quos generare posse constat: *l.* 6. §. 2. *ff. de edilit. edict.* Quare nec spadonem ab ordine militiæ removendum esse censeo; ei quippe leges omnia concedunt quæ reliquis solent indulgeri masculis. Hinc adoptare potest: *l.* 40. *ff. de adoptionibus*. Tutor, curator esse: *l.* 1. *C. de excusat. tutor.* Matrimonia contrahere: *l.* 39. *ff. de jure dot. l.* 14. *ff. de manumiss. vindicta*. Et Narsetem Justiniani in exercitu præfectum spadonem fuisse constat; referique Marcellinus *histor. lib.* 27. præliando periisse natum quondam spadonem, exercitus ita bellatorem, ut Sicinio veteri compararetur & Sergio.

25 Frustra quoque militiæ quis adscripserit in armis tractandis prorsus imperitos: rudis enim multitudo cædibus semper est exposita, & minima quæque formidans fugam magis quam gloriam meditatur: Veget. *de re milit. l.* 1. *c.* 1. Cum ex adverso rei bellicæ scientia dimicandi nutriat audaciam, & exercitata paucitas ad victoriam promptior sit. Miltiades undecim solummodo millium stipatus exercitu fudit immensas in prælio Marathonio Persarum copias: Justin. *l.* 2. *c.* 9. Exiguam lectissimorum virorum manum ducens Alexander universam brevi tempore domuit Asiam. Quapropter non lecti statim tyrones apud Romanos in militum poterant referri numerum: *l.* 42. *de testam. milit.* verum in scholis ante militaribus erant exercendi: *l.* 3. *C. de tyron.* ac anno sæpe integro tyrocinii gravissima cogebantur onera sustinere: Stewech. *ad Veget. lib.* 5. *c.* 10. Per turmas hinc inde quotidie concurrere, in orbem sese colligere, phalangem, cuneum facere, decurrere, clamare, cedere, instare; sæpe sexaginta librarum gestare molem, quo magis operibus assuescerent, si forte annonam simul & arma portare necesse foret: Veget. *de re milit. lib.* 1. c. 19. ut enim cæteræ artes, sic præsertim militaris continua exercitatione proficit scientia; paucos viros forte natura procreat, bona institutione plures reddit industria. Quæ ratio est quod & ipsi militiam jam edocti mane & post meridiem locum tenere, signa sequi, ordines servare, vallum figere, militari gradu incedere solerent, Alexand. ab Alexandr. *gen. dier. l.* 1. *cap.* 20. quo suos usu continuo quisque dignosceret ordines, ut licet imi summis, primi ultimis, ultimi mediis, medii primis essent permixti, quisque tamen suum in ordine locum statim reperire posset. Assiduis exercitiis Iphicrates Atheniensis in eam milites adduxit peritiam, & consuetudinem, ut, cum prælii signum esset ab Impera-

to-

tore datum, sine ducis opera sic ordinati consisterent, ut singuli a peritissimo præfecto dispositi viderentur: Æmil. Probus *in vita Iphicratis*. Quo autem major esset discentium erga docentes reverentia, non e vulgo quæsiti ad erudiendos tyrones, non ex ima plebe lecti in scholarum magistros; sed Equitibus & Senatoribus illa provincia demandata fuit. Testis ejus rei Suetonius *in vita Cæsar. c.* 26. *tyrones*, inquit, *neque in ludo, neque per lanistas, sed in domibus per equites Romanos, ac etiam per senatores armorum peritos erudiebat, precibus enitens; quod ex epistolis ejus ostenditur, ut disciplinam singulorum susciperent, ipsique dictata exercentibus darent*. Hoc ipsum munus volentes quandoque, ac sponte Romani subierunt Imperatores. Et Spartianus Hadrianum commemorat rei militaris scientissimum gladiatoria quoque arma tractasse.

26 Prohibentur insuper adscribi militiæ coloni, saltuenses; ne dum bello fortiter operam navare cupiunt, deseratur penitus agrorum cultus, adeoque & paganis & militibus necessaria tandem deficiant alimenta: *l.* 3. *C. qui militare poss.* quod tamen hodie non servatur, in tantum, ut teste Manzio *in comment. ad* §. 12. *Instit. de rer. divis. n.* 45. coloni ac rustici sæpe dolo, aut metu, quandoque in crapula, dum ebrii sunt, nomen militiæ dare compellantur. Milites etiam esse nequeunt negotiatores: *l. un. C. negotiatores ne milit. l.* 31. *C. locati: l.* 15. *Cod. de re milit.* neque enim duobus toto genere diversis unus sufficere visus fuit officiis, unde contingeret, ut lucri bono stimulatus odore militaria quandoque munera negligeret, ac contemneret disciplinam castrorum: cum tamen jugiter signis inhærere, propriis insudare militiæ muniis, & Rempublicam, a qua aluntur, ab omni bellorum necessitate defendere milites oporteat. Cæterum non leges cuiquam lucri faciendi præripere cupiunt occasionem, modo non inde quicquam Respublica detrimenti capiat: *arg. l. fin.* §. *fin. C. de re milit.* neque militiam negotiatoribus interdixissent Imperatores, nisi possibile vix esse censuissent, emendi vendendique commercia quemquam exercere, & inimicos pariter oppugnare; de institorum simul & castrorum causis sollicitum esse; eodem tempore rationes suas privatas procurare, & excubias agere: Goteræus *de jure milit. l.* 1. *c.* 8. Unde & armorum negotiationem a militia non penitus abhorrere animadvertens Justinianus, his solis milites esse permisit: adeo ut & armorum mercaturam exercere, & armatam nihilominus militiam retinere valeant: *d. l. un. C. negot. ne milit.* Hodie vero non minus negotiatoribus quam quibusvis aliis libera concessa militandi facultas, modo veniam a castrorum præfecto ad illam impetraverint negotiationem: *Instruct. milit. art.* 79. & cohortem, sub qua stipendia merent, quacunque sequantur, neque commissas sibi negligant, aut deserant stationes. Dignitatem tamen civilem cum militari retineri vix posse putem, veluti ut magistratum quis gerat & in numerum militum pariter relatus sit, eadem de causa qua decurionibus quondam armatam arripere militiam prohibitum: *l.* 4. *C. qui milit. possunt*.

27 Ulterius in milites non eligendi natura timidi, & animis infirmi: Bocerus *de bello c.* 7. *n.* 5. quam enim, obsecro, ab ejusmodi viris exspectes victoriam, qui terga & cæcas corporis partes armis manibusque destitutas hostibus fugiendo obvertunt, nec a dextris armatis sed a pedibus omne sibi quærunt præsidium; qui cæteris ad res strenue gerendas paratis incutiunt timorem, omnes ferme turbant ordines, & universum formidine replent exercitum, dum pessimos quosque vaticinantur fore præliorum eventus, & ipsa fronte pallida metum prodentes non felix faustumve quicquam, sed imminentia sola vulnera mortemque funesto dispergunt omine? Quamobrem Israelitarum quoque primores ante pugnam publice denunciare solebant, ne quis metu correptus in exercitu præliantium sese misceret ordinibus, ne forte animi inconstantia bellicosa secum raperet in fugam agmina: *Deuter. c.* 20. *vers.* 8. Unde & Atheniensium Dux Phocion, cum nonnullos e militibus suis ad castra perculsos confugere vidisset, cæteros, ne rem segnius gererent, hortatus, *fugaces illos, si cum hoste conferendum fuisset, non modo non utiles, verum etiam forti cuique ac strenuo impedimento fore* dicebant, Plutarch. *in vita Phocionis*. Præsertim autem meticulosis annumerandi Thrasones illi Terentiani, vel Plautini Polymacheroplacidæ, qui de præliis loquuntur, quasi non exiguum victoriæ momentum attulissent, & multa gloriose ac magna pompa blaterant; cum tamen cæteris maxime pugnantibus illi fugerent maxime, vel post principia latentes existerent otiosi tragediæ spectatores; qui solent ante focum acies instruere & inter pocula ridiculo hostes debellare conflictu, vel ipsum Alexandrum, si verbis negotium perpetrari posset, jactabundis oppressuri vocibus; quorum tunc humerus est aries, balista pugnus, cubitus catapulta; quivis denique debellatis demum hostibus in audaciam exardescentes, quibus interim frigida bello dextera, & ut inquit Euripid. *in Phœnis*.

Ferox est lingua, cor pavitat metu.

Tales potius conquirendi, qui facta solent dictis conjungere, hostes ferire, præsidia agitare, nihil metuere cupiunt, nisi turpem famam; quibus pugnare, non fugere propositum, nec in pedum alacritate sed solis lacertorum viribus omnis consistit fiducia, quibusque non aliter ac quondam Alceidæ pueris teste Hesiodo *in scuto Herculis vers.* 114.

Bello certamen instituere res multo gratior quam epulæ.

28 Quia vero mollitiem plerumque comitatur timiditas, etiam effœminatos illos belluarum ritu quasvis voluptates & libidinum sectantes illecebras, & in omnibus animo indulgentes removendos e castris censeo: periculosissimum enim ejusmodi hominum confidere fortitudini, qui, ubi ventri solummodo bene est, de cæteris securi sunt, & facili negotio media in luxuria possunt ex improviso superari. Sic Tamyridis Scytharum Reginæ filius, ubi derelicta Cyri castra occupasset, & mero suos sese replere milites pateretur, eadem nocte internecione deletus est: Justin. *l.* 1. *c.* 8. Somno ac vino sepultam Græci invasere Troyam. Non ante Sardanapalus vir muliere corruptior voluptatum intermisit usum, quam

per

per illas victum sese & omnia perdita videret: Diodor. Sicul. *Hist.* *l.* 2. Nec felicius cessit Atepomani Gallorum Regulo fœda spurcities & flagitiosus libidinis æstus; cum enim bellum Romanis inferens tunc demum cessurum se dixisset, cum conjuges suas Romani ad coitum Gallis exposuissent; illi missis ancillis habitu matronali Gallos venere lassos & oppressos sopore facile profligarunt: Plutar. *in parallel. n.* 57. Licet autem nonnunquam eveniat luxuriosos istiusmodi milites fortia quædam edere facinora; id tamen desperationi magis aut alii casui quam ipsorum virtuti tribuendum est. Julianum audiamus in orat. panegyric. de Constantini rebus gestis hac de re disserentem: *ejusmodi vero homines*, inquit, *ne fortes quidem prudens ullus appellaverit, tametsi in eorum factis magnitudo quædam appareat atque elucescat; talis enim ille solus est, qui cum virtute fortis est & magnificus; at qui voluptate vincitur, quique iracundiam & omnia cupiditatum genera cohibere non potest, adeo ut etiam a minimis oppugnatus prosternatur, & deficiat; hic nec robustus nec fortis humano quidem genere dicendus est*. Et certe invictos ante populos, bellicosos exercitus sola sæpe corrupit luxuria. Indomitas Hannibalis copias Campanæ subegere deliciæ & tepentes fontibus Bajæ, ut vere dictum sit Capuam Hannibali Cannas fuisse: Florus *l.* 2. *c.* 6. Quamdiu Milesii voluptates contempserunt Scythas superarunt: at postquam mollitiei succubuerunt, usque adeo evanuit avita fortitudo, ut in proverbium abierit, *strenui olim Milesii*: Athenæus *l.* 12. Unde nec aliam graviorem Cyrus Lydiis rebellantibus imposuit pœnam, quam ut equis & armis ademptis cauponas & ludricas artes & lenocinia exercerent; ita fore ratus ut gens industria quondam potens & manu strenua effœminata mollitie virtutem pristinam perderet, & quos ante invictos bella præstiterant, in luxuriam lapsos otium ac desidia superaret: Justin. *l.* 1. *c.* 7. Atque illud haud ignorantes sapientissimi quique duces omnes, castris exulare longe jusserunt voluptatis illecebras ut capitales fortitudinis hostes. Cretenses, Lacedæmonii, Carthaginienses ex instituto Platonis in omni militia vini potum ut noxium interdixerunt: Alexander ab Alex. *gen. dier. l.* 3. *cap.* 11. Unde & Antigonum quosvis legimus ab ordinibus removisse luxuriæ deditos; cum enim milites loricatos pila ludentes invenisset, duces vero mero semet in popina saturantes, ademptos iis honores militibus assignavit: Plutarch. *in Ap.* Nec aliud quicquam Scipionem movit, ut in diuturna illa Numantiæ obsidione meretrices universas exercitu pelleret, quam ne luxuria militum frangerentur animi: Florus *l.* 2. *c.* 18. & eum imitatus Pescennius Niger omnia argentea vasa velut luxuriæ signa ab expeditionum usu removeri, & eorum loco ligneis milites uti jussit; vinum etiam iis dari prohibuit, aceto contentos esse cupiens: Spartian. *in vita Pescennii*: neque enim olim in castris Romani vino sitim sedabant, sed communi cum servis utebantur potu, quem poscam dixerunt, e vini fæce seu aceto confectam & aqua, Taubmann. *in comment. ad Plaut. milit. glorios. act.* 3. *scen.* 2. & ad illam veterum respicientes in castris frugalitatem Imperatores, fluvium *commune militum* appellavere *poculum*, *l.* 12. *C. de re militari*.

29 Quapropter bello nullos aptiores esse, quam rusticos, & urbanæ plebi in electione longe præferendos manifestum est: illi namque nocturnum frigus, diurnos æstus, inediam, vigilias pati consueverunt, sub dio, in opere nutriti, umbræ negligentes, balnearum nescii, deliciarum ignari, parvo contenti, ad omnem laborum tolerantiam duratis membris, sudorem ac pulverem campestribus collectum exercitiis in flumine nando abluere soliti: Veget. *de re milit. l.* 1. *c.* 3. Hinc est quod ab aratro nonnullos in exercitum duces evocatos quandoque fuisse videamus, ac sublata stiva sceptrum iis & imperii habenas ad moderandum esse datas: T. Quinctium dictatorem Romani renunciantes legati, nudatum eum & aratro sulcos ducentem invenerunt: Livius *lib.* 3. Florus *lib.* 1. *cap.* 11.

30 Denique non senes facile sed juvenes potius in numerum militum referendi sunt: proinde, cum Servius Tullius populum in juniores ac seniores divisisset, juventuti bella foris gerenda mandavit: Livius *lib.* 1. quod de vulgaribus tamen solummodo militibus statuendum censeo: duces enim quod attinet, illos potius ætate conspicuos esse decet, vel, (ut L. Paulus inquiebat teste Frontino) *de stratag. l.* 4. *c.* 7. *n.* 2. si non annis, moribus tamen utique senes: senectus enim seduci nescia, stata, judicio firmato, salubri ac prudenti prædita consilio: p. m. parens Paulus Voet, *in comment. ad princip. procem. Instit. n.* 9.

.... generosa ut præditus equus indole,
Et si gravetur debili senio, tamen
Non rebus abjicit animos in asperis,
Sed acer arrectis stat auribus: ita tu
Nos excitas, interque primos is comes.

Inquiebat pædagogo suo Orestes apud Sophocl. in electra. Eaque de causa laudatum constat Alexandri Magni exercitum, quod ibi ordines nemo nisi sexagenarius duxerit, ut si principia castrorum cerneres, senatum te alicujus priscæ Reipublicæ videre diceres: Justin. *l.* 11. *c.* 6. & Hadrianum extollit Spartianus, quod nullum tribunum nisi plena barba fecisset, aut ejus ætatis, quæ prudentia & annis tribunatus robur impleret. Neque florente Romana Republica juvenes in exercituum duces assumptos fuisse liquet, eo quod iidem plerumque & legiones in bellum educerent, & consulatus essent honore conspicui: cum tamen iis temporibus ad summam hanc in Republica dignitatem regulariter non admitteretur, qui non quadragesimum tertium attigisset ætatis annum. Et certe libentius senis venerandi dictis & imperiis obtemperare solent feroces in armis milites; cum plerumque quandam sui reverentiam cani juvenum in animis gignant capilli, ac velut de composito majestatem præ se ferat ut plurimum annorum series.

31 Utrum autem utilius sit exercitum alere variis conflatum e nationibus, an vero ex una tantum gente conscriptas habere copias, satis a multis agitata est controversia. Et quamvis pro diversis alii militent nationibus, aliis magis ex uno lectus po-

pu-

pulo placeat exercitus: non tamen certi quicquam hic facile determinari posse puto; verum id ducis providi prudentiæ penitus & arbitrio committendum esse, qui, habita circumstantiarum, loci, temporis, personarum ratione, nonnunquam unius, plurium aliquando gentium coget exercitum; cum utrumque sua diverso respectu commoda ferat & incommoda: ubi enim plures contingit in iisdem castris stipendia merere populos, ingens plerumque tumultum ac seditionum imminet periculum, dum ad injuriam uni ex sociis illatam ulciscendam facili de causa sæpe districtis mucronibus universa natio concurrit. Quapropter etiam prudenter apud nos, ubi soleant sub eodem Imperatore diversæ militare gentes, in instruct. militari, *art.* 39. cautum est, ne quis in rixa, vel pugna, vel alia quacunque de causa nationem suam in auxilium advocet, strangulationis pœna in constitutionis hujus transgressores proposita. Id vero commodi plerumque producit e diversis populis collectus exercitus, quod ad obtinendam victoriam longe promptior inveniatur & aptior; ubi enim collatis signis cum hostibus depugnatur, sub vexillis suis ac ducibus redactæ singulæ nationes laudabili quadam gloriæ cupiditate & æmulatione concitatæ summis viribus alienæ gentis commilitones peritiæ & fortitudinis militaris laude superare contendunt, adeoque ardentioribus ruunt in hostes animis, quam si ex una solummodo natione constet exercitus; in quo tamen ex adverso non eadem facile metuenda seditionum calamitas.

CAPUT III.

De variis militum gradibus & speciebus præsertim de exercitus Imperatore ejusque requisitis.

1 *Milites vel voluntarii sunt vel inviti.*
2 *Equites vel pedites, & equites peditibus honoratiores.*
3 *Limitanei vel comitatenses.*
4 *De cohortibus prætoriis & eorum stipendiis.*
5 *A diversis armorum generibus diversa milites nomina sortiti sunt.*
6 *Qui fuerint equites cataphracti?*
7 *Qui velites ac pilani?*
8 *Qui hastati, principes ac triarii?*
9 *Enumerantur machinæ bellicæ majores.*
10 *Quid sit exercitus?*
11 *Quæ legio, & quæ ejus partes?*
12 *Quid per legionem, quid per vexillationem designetur, si hæ inter se opponantur?*
13 *Cujacii sententia refellitur.*
14 *Ut & Turnebi opinio.*
15 *Proponitur auctoris opinio.*
16 *De legionis & partium ejus præfectis.*
17 *De hodiernis exercitibus.*
18 *De nitri pulveris præstantia, cujus primus auctor defenditur adversus atroces nonnullorum calumnias.*
19 *In exercitu penes unum non penes plures summum residere debet imperium.*
20 *Optimus quisque in belli ducem eligendus.*
21 *Ab exercitus imperatore maxima dependet ejus salus & felicitas.*
22 *Requiritur in supremo duce maxima rei militaris peritia.*
23 *Illa lectione & experientia acquiritur.*
24 *Præter rei militaris peritiam etiam aliarum artium ac disciplinarum scientia in duce necessaria, rejecta Naudei sententia.*
25 *Ante omnia in imperatore pietas in Deum requisita.*
26 *Etiam in eo necessaria est fortitudo, & ut exemplo suo milites ad ea, quæ imperat, peragenda stimulet.*
27 *Spem vultu simulare debet imperator, & premere corde dolorem, si quæ adversa videantur imminere.*
28 *Summa requiritur in eo prudentia ad procurandum ad exercitus salutem necessaria, præsertim ut crebro milites exerceat.*
29 *Expeditum ducere debet exercitum sarcinis non onustum.*
30 *Non temere fides adhibenda transfugarum dictis ac consiliis.*
31 *Non intercludenda hostibus fugæ via; sed propriis potius militibus imponenda confligendi necessitas.*
32 *Nec in superatos hostes gravi sæviendum supplicio.*
33 *Requiritur etiam in imperante auctoritas.*
34 *Eamque maxime conservabit illæsam, si curet ne differatur stipendii solutio.*
35 *Omnis Imperatori evitanda occasio, qua collusionis cum adversariis incusari vel sinistra de ipso concipi posset opinio.*
36 *Auctoritatem Imperatori conciliat, & perquam necessaria est comitas & affabilitas.*
37 *Ut & eloquentia militaris.*
38 *Anniti debet Imperator, ut vitia quæcunque, quantum per humanam infirmitatem licet, evitet.*
39 *Multum prodest in acie imperator in præliis felix.*
40 *Non tamen ex præliorum eventu semper de imperantis prudentia, vel peritia judicandum est.*

Diximus hactenus, qui & quales debeant esse milites, exigit deinceps instituti ratio, ut varias exhibeamus illorum divisiones, quas quidem enumerant amplissime rei militaris scriptores; eas vero quatenus nostro queunt inservire proposito, cursim tantum libare nobis animus est.

1 Alios itaque voluntarios Romani milites appellarunt, qui proprio animi motu militiæ semet offerunt, alios compulsos seu coactos, quibus invitis expeditionum imponitur onus: *l. 4. §. 10. ff. de re militari*. Communi tamen invaluit hodie loquendi usu, ut illi soli dicantur voluntarii, quibus ex ærario stipendia non numerantur, quique propriis impensis in bello Reipublicæ sub certis ordinibus operam navare solent.

2 Insuper alii pedites sunt, alii equites; quod si quæ-

quæras, utrum militia pedestris an vero hæc illi præponenda sit; equites dignitate peditibus antecellere communem fere omnium opinionem esse respondeo. Disertis verbis apud Livium *l.* 3. nobis illud dictat, ad equites verba faciens Consul Valerius; *agite*, inquit, *juvenes*, *præstate virtute peditem*, *ut honore atque ordine præstatis*. Quapropter & Maximilianus secundus Germanorum Imperator *Instruct. milit. art.* 51. præcipit, ut equiti in castris vel præsidiis occurrens pedes de via paulum recedat. Divisi iterum equites in alares & legionarios: alares sunt, qui utrumque protegunt exercitus latus. Alæ autem ideo dictæ, teste A. Gelio *l.* 16. *c.* 4. quod equitum ordines circum legiones dextra sinistraque tanquam alæ in avium corporibus locarentur. Legionarios vero equites illos esse dicit Vegetius *de re milit. l.* 2. *c.* 1. qui singulis sunt connexi legionibus.

3 A diversis præterea locis, ubi militiæ solent obire munera, vel comitatenses dicti milites vel limitanei: *l. fin.* §. 8. 9. *C. de off. præfect. prætor. Africæ*. Comitatenses sunt, qui perpetuo in expeditione versantes ubique castra sequuntur: *d. l. fin.* §. 8. unde & Comitatenses legiones Arcadius & Honorius Impp. illas appellarunt, & riparensibus, quæ longe a patria ac velut in hostico cum exercitu degebant, adæquarunt in *l.* 14. *C. de re militari*. Quandoque tamen & illi comitatenses dicti numeri, qui præsenti Principis obsequio destinati sunt, & in ejus perpetuo agunt comitatu, palatinis similes militibus: *l.* 13. *l.* 14. *in princip. C. de re milit.* Cæterum hic observandum, præter hos etiam alios ad Principis custodiam fuisse lectos: Romulus namque trecentos olim ex omni populo delegit equites, celeres appellatos, quod pernicibus veherentur equis, eosque tam pacis quam belli tempore secum in corporis tutelam circumduxit: Liv. *l.* 1. Et hunc imitatus Imperator Galba, teste Suetonio in ejus vita *c.* 10. ex equestri ordine sibi juvenes assumpsit, qui vice militum excubias circa cubiculum ejus agerent, & evocatorum nomen iis imposuit. Verum hæc obiter, ad institutum revertamur, limitanei sunt, quibus & castrorum defensio, & civitatum limitanearum demandata protectio, &, quod in his singulare, agrorum concessus impune cultus: *l. fin.* §. 8. *C. de off. præfect. prætor. Africæ*.

4 Ad hæc in exercitu repertæ plerumque cohortes prætoriæ sub legionibus non comprehensæ, electa scilicet fortissimorum militum ac ducis familiarium manus, circa illum usque pugnare, & ubique eum comitari solita: Valtrinus *de re milit. l.* 3. *c.* 7. Hi dignitate supra alios eminebant gregarios, & sesquiplex accipiebant singuli stipendium, uti id ex Festo probet Stewech. ad Veget. de re milit. *l.* 2. *c.* 2. adeo ut toto cælo dicendus sit errasse Christinæus, cum *tom.* 5. *decis.* 165. prætorianos sextuplex asserit meruisse stipendium. Non enim temere falli putem, qui duplex illos Augusti & Tiberii temporibus statuerit habuisse stipendium: apud Tacitum namque *annal.* 1. c. 17. Percennius, cum concionabundus dixisset denis in diem assibus animam & corpus gregariorum æstimari, tandem subjungit, *en prætorias cohortes*, *quæ binos denarios acciperent*, *quæ post sexdecim annos penatibus suis reddantur*, &c.

5 Cum vero penes Romanos hæc observata fuerit consuetudo, ut milites electos inermes domum remitterent, denunciato solummodo ac constituto certo die, quo in unum jubebantur convenire locum, ubi sua singulis a Republica distribuerentur arma: Polyb. *l.* 6. *l.* 15. *C. de re militari*; factum est, ut a variis armorum generibus varia quoque nomina iis imponerentur; adeoque nonnulli cataphractarii, aliqui velites, pilani alii, quidam hastati, pars principes, reliqui triarii dicerentur, qui omnes quantum a se invicem differant, ex singulorum armis poterit dignosci; quapropter ea paucis expediam.

6 Cataphracti seu cataphractarii erant a capite ad calcem armati equites, equis insidentes, quibus imposita lintea operimenta ferreis vel æneis contecta laminis ad instar plumarum: unde non secus ac si Stygia penitus essent tincti palude, invulnerabiles sine metu in confertissimas hostium ruebant turmas, perrumpentes quicquid esset obvium, hoc tamen uno laborantes incommodo, quod in hostium facile pervenirent potestatem, propter immensum armorum pondus, quo pressi, siquidem a repente pedite interemptus esset equus, immobiles ferme efficiebantur. De his latius vide Veget. *de re milit. l.* 3. *c.* 23. *ibique Stewech.* Non omnes autem penes Romanos cataphractarii fuerunt equites; sed & alii lorica, scuto, gladio & hasta solummodo muniti.

7 His vero, ubi in prælio manus cum hoste forent conserendæ, velites adjungebantur scuto, gladio & hasta, seu pila armati, ac natu minimis & tenuis fortunæ conscripti civibus: Polyb. *l.* 6. sic dicti quasi volites id est volantes: eo quod ad depugnandum essent omnium maxime expediti: veloci enim sese saltu jungebant equitibus, & una cum iis in medios invecti hostes, pedestre inter equites tentabant certamen, atque ita facili negotio equos pariter confodiebant & eorum rectores: Valer. Maximus *l.* 2. *c.* 3. *n.* 3. ubi & eorum exhibet originem. Cæterum velites, si equitibus non miscerentur, pilanos appellatos esse puto; cum Polyb. *l.* 6. illos ex ejusdem conditionis viris lectos, iisdem indutos armis asserat.

8 Hastati pilanis erant adultiores, clypeo, ense Hispaniensi ancipite, galea, crurum tegmine, & duobus verutis utentes; & hi olim in prima solebant acie collocari; quorum ordo si hostili fuisset impetu turbatus, inimicorum vim excipiebant principes, viri ætate ac robore præstantes, & iisdem, quibus hastati, rem armis gerentes. Ultimum obtinebant in acie locum triarii, omnium maxime ætate provecti, eodem quo principes armorum genere depugnantes, nisi quod pro verutis hastas vibrarent. De his latius Polyb. *l.* 6. Postea tamen hic quoad militum in acie dispositionem mutatus ordo, ac in ejus locum successit ille quem exhibet Veget. *de re militari*, *l.* 3. *cap.* 14. De armorum interim forma, magnitudine, latitudine, longitudine si quis latiorem quærat interpretationem, de iis satis luculenter disserverunt Valtrinus *de re milit. l.* 3. *c.* 12. Panciroll. *rerum memorabil. part.* 1. *tit.* 24. *ibique Salmuth. in comment.*

9

9 Fuerunt autem præter arma etiam aliæ (ut hoc paucis moneam) ad urbium expugnationes comparatæ machinæ una cum exercitu in expeditionibus circumvehi solitæ, velut arietes, testudines, vineæ, plutei, musculi, turres, balistæ, scorpiones, catapultæ, quæ omnia, ne tædium æquo lectori pariam, delineare supersedeo; de his late scripserunt Veget. *de re militari*, *l.* 4. *c.* 15. 16. 17. 18. & 22. Pancirol. *in tract. de rebus bellicis impresso post comment. ad notit. utriusque imperii*, Valtrin. *de re milit. l.* 5. *c.* 6. Rosin. *antiquit. Rom. lib.* 20. *cap.* 16.

10 Porro ingens militum multitudo si congregata fuerit, exercitum constituit; est enim exercitus compositus ex numeris multis militum: *l.* 2. §. 1. *ff. de his qui notant. infam.* & plerumque constat ex legionibus, quæ milites Romanos, & optionibus, quæ sociorum auxilia complectuntur: *l. fin. C. locati;* quamquam dubium non est quin & ex una legione cum suis auxiliis formari possit: *d. l.* 2. §. 1. *ff. de his qui not. infam.* 11. Legio autem in varias partes dividitur: habet enim cohortes, habet centurias, habet decurias: *l.* 2. §. 1. *ff. de his qui notant. infam. lib.* 2. *C. de hær. decurionum &c.* At huic legionis in cohortes distributioni non parum adversantur ea, quæ Diocletianus & Maximinus Impp. rescripserunt in *l.* 3. *C. de his qui non implet. stipend.* ubi legioni cohortem videmus oppositam: ut absurdum videri posset, hanc illius velle partem constituere: sic enim inquiunt; *veteranis ita demum onerum & munerum personalium vacatio jure conceditur, si post vicesimum annum militiæ, quam in legione vel vexillatione militaverint, honestam vel causariam missionem consecuti esse ostendantur; unde, cum te in cohorte militasse commemores, intelligis supervacuo vacationem tibi velle flagitare*. Verum si accuratius posteriora legis verba trutinentur, non inepte cum Bartholo *ad d. l.* 3. hic verus dici poterit illorum sensus, supervacuo scilicet illum petere vacationem, qui in cohorte se militasse commemorat, cum ipso jure a muneribus immunis sit, & veteranorum gaudeat prærogativis, modo de viginti constet stipendiis; quia sub legione militantes vacationem habent: at vero certum est, illum qui in cohorte militavit, etiam ad aliquam pertinuisse legionem. Vel secundo responderi potest, per cohortem in *d. l.* 3. non intelligendam esse legionis partem, sed aliam quam militiam cohortalem designari, quæ in *l.* 4. *C. qui militare poss.* armatæ opponitur: cohortalis enim conditionis homines præsidis erant apparitores, in provinciis perpetuo commorantes, & per omnem vitam huic ministerio obnoxii, ut hi frustra vacationem peterent: Cujac. *ad tit. C. si quis de curiali vel cohortali aliave condit.*

12 Non immerito etiam hic quispiam quæsierit, quid per legionem, quid per vexillationem denotetur, si contingat hæc inter se opponi, & in legione militantem distingui ab eo qui militat in vexillatione, ut in *l.* 1. *C. de hæred. decur. l. fin. C. de his qui non implet. stipend. l.* 9. *C. quando provoc. non est necesse*. Non una enim hac de quæstione doctorum opinio. Cujacius *ad d. l. fin. C. de his qui non implet. stip.* existimat per vexillationem designari numerum, numerum a legione separari.

13 At veniam mihi dari desidero, quo summi viri responso nequeam acquiescere: quominus enim id possim, quod prohibet generalis illa numeri significatio, qua tantum abest ut a legione numeri separentur, ut etiam legio numeri veniat appellatione: *arg. l.* 42. *ff. de testam. milit.* ubi nulli militaribus frui dicuntur prærogativis, nec milites esse, nisi postquam in numeros relati sunt extra omnem vero dubitationis aleam est: constitutum, milites in legione stipendia merentes omnibus militaribus gaudere privilegiis, proinde & in numeris esse; unde manifestum est, & legiones esse numeros.

14 Adrianus Turnebus *advers. lib.* 5. *c.* 2. vexillationes putat esse milites veteranos exauctoratos, id est, missos quidem, sub signis tamen retentos, donec præmia & agros acciperent. Verum nec huic viri literatissimi facile subscripserim sententiæ; obstat enim *l.* 9. *Cod. quando provocare non est necesse*, ubi *veteranis*, inquiunt Impp. *qui in legione vel vexillatione militantes post vicina stipendia honestam vel causariam missionem consecuti sunt, &c.* e quibus apparet, milites & antequam missionem impetrassent sub vexillatione militasse æque ac sub legione: proinde non solis vexillationem veteranis esse propriam. Verum quidem est, ex Tacito constare, veteranos adhuc apud vexillum retentos fuisse; non liquet tamen uspiam, numeros illos speciali nomine vexillationes appellatos.

15 Ut igitur quæ mea sit sententia paucis exponam; salvo doctiorum judicio duplicem vocabuli vexillationis esse censeo significationem, strictam, & latam; quod si illud stricte velimus interpretari, nihil aliud designabit, quam equites alares: ita enim Veget. de re militari lib. 2. cap. 1. *equitum Alæ dicuntur ab eo quod ad similitudinem alarum ab utraque protegant acies, quæ nunc vexillationes vocantur*: Turnebus *d. loco*. Si vero in latiori accipiatur significatione, omnes omnino legionis centurias ac cohortes appellari posse puto vexillationes, eo quod unaquæque centuria proprium habuerit vexillum, cui cohortis & centuriæ numerus inscriptus erat, ut ita dispersi ac disjecti in prælio milites facilius ordines repetere, ac pristinum in illis locum recuperare possent: Veget. *lib.* 2. *de re milit. c.* 13. Sic ut tunc idem vexillatio denotet quod numerus, & utrumque late pateat. Nec leve huic vocis interpretationi momentum adfert *l.* 8. *C. de erogat. milit. annonæ*, ubi numeri vocabulum per vexillationem explicatur; sic enim inquiunt Imperatores: *Omnium itaque numerorum sive vexillationum, aut etiam scholarum tribunos &c.* & ex Tacito *histor. lib.* 2. *cap.* 18. constat abunde vexillorum nomine simpliciter appellatos pedites; *mille*, ait, *vexillarios cum paucis equitibus veterano exercitui objicere*. Quoties autem in legione militantes secernuntur a militantibus in vexillatione, nec legis sensus admittit, ut per vexillationem equitum designetur ala sicut id respuit *l.* 9. *C. quando provoc.* & *l.* 3. *C. de his qui non implet. stipend.* tunc, siquidem conjecturis indulgere liceat, militantes in legione per excellentiam appellatos censerem pri-

mæ

mæ solummodo cohortis in unaquaque legione milites, eo quod hi totius legionis signum commune, aquilam scilicet, custodirent, & Imperatorum effigies ac præsentia signa venerarentur; quod numero & dignitate cæterarum cohortium milites longe majoribus quam reliqui gauderent privilegiis: Veget. *de re milit. lib.* 2. *cap.* 6. In vexillatione vero militantes, quibus præter vexillum cohortis & centuriæ nomine notatum nulla alia signa ad custodiendum data erant.

16 Cæterum in legione cohortes erant decem, manipuli triginta, centuriæ sexagiuta: A. Gellius *lib.* 16. *c.* 4. tribus cohors constabat manipulis, sex centuriis, & hæ iterum in decurias distinctæ. Omnibus vero & singulis hisce exercitus partibus suos esse duces necesse fuit: uti enim magistratibus opus est sine quorum prudentia ac diligentia (*ut ait Cicero* 3. *de legibus*) civitas esse non potest; ita sine ducibus exercitus compages consistere nequit: si non essent in exercitu tam præpositi quam parentes, tam duces quam milites, mera statim oriretur confusio, & omnia ad intricatissimum redigerentur chaos, ubi cuncta perenni committerentur contentione. Qua de causa decuriis præerant decani, manipulis singulis duo centuriones, quorum si alter abesset, alter universo imperitabat manipulo; atque hi ordinum dicebantur ductores, sibique totidem eligebant tergiductores: universæ legioni præpositi tribuni, qui non peditibus tantum, sed & legionis suæ equitibus Imperatoris quotidiana exhibebant mandata. Per duces autem hos subalternos supremo sociantur præfecto milites vulgares, & eorum adminiculo summi copulantur imis: ab Imperatore mandata recipiunt legionum præfecti; eadem ab his per inferiores ad omnes tandem derivantur milites, atque ita in exercitu cuncta legitima cohærere videmus harmonia: testis hujus rei Polyb. lib. 6. *equites*, inquit, *ordinumque ductores omnes oriente luce accedunt ad tribunorum tentoria, tribuni ad consulem; ille quod instat agendum tribunis edicit; tribuni equitibus ordinumque ductoribus; ii multitudini promunt tempore opportuno.*

17 Hodiernos quod spectat exercitus, illi legionibus constant equitum, & legionibus peditum, non equitum pedites, nec equites peditum legioni miscentur, & vulgo vocantur regimina: equitum legio secatur in turmas; peditum in cohortes dividitur: Bocerus *de bello cap.* 10. *n.* 11. de quorum ordinatione legitima, ac dispositione lingua Belg. scripsit inter novissimos Gerard. Melder *tr. de fortific. part.* 5.

18 Longe enim alius hodie præliandi, aciem instruendi, milites disponendi servatur ordo, postquam pulveris pyrii & tormentorum conficiendorum esset a Germano quopiam, uti ferunt, monacho methodus excogitata circa ann. 1378. aut paulo ante: de quo late Panciroll. *rerum memorabilium part.* 2. *tit.* 18. *ibique Salmuthus:* Philip. Camerar. *oper. subcisiv. part.* 2. *cap.* 28. & *part.* 3. *cap.* 82. 83. p. m. parens Paulus Voet *disp. physica prima de nitri pulvere.* Evanuit ex illo tempore Romanorum militura vetus armatura, nulla fere clypeorum, nulla arcuum remansit utilitas, periit balistarum, catapultarum, scorpionum, arietum usus, neque quicquam commodi affert eorum usque adeo laudibus apud veteres elata vis atque violentia. Quod si revivíscerent antiqui heroes, si prodiret Alexander, si Cæsar resurgeret, si redirent Sciopiones gemina illa belli fulmina, quotusquisque illorum ad horrendos harum machinarum strepitus non summo foret animi stupore correptus? non fulgoris ac terrestrium tonitruum miraretur efficaciam? non beatum denique prædicaret seculum, quo novellum hoc ad res suas repetendas, & propulsandas injurias adinventum remedium? Sic ut tolerandi minime sint, qui insigne hoc instrumenti genus una cum auctore suo detestantur, & diris persequuntur execrationibus, orbis luem, monstrum, Stygium magistrum vocitantes, dignum, qui, ut olim Perillus taurum æneum, ita & ipse tormentum hoc primus experiretur, natum in generis humani perniciem, dæmonem habuisse magistrum, & innumera alia, de quibus Salmuth. *ad Panciroll. d. tit.* 18. eos enim, cum in innocentem tantis baccharentur furoribus, invidiæ stimulis, ne quid sequius dicam, agitatos, & accusandi magis vel insaniendi libidine, quam animo recte judicandi instigatos fuisse credibile est, id unicum ægre admodum ferentes, alterius industria in eruendis abstrusis naturæ miraculis sese superatos esse. Enimvero, si egregium semper habitum fuerit omnium rerum naturam, vim & effectus anxius scrutari, si laudabile sit universas ingenii vires intendere ad exhibendum orbi quicquid hactenus hominum socordia vel negligentia fuit reconditum; quid in eo culpandum, qui novum ac ne speratum quidem ante a quopiam excogitavit simplicium temperamentum ac mixturam? quodnam ille crimen commisit, aut quid tam atroci injuria dignum perpetravit, qui curiosum solummodo sese professus est causarum naturalium indagatorem? Si in exitium virorum fortissimorum e latebris eductam hanc dicas a monacho machinam; omnis iræ æstus impetus in reliquorum prius armorum architectos erit excutiendus; criminationibus incessandi prius, qui ante hunc catapultas, tela, balistas cæteraque belli adinvenerunt instrumenta; accusandi magis forent qui in hominum perniciem tormentorum dirigunt ictus, quam primus illorum fabricator.

Tantum autem abest, ut juxta quorundam opinionem interiisse dici possit hoc commento viri virtus, ut eam potius auctam esse non dubitem asserere: cum enim non a corpore, sed ab anima virtus dependeat & ducat originem, tormentis hisce effectum, ut generosos ab ignavis facili negotio milites secernere liceat, dum omnibus minitatur æqualiter idem ineluctabile fatum: unde contingit, ut illi, qui pericula vulnera mortemque metuunt, quamquam corpore robusti, non sponte tamen primam in acie sibi quærant stationem, sed secessum potius, viris strenuis & animis ingentibus tanquam vallo vel clypeo adversus hostium utentes impetum, & assiduo post eorum terga latentes.

19 Denique cum ex legionibus cogatur exercitus, ut ante dixi, in eo quempiam summum expedit obtinere imperium: exercitus quippe sine duce nihil aliud est quam corpus sine capite, vasta, sed imperfecta quæpiam, mutila ac manca moles, quæ il-

illico in partes scinditur, ac monstrosa efficitur sine artuum ac membrorum discretione. Unum autem, non plures esse uno in exercitu duces rationi magis conveniens est, tum Reipublicæ maxime conducit: uti enim orbis ferre duos soles nequit juxta Alexandri magni effatum; ita quoque unus exercitus summos vix patitur duos Imperatores; atque uti monstrum horrendum est corpus duobus eminens capitibus, sic etiam uni exercitui præesse duos dignitatis æqualis summos duces prodigii simile est: societatem scilicet non sustinet dominatio, & omnis consortis, impatiens potestas, neque parem ferre potuit Pompejus. Et certe si æqua hæc falce putemus, multa videbimus a duobus in eodem exercitu pari potestate præditis, nec ibi superiorem agnoscentibus imminere plerumque Reipublicæ incommoda; vel enim, dum uterque sedulo curare creditur, quæ bono publico inserviunt negotia, neuter sæpe curat. Vel si communis uterque quærat emolumentum & salutem patriæ, quandoque fit, ut inter se mutuo sententiis dissideant Imperatores, &, dum rixando tempus teritur; nec alter in alterius transit opinionem, optata res prospere gerendi elabatur occasio. Quid enim si contrarius in negotiis agendis utrique sit animus; alter in aciem educendum, vallo continendum alter censat exercitum; exiguis hic copiis, omnibus ille viribus decertandum existimet, quisnam obsecro litem hanc dirimet? nisi forte novus utriusque consensu constitutus fuerit arbiter, suam interpositurus auctoritatem. Quid quod omni tempore docuerit experientia, non ex animi sententia, vel quod illud, quod urgent, optimum factu putent, sed summo plerumque invidiæ ardore, ac contentionis studio, mutuaque dissidentia agitatos a se invicem discrepare, & in contrarias opiniones ire in pari dignitatis gradu constitutos; quos & in eodem exercitu mutuis vidimus & implacabilibus concitatos odiis atrocia in se invicem divisis copiis movisse bella. Alexandri magni successores solummodo contemplemur, qui cum in eodem omnes apud Regem essent honore habiti, nec ille quemquam ex iis regni designasset hæredem, aut tutorem; asperrimis primum dictis, mox armis inter se contenderunt; unde evenit, ut amplissima monarchia vix dum enata & adhuc primam gentes inter infestas ætatem agens, in varias scinderetur partes, & exiguo temporis spatio vix ulla florentissimi, ac summa virtute parti principatus apparerent vestigia. Quod & olim metuentes Romani, non ambos uni exercitui præposuere consules; verum suas singulis tradidere legiones, sua singulis auxilia assignarunt. Quod si urgente necessitate propter hostium forte formidabilem potentiam consules duo castra jungerent, non penes utrumque simul summum residebat in milites imperium; sed alternis singuli diebus imperitabant, alternis parebant ad instar Castoris & Pollucis. Id manifeste nobis declarat Livius lib. 31. *ut eo modo*, inquit, *una causa, ne extemplo flumen transirent, tenuerit Romanos, quod summa imperii eo die penes Paulum fuerit; itaque Varro postero die, cui sors ei diei imperii erat, nihil consulto collega signum proposuit*. Quamobrem & in rebus arduis dubiis & ancipitibus, ne consules pari Romæ dignitate dissentiendo perire sinerent Rempublicam, dictatorem cum libera potestate creare solebant: Ajala *de jur. & offic. bell. lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 2. 3. ubi plures enumerat dictatura functos.

20 Non quilibet autem indistincte præponendus exercitui, verum optimus in militiæ ducem eligendus; *naturæ enim est*, ut inquit Seneca epist. 59. *potioribus deteriora submittere, mutis quidem gregibus aut maxima corpora præsunt, aut vehementissima: non præcedit armenta degener taurus, sed qui magnitudine ac toris cæteros mares vicit elephantorum gregem excellentissimus ducit*. Omnis enim fere ab Imperatore dependet exercitus fortuna ac virtus; si dux bonus fuerit non deerunt duci boni comites, non strenui milites. Non illum tamen optimum statim dixeris, utique non hodie postquam tormentorum invaluit usus, qui cæteros corporis mole superat, non Imperatori quicquam commodi tribuit, quod inter alios toto vertice emineat, quo nomine laudatus quondam Saulus, Turnus, Porus, aliique, qui vel solo poterant aspectu metum suis incutere adversariis; cum enim hodie contra tormentorum ictus invulnerabilem sese armorum munimentis nemo queat efficere, robusti satis sunt, qui laborem, frigus, æstum, vigilias in milite requisita ferre possunt: neque quisquam prodigiosas formidat in inimico corporis vires, & flocci fiunt monstrosa Goliathi ac similium quondam heroum pondera: nunc hominis pars melior præcipuum in bello obtinet usum; animis opus est, & qui summam in mentis constantia ponunt confidentiam, fortissimorum nominibus insigniuntur; intrepidi, licet exiguæ staturæ viri maxime laudantur, qui non temere, sed judicio circumstantiarum habito discrimine, caput objectare periculis usque parati sunt, nec gloriosam pro patria mortem oppetere detrectant: qui in summis periculis, & circumvolantibus undique mortiferis globis mentis sunt bene compotes, imperterrito vires inimicas lustrantes oculo; & sedato ab omni iræ, metus, odii cæterorumque affectuum æstu alieno inter hostium agmina versantur animo, non magis in atrocissimis adversariorum furiis turbati, aut morientium consternati gemitibus, quam si festivis interessent conviviis, & amicæ familiarium indulgerent confabulationi.

21 Non hic lectori benevolo nauseam me pariturum spero, si perfecti ducis aliquam proponam delineationem, & paulo latius ejus exhibeam ideam; præsertim cum pleraque nutui ejus & imperio subjecta sint, & in eo consistat omne exercitus robur: vere namque proditum esse inquit Florus *lib.* 2. *cap.* 18. *tanti esse exercitum, quanti Imperatorem*. Et unius Alexandri sese spiritu vivere palam professi sunt in expeditione Macedones: Curt. *lib.* 9. *cap.* 5. Unde & merito, cum iidem illi invito Rege in patriam redire & domesticos desiderarent invisere lares, erupit in hæc verba Pellæus juvenis; *jam scitis, & quantum sine rege valeat exercitus, & quid opis in me uno sit*: Curt. *lib.* 10. *cap.* 2.

Non autem speciatim hic determinabo casus, non singula, ad quæ ducem attendere fas est examinabo;

bo; id in bello nutritis relinquo; generales tantum in eo requisitas enumerabo virtutes, Ciceronis summi illius oratoris imitatus exemplum: is enim in oratione pro lege Manilia; in *summo Imperatore quatuor hæ virtutes inesse debent*, *scientia rei militaris*, *virtus*, *auctoritas*, *felicitas*.

22 Primum itaque summa requiritur in duce rei militaris scientia; quo enim pacto posset aliis imperare, qui rerum penitus ignarus est? quæ militibus mandata dare, qui quid fieri debeat ipse nunquam didicit? addit confidentiam peritia, dimicandi nutrit audaciam scientia rei bellicæ, ut inquit Veget. *de re militari lib.* 1. *cap.* 1. neque quisquam facere metuit quod se bene didicisse confidit. Quadragesimum stipendium Cæcinna parendi aut imperitandi habebat, *secundarum ambiguarum rerum gnarus*, teste Tacito ann. 1. c. 64. *eoque interritus*. At qui in tanta re omnium imperitus est, trepidat, festinat, sic ut, si non aliquem sumpserit e populo officii sui monitorem ac imperare jussus alium sibi quæsiverit Imperatorem, feretur equis auriga, nec audiet currus habenas, ac præter generis sui naturam consternati milites in præcipitium ruent. Neque aliud quicquam Phætontis infortunio designare voluit sub fabularum involucris veritatem occultare solita veneranda antiquitas, dum fingeret eum solis currum moderantem non sibi tantum & universæ huic mundi compagi, sed & ei, qui frenum ipsi commiserat, fere exitium intulisse. Bellicosissimos sane ducis imperitia sæpe perdidit exercitus; imperantis amentia e fortissimis conscriptæ copiæ militibus in fugam versæ. Quot non demisit ad orcum viros strenuos propositi vesania? quis omnes illos illustres enumeret heroes, qui Imperatoris inscitia inevitabile subiere fatum: pleni sunt annales, plenæ omnium temporum historiæ exemplis calamitatum, quibus occasionem præbuit exercitum regentis imperitia. Nunquam internecione cæsus a Cyro fuisset Tomyridis Scytharum Reginæ filius, si hostium in proximo commorantium metuere didicisset insidias: Justin. *lib.* 1. *cap.* 8. Et interiit inde cum iis, quos secum in prælium eduxerat, Sardanapalus nihil aliud agere, quam inter mulierum gregem purpuram colere, pensa inter virgines partiri, fucis semet exornare, & corporis habitum ac ætatem mentiri suetus: Athenæus *lib.* 12. longum nimis esset Xerxis in Græcia, Publii Æmilii & Varronis apud Cannas, & aliorum commemorare clades & interitus ex nimia ipsorum ignorantia secutos.

23 Duplex autem præcipue reperitur acquirendi summam in bello peritiam methodus, experientia scilicet, & eorum sedula lectio auctorum, qui de rei militaris usu ac stratagematibus suas in lucem edidere lucubrationes, quos summa cura collegit & enumeravit Naudeus *de studio militari lib.* 2. *cap.* 4. Et maxime quidem lectio ad formandum conducit Imperatorem; licet enim experientia sit optima magistra, ac præsens conspicuumque exhibeat rei specimen, cujus in libris sola reperitur idea: quia tamen in bellis quotidie novæ solent excogitari machinationes, & rarissime bis eadem numero duci offertur occasio, etiam vitæ breve curriculum, ac belli calamitas vix millesimam eorum, quæ in præliis contingere possunt, partem permittit experientia cognosci; legendo potius pleraque sunt addiscenda; sic enim intra exiguum temporis spatium illorum omnium perfecta poterit acquiri notitia, quæ illustribus unquam moratiorum gentium evenere ducibus, adeoque vel aliorum periculo cautior fiet Imperator, vel illorum prospero motus successu in arena simile quid perpetrandi consilium capere facile poterit. Insigne nobis Cicero prodidit hujus rei exemplum in Lucullo, quem *lib.* 4. *Acad. quæst.* memorat ad Mithridaticum bellum a Senatu missum rudem rei militaris Roma profectum, percunctando & legendo res aliorum gestas in itinere, cum in Asiam pervenisset, inter summos jure relatum fuisse Imperatores.

24 Quæri posset, an & aliarum rerum scientia quædam duci necessaria sit ad id, ut rei bellicæ peritia clarus dici possit? Naudeus, *lib.* 2. *de studio milit. c.* 2. eruditione ac multa jugi lectione conspicuos salse ridens viros, existimat aliarum artium ac scientiarum cognitionem non modo nihil prodesse Duci, verum ex adverso veræ militari plurimum nocere fortitudini; his præsertim, ut ait, motus argumentis; quod Proclus e Platonis academia philosophus insignis magistratui prudentiam, militi fortitudinem, civibus opulentis injungat temperantiam: quod Ciceronis opinio sit pro temporum mutatione armis vel legibus incumbendum esse: quod dum alia multa scire desiderant, ne ea quidem, quæ necessaria sunt, scire videantur: quod unius mens non ad omnia munera sit idonea, nec tantæ molis capax: quod viri robusti, corpore vegeti requirantur ad militiam, hi autem hebetiore sint animo, nec illas percipere queant scientias, quæ acrius ingenium, majorem industriam, consilium prudentius requirunt: quod studia secessum & otia quærant armorum strepitibus contraria, doctrina conjunctam habeat timiditatem, literatos comitetur φιλοψυχία, quod Gothi & barbari literas oderint, Turcæ, Tartari adhuc hodie contemnant, Græci literarum professores finibus expulerint: denique, quod viri docti militiæ operam dantes in enormia sæpe vitia lapsi fuerint. Verum his non obstantibus verior est illorum opinio, qui reliquas artes plurium censent ad militaria conducere negotia, & optimum eum ducunt ducem, in quo cum rei militaris peritia juncta reperitur aliarum scientia disciplinarum, & belli artibus miscetur eruditio: acuunt enim ingenium, promptum reddunt, & exercent, ut facilius novos astus Imperator, nova adversus illos remedia possit excogitare, in quo præcipuum ejus consistit officium, eoque inter alios emineat necesse est. Præterquam quod adeo arctæ pleræque cohæreant inter se artes, ut vix per se singulæ subsistere vel cognosci queant absque cæterarum adminiculo, neque quisquam in una possit excellere, qui non aliquem perceperit aliarum gustum. Quod si exemplis contendere libeat, vix ullum constabit illustrem inter Græcos repertum ducem, qui non Musarum quoque sacris initiatus fuerit. Epaminondas, Phocion, Pericles, Themistocles, Alcibiades, Dion, non Græcorum minus instructi fuere sapientia, quam rei militaris gloria cla-

clarueruut. Institutus salutaribus Epaminundæ monitis Philippus: Alexander sub Aristotele per integrum decennium philosophiæ præceptis incubuit; & hi fortitudine sua summum a Persis ad Græcos orbis transtulerunt imperium. Quod si Romanorum Rempublicam, in eaque generosos heroes contemplari juvet, nec hos Sophiæ aspernatos fuisse sacre patebit, verum militari studio rerum aliarum junxisse peritiam. Ut silentio transeam Scipionem, Lucullum, Fabrum, Decium Murem, Marcellum, aliosque doctrina pariter & armorum usu conspicuos, Cæsarem solummodo Pompejumque intueamur, propter incredibilem fortitudinem & innumere fere strenue feliciterque confecta bella famam astris terminantes; quorum hic Cratippi frequentavit auditorium, ille Aristonis institutione, ac perpetuo librorum, quos ubique secum in expeditionibus habebat, usu in hanc evasit literarum peritiam, ut ipse luculenta oratione ac stilo nulli secundo proprias posterorum memoriæ tradiderit res in Gallia alibique gestas. Neque recesserunt ab hac opinione nostrorum temporum excellentissimi duces ex illustri Nassoviorum oriundi familia, qui, quamvis hostibus undique semet armis efficerent formidabiles, neutiquam tamen humaniores contempsere literas. A Musarum cultu accersitus, & in exercitus ducem communi Ordinum electus suffragio gloriosæ memoriæ Mauritius Arausionensium Princeps. Henricus Comes Nassovius Frisiorum Gubernator, cujus fortitudinem non amici tantum & socii, sed ipsi quoque hostes & exteri mirabantur, præter vernaculam, etiam Latinam Italicam Gallicam Anglicam Hispanicam fertur calluisse linguam, & plerasque sibi familiares habuisse liberaliores artes ac scientias. Et in bello quoque utilem doctrinam facto suo demonstravit abunde Alexander Severus Imperator: si enim de re militari agendum esset, veteranos milites, & literatos omnes ac historiarum peritos convocabat: Ælius Lamprid. *in vita Alexandri Severi fere in principio*. Quod etiam respexisse quondam videntur Romani, qui Herculi ac Musis commune ex consortio pecunia erexerunt templum, & Minervam belli pariter ac sapientiæ finxere Deam, eamque armatam e Jovis cerebro prodiisse. Armis scilicet literas sociari voluerunt, & indissolubili sibi invicem nodo jungi.

Neque quicquam adversantur a Naudeo coacervatim in contrarium adductæ rationes, quarum ridenda prorsus impotentia vel primo poterit unicuique innotescere intuitu; neque enim, vel Proclus, vel Cicero militibus ullam censent interdicendam humaniorum artium notitiam, alias nec in iis requisita foret temperantia, quod eam Proculus civibus tantum injungat opulentis: verum primario studio militari censent incumbendum militi, quod si variis juvetur disciplinis, non improbant, & multo sane nobilius apparebit atque perfectius. Mirari vero non satis possum, eo dementiæ processisse virum doctum, ut asperum Gothorum ac Barbarorum litteras contemnentium, & solo bello semet exercentium institutum cultis prætulerit Græcorum ac Romanorum moribus: nam artes cæteræ quantum adferant in bello emolumenti, satis docuerunt graves barbaris illatæ clades. Fusa fugataque sæpius ab exiguis Alexandri copiis sexcenta Persarum millia. Gallos ac Germanos incultas & frondibus hirsutas colentes silvas, ac latrocinii vias infestare suetos minoribus viribus suffultos Cæsar terga sæpe dare coegit, & eos, a quibus numero ac corporis robore vincebatur, ingenii solertia & astu superavit. Studia insuper, inquit, secessum & otia quærunt; non equidem diffiteor: illud tamen non impedit, quo minus alternis vicibus armis liceat & literis semet addicere. Viros autem doctos pericula mortemque metuere quisquis asserit, næ ille vim veritati infert quam insignitissimam; longe aliter existimavit olim studiosus sapientiæ Seneca: cum enim ei Neronis mandato lugubre mortis afferretur nuncium, non metu victus, non sæva mortis instantis stupefactus imagine, sed imperterrita mente præsentes consolatus est amicos, *ubi*, inquit, *præcepta sapientiæ? ubi tot per annos meditata ratio adversus imminentia?* Tacitus *annal. lib.* 15. c. 62. per philosophiam scilicet adversus malignos quosvis sese muniveret intonantis fortunæ impetus. Pari Socrates enim constantia mortem, quamquam injuste illatam, velut donum amplexus est: orationem ejus ad judices a quibus supplicio fuit addictus, Cicero exhibet *Tuscul. quæst. lib.* 1. *sive de morte contemnenda sub fin.* Cæterum quidquid de debilioribus nugatur corporibus studio literarum magis idoneis, robustis hebetioribus, & ejusdem farinæ alia refutare piget, quorum falsitatem, si ad ea solummodo, quæ antea produxit, respicere voluisset exempla, facilius animadvertere potuisset, quantum a veritate aberrasset.

25 Rei militaris scientiam virtus excipit; quæ quidem a cultu religioso ac pietate erga Deum inchoanda; quanto enim magis Imperator exercitus quam cæteri vitæ discrimen adit, tanto quoque ardentius sibi Numinis conciliet benevolentiam fas est. Illud vel ipsi exemplo suo docuerunt gentiles: expeditionem cum legionibus suscepturi Consules Romani Jovis optimi maximi adire templum, Junoni Sospitæ, ac Jovi Latiali sacra facere solemnia, votisque nuncupatis iter prosperum ac reditum felicem ab iis postulare solebant: *Alexand. ab Alexandr. Genial. dier. l.* 5. *c.* 5. Unde & Æneam stirpis Romanæ conditorem Virgilius velut omnibus numeris absolutum dum exhibet in bello Ducem, passim eum pietate dixit insignem & armis, quo non alter erat aut pietate justior aut bello major: nempe non ignari erant ethnici, sine summi rerum moderatoris auspiciis, ope, honore nihil rite, nihil provideuter geri: p. m. parens Paulus Voet *tract. de jurisprudent. sacra cap.* 1. *sect.* 1. *in princip.* Et optimi quique a Deo victoriam proficisci fassi sunt Christianorum Principes; illustris illa est ac memoratu digna Alphonsi Aragonum & Siciliæ Regis ad filium, quem contra Florentinos mittebat, oratio; *victoria*, inquit, *non ex hominum consiliis sed ex summi Dei voluntate ac potestate proficiscitur: tum denique tibi militares artes profuturas scito, cum Deum tibi pietate ac justis factis propitium reddideris; eum igitur si vincere expetis, pura mente colito, spemque omnem victoriæ in eo reponito.* Ut & Justi-

stiniani in *l.* 1. *C. de veter. jur. enucl.* Sic ut ultra Sauromatas & glacialem oceanum releganda sit impia illa stolidi quondam & arrogantis Ajacis opinio: patri quippe monenti, ut virtute vinceret, verum non absque Dei auspiciis, respondit:

. . . . adjuvante, mi pater, Deo
Victoria potitur ignavissimus;
At destitutus etiam ope Deorum scio
Bellique confido me adepturum decus.

Sophocles *in Ajac. flagellif. ex versione Ratalleri.*

Atque huic simillima Divum contemptoris Mezentii hæc dictu nefanda proferentis:

Dextra mihi Deus & telum quod missile libro.
Virgil. *lib.* 10. *Æneid.*

Quorum scelerata dogmata quamvis essent a moratioribus rejecta ac protrita, ea tamen non dubitavit ausu giganteo ab inferis revocare Florentinus politicus, ea de causa a Naudeo *de studio militari lib.* 1. *cap.* 21. *n.* 3. jure merito notatus ac refutatus.

26 Cæterum præcipuam virtutis in Imperatore partem constituit fortitudo & imperterrita in periculis animi constantia; mollis enim si fuerit & effœminatus, non etiam milites suos ad discrimina præliorum subeunda promotos invenit aut paratos.

Scilicet in vulgus manant exempla regentum
Ut Ducum lituos, sic mores castra sequuntur:
Inquit Claudian. *in laud. Stilicon. lib.* 1. .

Proinde, si quicquam a militibus exigat, ipse bono præcedat exemplo, facto proprio illos excitet ad virtutis officia. Cum ad iter perpetuis obsitum nivibus venisset Alexander, & locorum squallor ac solitudines militem deterrerent, ipse equo desiliit, pedesque per nivem concretam ingrediens ac dolabra glaciem perfringens, iter sibi fecit; quo factum, ut primum amici, omnes deinde milites non sequi Regem erubescerent: Curtius *l.* 5. *c.* 6. *Si laboris & inediæ, æstus ac vigiliæ patientes desideret milites, non ipse genio indulgeat dum reliquos urget inopia.* Non solus bibere sustinebat Alexander, oblato ei aqua repleto poculo, dum universus aquarum penuria extabesceret exercitus: Curtius *lib.* 7. *c.* 5. *Non illos* (milites scilicet) *arcte colam, me opulenter*, inquiebat Marius apud Sallust. *de bello Jugurth. cap.* 85. Corbulonem Tacitus testatur cultu levi capite intecto in agmine in laboribus frequentem adfuisse, laudem strenuis, solatium invalidis, exemplum omnibus ostendisse: *annal. lib.* 13. Idem Titum Cæsarem memoriæ prodidit in opere in agmine gregario plerumque militum, *histor. lib.* 5. Antoninum Imperatorem una cum exercitu pedibus incedere & graviora militibus arma portare solitum fuisse testis est Herodianus *lib.* 4. *hist.* unde eum exercitus ut hominem militarem diligere, & ut fortem mirari cœpit. Marium autem similesque duces ante oculos habens Pescennius Niger semper ante papilionem militarem cibum sumpsit, nunquam adversus solis æstum umbræ solatium, nunquam adversus imbrem tecti quæsivit suffragium, & tantum ipse sibi quantum reliqui milites usque portavit. Quin & in concione juravit, quamdiu in expeditionibus fuisset essetque adhuc futurus, se non aliter esse acturum quam militem: Spartian. *in ejus vita.* Quod si fortitudinem in illis requirat, ipse exemplo suo illos provocet ad edenda præclara ingentis animi specimina; cum in aciem educitur exercitus, cum in hostes signa moventur, ipse principiis frequenter intersit: *l.* 22. *§.* 2. *ff. de re militari*, atque tunc facilem sibi poterit triumphum spondere: urget scilicet præsentia Turni, sic ut ante oculos sui quisque ducis mortem occumbere ducant egregium; nec exiguum militibus addidit animum, quod ducem propriis videant parere mandatis, & eadem pericula, eadem bellorum incommoda sustinere, neque adeo sensus humanos flectere queunt edicta & pœnarum comminationes, quam quidem vita regentis; quæcunque exemplis ostenduntur, hic amice milites obsecundant; at quæ mandatis injunguntur, si ardua sint & periculi plena, non sine indignatione iis obtemperant militares animi: *si quid injungere inferiori velis* (inquit Livius lib. 26.) *id prius in te ac tuis si ipse statueris facilius omnes obedientes habeas*, spontaneam enim efficiunt submissionem, & innatam ultro virtutem excitant; cum ex adverso invitos ad obedientiam fere mandata constringant, & pœnarum magis formidine quam ducis vel virtutis amore nolentes ad fortia facta impellant. Proinde, si duci modo turpe fuerit antiquorum more Germanorum (uti tradit Tacit. *de mor. German.* c. 14.) in acie virtute vinci, turpe quoque comitatui erit ducis virtutem non adæquare; si pro victoria pugnet Imperator, Imperatoris pro salute comites adversis in hostes ruent pectoribus; atque ita virtuti non deerit successus, & generosis conatibus felix comitabitur eventus. Neque illud ignorarunt fortissimi quique duces, quos & ea de causa cernimus ante signa sæpe in prima adversus hostes acie dimicasse, & dextra propria sibi quæsivisse triumphi decus. Inter primos junctis agminibus prope Darii currus cum Persarum lectissimis conflixit Alexander, primus in obsessa mœnia desiliit armatus, inter primos fugientem insecutus est Indorum Regem Porum; si flumen esset trajiciendum, cujus ulteriorem ripam hostes obsiderent, primus in scaphas sese conjecit, primus solvit, primus appulit, in adversarios arma convertit, de quibus passim Curtius & alii in ejus vita. Scuto militi detracto Cæsar in prima constitit acie, eoque modo suorum jam fugam magis quam prælia meditantium confirmavit animum: Cæsar *de bello Gall. lib.* 2. *c.* 25. Quandoque, ne quid a gregario differret, etiam equum ablegavit, pedesque inter prima procurrit agmina; sic ut merito Florus diceret, multum in præliis fuisse Cæsarem, mediumque inter Imperatorem & militem: Florus *lib.* 4. *c.* 2. Postumius Dictator, Ebutius Magister equitum & Tarquinii summi copiarum duces, teste Livio *lib.* 2. non ad regendam modo consilio rem adfuere, sed smismet ipsis corporibus dimicantes miscuere certamina. Et ad idem agendum se mutuo instigarunt duo Fabii: *nos*, inquit alter, *ut decet proceres, ut Fabio nomine est dignum, pugnando potius quam adhortando accendamus militum animos;* nec mora, infestis hastis in hostes ambo provolabant, & trepidantem universum secum movebant exer-

xercitum: Livius *lib.* 2. Commendatus hoc nomine a Polybio Rex Antiochus: Polyb. *lib.* 10. *in fin.* Laudatus eadem de causa conjurationis princeps Catilina: Sallust. *in fin. belli Catilin.* Neque dubitavit illud idipsum Marius iis quibus imperabat promittere militibus; *egomet*, inquit, *in acie in prælio consultor idem & socius periculi vobiscum adeo:* Sallust. *in bello Jugurth. c.* 85. Ubi vero duces spectatores tantum, non autem præliorum sunt actores, nec una cum victoribus victoriæ cupiunt auctores esse, milites plerunque reperiuntur in hostem segnes, & ad minima quæque metu ac stupore correpti, sic ut illico de vita ac salute solliciti vix primum sustineant adversariorum impetum: quis satis exprimat tristes omnes & infortunatos præliorum eventus, quos post se traxerunt ejusmodi Imperatorum vitia? quis memoret infandas, quæ integris inde exercitibus supervenere, calamitates? dum suos adversus exiguam Græcorum classem dimicantes eminus tranquillo Xerxes intuetur oculo, immensus illius evanuit belli apparatus, & tremendæ temporis momento fuerunt eversæ copiæ navales: Justin. *lib.* 2. *c.* 12. Nec alia res Antonii magis acceleravit interitum, quam quod militibus acriter adversus Octavium prælia capessentibus, ipse Cleopatram fugientem prosecutus acie excederet, & detracto capite solos relinqueret in certamine milites: Patercul. *lib.* 2. *c.* 85.

27 Illa quoque non exigua virtutis in Imperatore requisitæ pars est, quod in dubiis & ancipitibus meliora sperare non desinat, & de summa rei bene ominetur; vel si justa forte causa timoris appareat, non tamen militibus metum prodat: illud quippe præliandi illis adimit ardorem, & certissimæ fere cladis præsagium est: quid enim, obsecro, de trepidante ac propinquæ mortis exspectatione pallente sperandum exercitu? altum potius corde premat dolorem, & spem interim vultu simulet, ac si nec malis cedere cuperet, nec hostium formidaret potentiam.

. . . . *Ducis hoc boni est,*
Læta palam habere, infausta premere silentio.

Juxta Sophoclem in Oedipo Colon. *crescit enim animus adhortatione ducis si nihil ipse timere videatur*, inquit Veget. *de re milit. lib.* 3. *c.* 8. Sic, referente quopiam sagittis Persarum solem obscurari posse, quamvis instans grave novisset periculum Epaminondas, attamen ut flocci pendere videretur hostium numerum, *bene narras*, inquit, *in umbra enim melius præliabimur:* Valer. Max. *lib.* 3. *c.* 7. *in fin.*

28 Referenda hoc etiam ducis prudentia, qua omnia illa procurare solet, quæ ad exercitus conducunt conservationem, & in hostium tendunt exitium; qua, quid in rem futuram utile, in præsente commodum, vel noxium sit æstimat; aptum rebus agendis eligit tempus, & extemporanea rebus arduis & inopinis adhibet remedia, adeoque maturo cuncta ac deliberato perficit consilio, ut non abs re dixerit Horatius Consul de relata per collegam ab hoste victoria verba faciens; *consilio collegæ, virtute militum victoria parta est:* Liv. *lib.* 3. & certe, non aliam ob causam in altiori honoris fastigio tanquam in specula constitutus est exercitus Imperator, quam ut oculorum acie privilegii atque indefesso labore in omnium militum salutem incumbat; quam tutari commode non poterit, nisi suas pariter & hostium compertas habeat vires; annonæ, armorum, castrorum munitionum sollicite curam gerat, præcipue vero milites ne diuturna quiete in ignaviam & alia vitia dilabantur, ad exercitationem crebro producat: *l.* 12. §. 2. *ff. de re milit. l.* 4. *C. de offic. judicis milit. l. fin.* §. 9. *C. de offic. præfecti prætor. Africæ:* exercitus enim labore proficit, otio consenescit, & uti frustra quis ab equo stabulis, non oneribus assueto ingentem ac diuturnum exigit prima vice laborem, sic quoque voti carebit eventu, quisquis ab armatis dudum desidiæ & otio litantibus eximiam velit expectare in bello fortitudinem, corpora namque languidiora redduntur, animisque decrescit vivus ille vigor, atque ut gravi squallent odore stagna, fœtent putredine stantes aquæ, adeo ut nulli queant usui inservire, ita quoque longa quiete torpet universus exercitus, sic ut Reipublicæ vix quicquam possit afferre commodi, sed sæpe ubi hostis adest, & ut ajunt Hannibal ante portas, per fas & nefas prælia declinare, & adversariorum studeat effugere conspectum, vel in seditionem adversus Imperatorem suum erupturus, si hac via pugnam evitare se posse speret. Unde & memoriæ proditum, plus molis adversus militum ignaviam fuisse Corbuloni, quam contra hostium perfidiam, cum in ipsius castris reperirentur veterani, qui nunquam stationem, non vigilias iniverant, & vallum fossamque quasi nova & mira visebant: Tacit. *ann. lib.* 13. ut igitur hanc ab exercitu suo pestem averteret Galba, *veteranum ac tyronem militem opere assiduo corroboravit:* Sueton. *in ejus vita cap.* 6. Ac ne desidia marcescere milites & ad illicita quæque dilabi sinerent optimi quique Romanorum duces, in stativis etiam citra necessitatem eos fossas ducere, vallo castra cingere, flumina jungere fluminibus jubebant; vel si nihil horum iis injungeretur, ad palos utique illos in castris ea de causa erectos semet exercere cogebant, in palum ut in adversarium dirigentes ictus: Veget. *de re milit. lib.* 2. *cap.* 23.

29 Cum autem omnium sæculorum docuerit experientia, non esse cunctandum in iis quæ deliberato consilio visa fuerint ingens allatura Reipublicæ emolumentum, sic ut nihil esse procrastinandum, verum celeriter omnia executioni mandanda, Africanus superior Cæsarque censuerint, teste Cicerone 7. *in Verrem*, *& pro Marcello*. Cuncta etiam superflua removenda erunt impedimenta, ne gravis iis motuque difficilis fiat exercitus, & procurandum præcipue, ut ducatur *agmen & stare paratum & sequi, nec turba, nec sarcinis prægrave intentum ad ducis non signum tantum sed etiam nutum.* Quo nomine quondam laudavit Alexandri copias Curtius *l.* 3. *c.* 3. ita enim idem eveniet hostibus quandoque quod olim Hannibali, qui non ante Claudii Neronis Consulis expeditionem quam reditum fratrisque sui Asdrubalis interitum intellexit, licet non longe abesset: Frontin. *de stratag. l.* 1. *c.* 1. *n.* 9.

Ne-

Neque quicquam magis adversus formidabilem Hispanorum potentiam profuisse nostratibus testantur earum rerum periti, quam quod illustrissimus Princeps Mauritius Cæsarem & Alexandrum imitatus, levem plerumque duceret exercitum, ut celeri copiarum motu posset hostium eludere conatus, & festinando prosperos eorum successus impedire: nam & Alexander in Indiam expeditionem suscepturus, cum videret agmen spoliis apparatuque luxuriæ grave, ne eorum onere impediretur in fugam actos hostes expedita militum manu persequi, suas primum, dein universi exercitus sarcinas incendio consumpsit, neminem sanguinis pretium audente deflere, cum regias opes idem ignis exureret: Curt. *l.* 6. *c.* 6. parique de causa, P. Decius milites, ut omnem venderent vicinis prædam, adegit: Livius *l.* 10. Cæsar vero ex Sicilia in Africam ita exercitum transportavit, ut præter ipsum militem, & arma neque vas, neque mancipium, neque ullam rem, quæ usu militi esse consuevit, in naves imponi pateretur: Pansa *de bello Afric. c.* 47.

30 Illud quoque ducis prudentis est, ut suspecta habeat transfugarum consilia, suspecta inimicorum dona, neque facile delationibus ipsorum fidem adhibeat: timendi scilicet Danai & non carentia dolis dona ferentes: uti enim Sophocles inquit in Ajace Flagellifero ex versione Ratalleri:

Verum vulgo est quod ferunt proverbium;
Data ab hoste dona non esse dona, sed graves
Secum usque trahere inauspicata noxias.

hostes sæpe prodige fidem & lætitiam frontis præ se ferunt interim dum detestandas struunt incautis insidias & enormia scelera machinantur. Nunquam Trojanum Græci perpetrassent excidium, si quidem fraudulento perfidi Sinonis consilio de recipiendo intra mœnia fatali equo Teucri non auscultassent. Capta non fuissent Sabini Cottæque castra, si dolosam contempsissent Ambiorigis orationem, qui uno die omnia Romanorum castra, ne legio legioni suppetias ferret, simul oppugnatum iri asserebat: Cæsar *l.* 5. *de bello Gallic. c.* 27. *& seqq.* Non Babiloniam in potestatem suam redegisset Darius, nisi ejus incolæ Zopyri transfugæ laniato decepti corpore exercitum ei credidissent: cum enim parva primum manu semel atque iterum feliciter Persas de composito credens fugasset, eoque modo fide sibi conciliata factus esset exercitus universi præfectus, urbem & milites Dario proditione tradidit: Justin. *l.* 1. *c.* 10. Atque hinc est quod Philistæorum Principes adversus Saulum dimicaturi ab Achide Rege postularent, ut Davidem castris excedere juberet, neve permitteret ipsum una cum iis adversus Israelitas in prælium descendere, *ne*, inquiunt, *in prælio nobis sit adversarius, in quo enim placebit sic domino suo? an non in capitibus virorum istorum?* 1. *Sam.* 29. *v.* 4. Proinde Romani tot aliorum edocti calamitatibus transfugas omnes detractis armis in postrema collocarunt acie, ne alias simulata sorte fuga molirentur insidias: Alex. ab Alexandr. *gen. dier. l.* 4. *c.* 7.

31 Denique summopere victori duci conducit & exercitui, si in fugam versis hostium copiis omnis elabendi non intercludatur occasio. *Nullus perniciosior hostis est*, ait Seneca lib. 2. natur. quæst. cap. 59, *quam quem audacem angustiæ faciunt*, & uti maxime mortiferi sunt morientium bestiarum morsus, sic quoque plus negotii cum iis est, quibus imposita moriendi necessitas: ubi enim omnis salutis spes est sublata sæpe debellatis in præcordia redit conscia virtus, aut in desperationem metus convertitur, & furentibus simillimos, velut densa venantum corona septas aut inclusas ac concitatas in circo feras, ad quidlibet audendum, ad obvias quasque difficultates superandas paratos efficit; sic ut omnes irarum laxantes habenas, qua tela vident densissima, tendant, & hoc unicum in extremis quærunt solatium, ne, si pereundum omnino sit, inulti saltem vel absque fortitudinis laude cecidisse videantur; sed ad instar apum potius in adversariorum vulnere ponant animas. Neque mirum illud cuiquam videri debet, *necessitas enim* (ut inquiebat Messius Vectius undique Romanorum cinctus agminibus, referente Livio lib. 4.) *ultimum ac maximum telum est* & verissimum illud Poetæ:

Una salus victis nullam sperare salutem.

Tunc nihil ipsis apparet arduum, nihil insuperabile, per avia viam quærunt, & quoquo modo conantur evadere. Demetrius Rex omnibus destitutus vivendi adminiculis, & pestifera lue contritus, missa supplicum more miseranda epistola Seleuci imploravit auxilium: cum vero non tantum nihil eorum, quæ peteret, impetrasset, verum insuper hostilibus undique circumdatum se cerneret præsidiis, & ademptam in regnum remeandi potentiam, in rabiem actus, quod precibus efficere nequibat, desperatione & armis effectum reddidit; Seleuci namque exercitum fugam capessere coegit, & ipsa finibus expulit præsidia: Plutarch. *in vita Demetrii*. Thuscis omnem Manlius Consul interclusit exitum, quo factum, ut de salute desperantes post tentatum aliquoties frustra transitum, in ipsum tandem Consulem impetum facerent; nec vis sustineri potuit, cecidit ipse Manlius, cecidisset luctuosa clade, ni propere porta fuisset inclusis aperta, universus cum ducibus Romanorum exercitus: Livius *l.* 2. Alcmariæ cives hostem appropinquare videntes, ad aversam sese conferebant portam, certo urbis deserendæ proposito, ast ubi & illam cinctam animadverterent, metu protinus in furorem converso, magnis animis acerrimum hostium sustinuerunt impetum, eorumque frustraneos effecere conatus: Sande *histor. l.* 1. *Multos scilicet perituros parati ad pereundum animi ipsa admiratio eripuit, & causa illis vivendi fuit fortiter mori*: teste Seneca Suasor. 7. Quod, si quacunque viam virtute petunt, successus deficiat, neque videant amplius, quo semet eripiant, aut qua vi tendant in adversarios, eo tandem desperationis adiguntur, ut se suaque sponte perdere, & una veluti ruina pariter involvere, quam hostium arbitrio committere malint. Numantini post perpessam quatuordecim annorum arctissimam obsidionem, & speciosis multis facinoribus monstratam industriam, cum nec Romani illos in deditionem ea vellent recipere conditione, ut digna viris paterentur, nec inimicorum possent conterere castra, profunda fossa circumsepti, urbem & quicquid in ea repertum,

tum, seque quasi Vulcano sacrum facturi igne cremabant, nil præter inane nomen & felicis quondam Numantiæ (quæ summum, si viros æstimes, Hispaniæ decus erat) ruinas ac fumantia rudera, & commune civium fortissimorum bustum victori populo relinquentes: Florus *l.* 2. *c.* 18. quin & ipse Sardanapalus omnium quos terra sustinuit hominum effœminatissimus, ubi nulla impunitatis spe affulgente pereundum sibi vidit, una cum regia gaza, nequid hostibus relinqueret, sese combussit: Justin. *l.* 1. *c.* 3.

Rectius igitur, ac prudentius egerunt Cæsar, Agesilaus, Antigonus, Hannibal, aliique quos narrat Frontinus *l.* 2. *stratag. c.* 6. ubi inclusos adversarios ex desperatione vires resumere cernerent, laxatis ordinibus eis evadendi concessisse viam, ac fugientium demum tergis acriter inhæsisse. Dignus laudum præconio Themistocles, qui, cum Græcis sententia staret interrumpendum pontem, ut ita victo Xersi redeundi via adimeretur, veritus ne iter quod aliter non pateret, ferro sibi aperiret, suffragiorum interim numero superatus, ad Xerxem suorum detulit consilium, atque maturata fuga transitum occuparet ei auctor fuit: Justin. *l.* 2. *c.* 13. Quapropter etiam, ut ignavos una cum strenuis ad fortiter præliandum constringerent Romanorum duces, & eandem omnibus imponerent confligendi necessitatem, in locis hostium præsidio clausis quandoque suas acies instruxerunt, sic ut in fuga nullam possent sibi quærere salutem, verum aut vincere cogerentur aut mori. Testes ejus rei Fabius, Hannibal, Cato aliique quos enumerat Ajala *de jure & offic. belli l.* 2. *ç.* 11. *n.* 1. 2. 3. testis patrum nostrorum memoria Princeps Arausionensium Mauritus in memorabili illo inter Hispanos ac Belgas fœderatos in Flandria prælio, ubi omnes a littore in altum sese naves recipere compulit, quo nullam suis nisi in victoria spem superesse monstraret: *Reidan. Annal. l.* 17.

32 Neutiquam vero in superatos ac dedentes sese sæviendum hostes; eo namque fit, ut alii deditorum edocti casu potius extrema quæque tentare malint, quam adversarii sese committere clementiæ. Neque quicquam magis (referente Sande *histor. l.* 1.) motuum Belgicorum initio civitatibus Hollandiæ salutem attulit, quam atrox illa in Sutphaniæ ac Nardeni incolas ab Hispanis patrata crudelitas. Animadvertebant scilicet, sive dederentur sive vi subigerentur, nihilominus sibi pereundum esse; ac proinde gloriosum mortis genus infami præferendum censebant. Parcendum potius est debellatis; suffecerit illos sese victos confiteri, quamvis etiam acriter semet ante victoribus opposuerint; cogitent duces sine summo scelere facili de causa neminem loco cedere, vel dedere se posse: pulchrum quidem armata manu validas hostium superare copias; at erigere, servare, parcere mansuetudinis est, clementiæ & moderationis, iram concitatam domare, reprimere æstuantes affectus, id vero generosum, id demum imperatorium est, nempe ut Ovidius inquit *l.* 3. *trist. eleg.* 5.

Quo quisque est major, magis est placabilis ira,
Et faciles motus mens generosa capit.
Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni,
Pugna suum finem cum jacet hostis, habet.
At lupus & turpes instant morientibus ursi,
Et quæcumque minor nobilitate fera est.

Porum Indiæ fortissimum Regem pertinaciter pro regni conservatione depugnantem, simul ac sese fassus est inferiorem, Alexander non vita tantum donavit, sed & inter amicos recepit: Curt. *l.* 8. *c. fin.* Perpendant insuper in eandem exiguo temporis intervallo mutato fortunæ vultu sese posse calamitatem incidere, adeoque quicquid in alios statuerint, idem & in se tunc experturos: sæpe enim teste Seneca Tragico in Thyeste *vers.* 612.

Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem;
Nemo confidat nimium secundis.

Fragilis quippe & caduca felicitas est, inquit Seneca philosophus controv. 9. *& omnis fortunæ ablandientis speciosus cum periculo nitor, & sine causa sæpe fluit, & sine ratione destituit. Vidi ego magni exercitus ducem sine comite fugientem, vidi ambitiosa turba clientum limina deserta.* Quod & jam captivus Alexandrum admonuit; interrogatus enim, quid ipse victorem statuere debere censeret, prudenter respondit, *quod hic dies tibi suadet, quo expertus es quam caduca felicitas esset:* Curt. *lib.* 8. *in fine*, atque ita de Regulo verba faciens Polyb. lib. 1. *qui paullo ante*, inquit *nullum misericordiæ locum dabat, neque ullam afflictis veniam concedebat, mox ductus ipse est iisdem pro salute supplicaturus*, ut merito Virgilius postquam Turnum interfecto Pallanti arma auferentem & petulantius insultantem exhibuisset, exclamet, *lib.* 10.

Nescia mens hominum fati sortisque futuræ,
Et servare modum rebus sublata secundis.
Turno tempus erit, magno cum optaverit emptum
Intactum Pallanta, & cum spolia ista diemque
Oderit.

33 Tertium quod in summo duce Cicero requirit, est auctoritas, sicut vel nutus posset imperare, ac sola frontis reverentia dare mandata: si namque majestas ejus apud milites contemnatur, si vilis iis & projecta fiat Imperatoris auctoritas, ingens sæpe periculum imminet, ne a propriis aliquando militibus opprimatur, & velut alter Actæon ab iis quibuscum feras in silvis agitare consueverat, devoretur canibus.

Ut igitur illa duci sarta tecta conservetur, illud ante omnia curet, ne differantur stipendiorum solutiones: Julius Ferretus *de antiq. istaurand. & illustrand. milit. pag.* 58. *n.* 29. ære quippe deficiente, satis omnium temporum evincunt exempla, frequens Regibus, frequens Imperatoribus malum seditiones militares evenisse. Adversus Timoleonta propter stipendia dilata tumultum concitavit exercitus, adeo ut ægre tandem multis pollicitationibus exorari sese passus sit, & expeditionem cum duce susceperit: Diod. Sicul. *hist. l.* 16. Ac parum opis aut utilitatis in civibus suis invenere Romani non dato ære; unde contigit, ut summa auri argentique labo-

borantes penuria, ne militibus stipendia deficerent, Senatus consulto non dubitarint aurea atque argentea templorum, quæ Numa Pompilius diis dicaverat, ornamenta conflare, & inde militi debitam persolvere pecuniam: Valer. Maximus *l.* 7. *c.* 6. *n.* 4. In exercituum præfectos sæpe rebelles extiterunt, hac de causa nostris temporibus Hispani milites, duæ legiones ad Paulinum fanum viginti duos menses in seditione transegerunt: Mille equites, mille ducenti pedites occupato Sichemo oppido ferventem adeo concitarunt tumultum, ut ne oblatis quidem stipendiis & honesta missione sedari potuerit. Pari ratione præfectum ac duces suos expulerunt Duinquercæ præsidiarii: Reidan. *annal. l.* 11. Hamondam Diestamque peditum tria millia, equites mille stipendiis frustrati secessum fecerunt: Reid. *annal. l.* 17. Eadem de causa ducibus Hispanorum parere detrectarunt Hoochstratani milites: Meteran. *hist. l.* 24. ac post sedatas sæpe primas turbas identidem in novas easque longe quam ante atrociores prorupere seditiones: Sande *l.* 3. *hist. ad annum* 1602. & 1606. Quidquod & alia multa soleant ex stipendiorum dilatione provenire mala; milites enim ut inopiam sustineant, & fame latrantem queant sedare stomachum, ad diripiendas civium domos, ad agrestium populanda prædia, ad abigendas pecorum greges & armenta dilabuntur, ad omnem denique in amicos, in socios vim atque injuriam perpetrandam ruunt: non igni non ferro abstinetur, soluta legibus scelera sunt: tunc nihil adeo sanctum, nihil adeo inviolabile jura voluerunt, quod non aliquando militum immanem experiatur rabiem, eorumque furoribus sit expositum, nec religio quidem, quæ inter arma hostilia supplices texit, ullum impedimentum est in subjectorum direptiones provolantium, hic ex privato, hic ex publico, hic ex profano, hic ex sacro rapit; hic effringit, hic transilit, & in lucrum venit sociorum ruina, sic ut prædonum magis quam militum, hostium quam amicorum videantur induisse naturam. Unde & affectionis in locum plus quam Vatinianum in illos succedit odium, pro reverentia duci ab incolis debita passim contemptum grassari videas ac criminationes, & intolerabili atrocitate tandem ad desperationem compulsos cives novos sibi quærere dominos, sub quorum auspiciis & mitiori imperio pacatam possint excusso duro jugo transigere vitam.

35 Insuper si intactam penes milites suam desideret Imperator auctoritatem, omnem prorsus collusionis cum adversariis suspicionem evitet, quasvis cane pejus & angue fugiat occasiones, quibus sinistra quæpiam de eo concipi posset opinio: vix enim unquam deficiunt invidi alienæ fortunæ homines atque malevoli, quibus in more positum illustrium heroum deprimere ac obscurare gloriam, & malignis interpretationibus in pessimam quasque res eorum gestas detorquere partem. Quod si veri speciem aliquam præ se ferentem, licet re ipsa falsam, possint eorum, quæ audacter asserunt, allegare rationem, actum statim est ducis imperio: siquidem ut Sophocles inquit in Ajace flagellif.

Magnos quisquis jaculis
Animos petit, haud facile erret.
Summa ferit livor.

quicquid lævo rumore de duce spargitur, facilem penes milites fidem invenit, & insidias ac proditionem metuentes illico ab Imperatore gregarii, ejus sese subducunt obsequio, mandata illius neglexisse flocci pendunt. Quapropter & ipsos hostes nihil intentatum relinquere cernimus, quo sperant in criminis alicujus suspicionem vocari posse ducem. Verum nec dubitarunt Imperatores sapientissimi vel cum proprio damno ac privati jactura patrimonii sinistram a se longe famam removere, & impendio privato publicam exsolvere fidem. Pericles Atheniensium dux fore suspicatus, ut hostes in agrorum populatione ipsius inviolata relinquerent prædia, quo vel ex invidia periculum, vel ex suspicione proditionis ei moverent infamiam, id populo prædixit, & ad invidiæ declinandum impetum illa Reipublicæ donavit: Justin. *lib.* 3. *cap.* 7. hujus autem istitutum laudabile imitatus est Fabius exercitus Romani præfectus; intactum namque ab Hannibale agrum misso filio vendidit, & quicquid inde nummorum processerat, in captivorum impendit redemptionem: Livius *lib.* 22.

36 Multum quoque ad conciliandam exercitus Imperatori auctoritatem tribuit ejus erga milites comitas & affabilitas, qua non aliud quidquam magis efferatos emollire valet militum mores, nihil facilius motos componere tumultuantium fluctus ac ferociam. Blanda sæpe oratio devia mente turbatas legiones in mutua funera ac perniciem ruentes & in ducum suorum conspirantes interitum ab impio revocare valet proposito. Germanicus seditiosos in Germania milites ad pristinam Imperatori suo debitam redigere cupiens obedientiam primum iis jam ducum suorum necem meditantibus admissum turpe paucis explicuit, mellitis mox verbis ut ab incepto scelere desisterent hortatus est: quibus adeo sine mora conversi illorum animi, conversus omnis impetus, ut ipsi nocentes punirent tumultus auctores, & delicti veniam supplices ab Imperatore petierint: Tacit. *annal. lib.* 1. *c.* 42. & *seqq.* Nihil quoque magis erga ducem militum suscitat & inflammat amorem ac benevolentiam. Non Pisonem illud latuit, qui milites in palatio stationem agentes in suas trahere partes innitens identidem commilitonum titulo salutavit, quo non aliud amantius a duce militibus noverat imponi posse nomen: Tacit. *hist.* 1. *cap.* 29. Et militares Otho mulcere cupiens animos in itinere in stationibus vetustissimum quemque militum nomine vocabat, memoria Neroniani comitatus contubernales appellabat, alios agnoscebat, quosdam requirebat, ad conservandam delatam Imperatoriam majestatem pro vallo castrorum omnes commilitones dicebat: *idem hist. lib.* 1. *c.* 37. 83. & *alibi.* Ut absque internunciis quosvis interpellare posset exercitus sui milites viginti duarum gentium linguas industria summa Mithridates familiares sibi reddidit. Et omnia memoriæ mandavit eorum quos in castris secum ducebat nomina, quod singulos posset absque nomenclatore compellare: Valer. Maxim. *lib.* 8. *cap.* 7. *n.* 16. Nihil denique magis in adversis ægros militum solatur ac confirmat ani-

animos. Alexander immani tempestate vexatus suos malo jam cedentes circuibat milites, contrahebat dispersos, prostratos allevabat, eaque sola res iis saluti fuit: Curt. *lib.* 8. *cap.* 4. Et Germanicus, ut cladis memoriam etiam comitate leniret, circumibat saucios, facta singulorum extollebat, vulnera intuens alium spe, alium gloria, cunctos alloquio & cura sibique & prælio firmabat: Tacit. *annal. libr.* 1. *c.* 7. Contra vero nihil certius est quam truces & superbas frontes odium magis quam amorem in militum generare pectoribus: *Nocuit antiquus rigor & nimia severitas*, inquit histor. 1. cap. 18. cumque pro æquitate ac comitate libido dominatur atque superbia fortunam una cum moribus mutari necesse est: detrectant plerumque milites austeri ducis parere mandatis, nec ad ejus imperium in hostes signa movere parati sunt. Cum ad Romanorum castra Samnites instructa processissent acie, neque dubius esset Samnitum interitus, si ducis consilia subsecutus fuisset militum favor, asperitatis tamen ipsius memores cessarunt, & de industria, ut obtrectaretur laudibus ducis, impedita victoria est; igitur *sensit* (inquit Livius libr. 8.) *peritus dux quæ res victoriæ obstaret, temperandum ingenium suum esse, & severitatem miscendam comitati*: eoque statim omnes militum, præfectorum omnes sibi devinxit animos. Ne tamen nimiam affectando comitatem contemptus sui dux præbeat occasionem, verum Titi Romanorum Imperatoris imitetur exemplum; *decorum quidem se promptumque armis ostendebat, comitate & alloquiis officia provocans, ac plerumque in opere in agmine gregario militi mixtus, incorrupto tamen ducis honore:* Tacit. *histor. lib.* 5. *cap.* 1.

57 Non multum a comitate vi & efficacia sua militaris distat eloquentia. Hæc furentes ac bacchantes per castra potest sedare milites. Multa dicendi arte Blæsus turbatas seditione Panonnicas legiones mitigavit: *Tacit. annal.* 1. *cap.* 19. scilicet ut Virgilius cecinit:

.... Magna in populo cum sæpe coorta est
Seditio, sævitque animis ignobile vulgus,
Jamque faces & saxa volant, furor arma ministrat;
Tum pietate gravem ac meritis si forte virum quem
Conspexere, silent, arrectisque auribus adstant.
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Hæc tantos in præliantium animis valet excitare motus, tantamque iis inspirare fortitudinem, ut & dama alioquin fugaciores salutis immemores tanquam ferocientes leones in confertissimos hostium cuneos ruere dulce censeant ac decorum, neq. pro Republica vitæ renunciare recusent. Tyrtæus veluti per ludibrium Lacedæmoniis in belli ducem missus ab Athenarum partibus, quippe claudus & ad Martia facinora parum idoneus, versibus tamen, quos de virtutum hortamentis & damnorum solatiis conscripserat, pro concione recitatis usque adeo præliandi ardorem in militibus concitavit, ut non de corporis incolumitate, sed sepoltura tantum solliciti, postquam iterum ac tertium superati essent, victores suos cruenta cæde debellarent: Justin. *lib.* 3. *cap.* 5. Unde & Galli quondam, Luciano teste, Herculi viro perpetuo bellis innutrito acceptam tulerunt eloquentiam, eaque de causa leonis quidem pelle redimitum, & dextra clavam, arcum læva tenentem finxerunt; verum & ex ore catenulas tenuissimas extremo linguæ apici annexas prodire dixerunt auro electroque puriores, quibus ingentem mortalium turbam summis suspensam auribus ad se alacrem neq. reluctantem pertraheret; non aliud quidquam designare volentes, quam singulari quapiam dicendi facultate milites ab Hercule ad longinquas expeditiones & durissimos labores suscipiendos fuisse motos, eumque suadendi magis copia quam armis ac terrore feros plerosque domuisse & imperio subjecisse populos externos.

58 Tandem, ut omnia quæ possunt illibatam conservare ducis auctoritatem in unum constringam fasciculum, a luxu, libidine, avaritia, cæterisque temperet sibi vitiis: Julius Ferretus *de antiq. instaur. & illust. militia pag.* 21. *& seqq.* vix enim quicquam duci proderit, quod collatis signis hostium exercitus superare possit, nisi idem ille a sociorum uxoribus, pecuniis, auro & gaza manus ac animum cohibere queat. Quapropter etiam merito Severus Rogonio Cleso Gallias regenti in hæc verba rescripsit: *scias, militem timere non posse, nisi integri fuerint tribuni & duces militum*: *Spartian. in Pescennio Nigro*. Idem illud innuit Jurisconsulti responsum *in l.* 12. *ff. de re militari*; exercitum nempe regentis officium non in danda tantum, sed in observanda quoque disciplina consistere.

59 Ultimum quod in Imperatore desiderat eloquentiæ parens, est felicitas; multum apud hostes, apud socios valet ducis de belli peritia fama: cum vel ad nudum & imbelle nomen ejus aut conspectum metu corripiantur adversariorum agmina: Achillis solummodo indutus armis ac sub ejus imagine tutus Actorides a carinis longe repulit Trojanorum fortissimos: & bella plerumque fama quosdam profligasse Germanos testatur Tacitus *de mor. Germ. cap.* 13. Socii contra sub felicis præfecti præliantes auspiciis audaciores in adversarios impetu facto ruunt, dum cogitant ejus sese parere mandatis quocum triumphare consueverunt.

40 Neque quisquam negaverit felicitatem quidem magnanimum sæpe, peritum prudentemque comitari virum: nempe juxta illud Sophoclis in Œdip. tyrann.

.... Omnes fere
Prudentum consilia successus regunt,
Mutantque tristes, cum ingruunt, rerum exitus.

Nec dubium, magnum inimicis incutere terrorem Imperatorem in conflictibus, in præliis usque felicem, qui fausto rerum eventu de virtute sua spargit ingentem inter hostes opinionem; frustra tamen ex eo de ducis judicatur prudentia, peritiam præfecti ex solo præliorum exitu metiri nefas, *omnia scilicet honesta opera*, Seneca teste in excerpt. lib. 4. controv. 7. *voluntas inchoat, occasio perficit: sæpe honorata virtus est, etiam ubi eam fefellit exitus, nec infelix virtus amittit gloriæ titulum.*

Uti enim culpa medicus carere potest, ubi omni usus est arte ac remediis, si contingat in fata nihilominus concedere morbo laborantem; sic quoque duci nihil imputandum, si postquam omnem adhibuit in pugna prudentiam, industriam ac fortitudinem, cedere tamen hosti cogatur: accidunt enim quandoque dum decernitur, ejusmodi negotia, quæ nullus unquam, quantumcunque prudentia inter mortales excellat, cavere potuit; ingruunt aliquoties ex improviso majore ac veluti fatali vi mala quæ nulla ratione vel humana potentia arceri queunt. Et certe, si uspiam alibi, tum præsertim in bello fallacis ac jocantis fortunæ ludibria cernimus, ubi parvo temporis momento maximæ rerum producuntur mutationes, *in armis quidem militum virtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum, classes, commeatus multum juvant; maximam vero partem quasi suo jure fortuna sibi vindicat*, ut inquit Cicero pro M. Marcello. Et Hannibale teste summo illo Pœnorum imperatore apud Liv. lib. 3. *nusquam minus, quam in bello eventus respondet, simul parta ac sperata decora unius horæ fortuna evertere potest*. Unde rarissime reperti fuere duces, qui cum virtute fortunam adæquarint, quorumque non aliquando difficiles & ardui conatus designato fuerint successu fraudati: inter universos Græcorum viros illustres unum forsan Alcibiadem atque Alexandrum prospera in præliis ubique comes exstitit fortuna; unus apud Romanos in libera Republica felicis nomen adeptus est Sylla: Vell. Patercul. *lib*. 2. *cap*. 27. & Pompeii magni felicitatem extulit Cicero in *orat. pro Corn. Balbo*: nec hi tamen ipsi ad vitæ finem usque felices permansere. Victus a Cæsare Pompejus, profugus miserrime tandem a proditore peremptus est: Flor. *lib*. 4. *cap*. 2. de Sylla d. loco Paterculus inquit, *quod* (nomen nempe felicis) *quidem usurpasset justissime, si eundem & vincendi & vivendi finem habuisset*. Et sejunctam esse sæpius a felicitate virtutem docuit apud Virg. lib. 12. Æneas; certamen namque singulare cum Turno initurus inter alia hoc Ascanio dedit præceptum: *Disce*, inquit, *puer virtutem ex me verumque laborem, Fortunam ex aliis*. & Ajax apud Sophocl. in Ajac. Flagellif.

.... O puer, patre
Evade fortunatior, sed cæteris
Fac rebus ut respondeas.

CAPUT IV.

De delictis ac criminibus militum eorumque pœnis.

1 *Pœnarum gravitate milites in officio continendi sunt*.
2 *Delicta militum aut communia sunt, aut propria, aut mixta*.
3 *Varia sunt pœnarum militarium genera*.
4 *Miles delinquens ibi puniendus est ubi crimen commissum*.
5 *Milites plerumque durius puniuntur quam pagani, & nonnunquam sortis iniquitate pereunt innocentes*.
6 *Tyrones ut plurimum levioribus plectuntur suppliciis*.
7 *Ut & milites, si vino inebriati crimen commiserint, cujus contrarium moribus nostris obtinet*.
8 *Durum nimis est, illos qui citra supremi ducis mandatum feliciter cum hoste conflixerint, ultimo plecti supplicio, & immane, si ea de causa pater filium morti addicat*.
9 *Quis sit proditor, & quam misera ejus conditio?*
10 *Quibus modis quis proditionis reus fiat?*
11 *Quæ proditorum pœnæ?*
12 *Etiam conscii, si proditionem non detexerint, ordinaria proditorum pœna plectendi*.
13 *Mulieres, si proditionem commiserint, non mitius, quam viri puniendi sunt*.
14 *Qui arcem vel alium munitum locum hostibus tradit, mortis reus est, nisi resistere amplius non potuerit*.
15 *Læsæ majestatis rei non sunt, qui non dolo, sed imperitia vel metu munitiones tradiderint*.
16 *Milites ea quæ ad castri defensionem spectant, ad ducis imperium agere detrectantes morte plectendi*.
17 *Navium bellicarum præfecti, si navim temere tradiderint adversariis, iisdem quibus castra dedentes pœnis afficiendi: nullo tamen jure compelli possunt, ut incenso pulvere pyrio se perimant*.
18 *Transfugæ sunt Reipublicæ hostes*.
19 *Eorum pœnæ enumerantur*.
20 *Sola transfugendi voluntas punitur, licet eventus fuerit impeditus*.
21 *Nec excusatur a pœna rediens sponte transfuga, nisi multos transfugas aut latrones deprehenderit*.
22 *Qui sint desertores, & quæ desertionis pœna?*
23 *Duces deserentes majestatis rei sunt iis & solus etiam deserendi conatus puniri debet*.
24 *Qui præpositum non defenderit, ultimi supplicii reus est*.
25 *De pœna deserentium stationes ac excubias, & excubitorum qui dormientes reperiuntur*.
26 *De iis qui præposito manus intulerint ac omni alia militum contumacia*.
27 *Quæ sit illorum pœna qui ex acie aufugerint*.
28 *De fustuario & pœna illorum qui agmen excesserint*.
29 *Muros transcendens capite punitur*.
30 *Sive urbis Romæ sive civitatis municipalis muri fuerint*.
31 *Utrum sola transcendendi voluntas ordinaria sit coercenda pœna?*
32 *Ad infligendum ultimum supplicium non interest dolone an lascivia muros quis transilierit*.
33 *Etiam aliis modis quam transiliendo violari possunt civitatum muri*.
34 *Belli, non pacis tempore pœna capitalis obtinet*.
35 *Nec etiam, si quis ab hostibus undique circum-*

cumventus per vallum intra mœnia se receperit.
36 *An pœna capitalis etiam in non militibus locum habeat?*
37 *Quando, & quibus in urbibus hodie pœna capitalis obtinere debeat?*
38 *Quam exitiosa exercitui sit seditio.*
39 *Quid sit seditio; ejus auctores solos ultimo puniendos supplicio, ac ante omnes alios plectendos esse præfectos seditiosos.*
40 *Seditionis auctorum pœnæ enarrantur.*
41 *Pœna capitalis non semper obtinet, si non contra Principem aut Rempublicam, sed alia de causa mota sit seditio.*
42 *Licet ex seditione nondum Respublica senserit incommodum, ultimo nihilominus supplicio plectendi auctores.*
43 *Quid sit conjuratio, & quæ ejus pœna?*
44 *Quæ sint differentiæ inter conjurationem & seditionem?*
45 *Eos qui Ordinibus generalibus fœderati Belgii vel aliis Provinciarum Rectoribus maledixerint, aut seditiosas rationes inter milites habuerint vel repetierint jure mortis pœna plecti.*
46 *De pœna militum qui commilitones aut alios gladio vel alio instrumento læserint aut injuria affecerint.*
47 *De duello, ac pœna tam in provocantes quam provocatos statuta, & quando provocatus ab ordinaria pœna liberetur?*
48 *De sui ipsius vulneratione, ubi Stoicorum circa autophoniam opinio exhibetur.*
49 *Jus divinum ac recta ratio autocheiriam prohibent.*
50 *De furto militum, quo provincialibus res suas extorquent aut auferunt, ejusque pœna.*
51 *Milites apud præsidii præfectum profiteri tenentur res privatis excursionibus acquisitas.*
52 *De piratis & eorum pœna.*
53 *De furto militis, inter commilitones vel in esculentis aliisque quæ ad castra vehuntur commisso.*
54 *Deficiente stipendio nefas est militi ea de causa detrectare duci suo obedientiam, & ex adverso duces in proprios usus impendere non debent gregariorum stipendia.*
55 *De vexillorum desertione & amissione.*
56 *Pœna illius qui tesseram militarem non debito modo tradiderit.*
57 *Quid proprie designetur pœnæ corporalis appellatione.*
58 *Quæ sit eorum pœna, qui arma amiserunt aut alienarunt?*
59 *De iis qui non omnibus armis instructi prodierint ad excubias agendas; & monstratur, milites omnibus armis munitos confligere debere, ut maxime possint publico prodesse.*
60 *Pœna illorum, qui hostes deditos interficiunt, aut dimittunt absque præpositi venia.*
61 *Quæ captivorum reversorum sit coercitio?*
62 *Utrum captivi & ægroti illius temporis quo capti ab hostibus aut morbo detenti fuerunt, stipendia possint exigere?*
63 *De his qui morbum aut languorem simulant, vel resectis digitorum articulis se debilitant, ad evitanda belli munera.*
64 *Nemo potest eodem tempore duas simul militias gerere.*

1 Qui modeste paret, inquit Cicero *lib. 3. de leg.* videtur qui aliquando imperet, dignus esse. Minores illud sedulo perpendere milites oportet, quorum universum fere in obedientia & reverentia erga præpositos consistit officium; ducibus imperium datum, his sola obsequii gloria relicta est, neque quicquam eos, illustribus licet oriundos familiis, ab hac obtemperatione liberare potest; non ambitio, non impatientia, non metus; verum usque adeo coguntur illorum parere mandatis, ut quamvis potius rem prospere gerendi occasionem, quam præfecti negligere debeant imperia. Chrysantam Cyrus egregio palam laudum prosecutus est encomio, quod cum hostili jugulo gladium admovisset jam jam illi necem illaturus, fervorem tamen animi dextramque reprimere, & hostem servare maluerit, quam receptui canentis Imperatoris adversari præceptis: Plutarch. *in probl. q. 38.* Atque utinam ita quivis hodie milites hanc possent sibi vindicare gloriam! beatum sane prædicandum foret ævum, beati duces illis imperantes; verum proh dolor! non aurea sed ferrea nunc viget ætas; quotusquisque reperitur obsecro, qui impunitate proposita queat ab injuriis ac delictis temperare? *soluta semel disciplina militari*, inquit dictator Papyrius apud Livium lib. 8. *non miles centurionis, non centurio tribuni, non tribunus legati, non legatus consulis, non magister equitum dictatoris paret imperio, nemo hominum, nemo Deorum verecundiam habet, non edicta Imperatorum, non auspicia observantur; sine commeatu vagi milites in pacato in hostico errant, immemores sacramenti, licentia sola se ubi velint exauthorant, infrequentia deserunt signa, neque conveniunt ad edictum, neque discernunt, interdiu, nocte, æquo iniquo loco jussu injussu Imperatoris pugnant, & non signa non ordines servant.* Enim vero, ita cum hominibus est comparatum, ut formidine pœnæ magis, quam virtutis amore debeant in officio contineri, & gravi animadversionum genere coerceri intra æqui & honesti cancellos: cum maxima illecebra peccandi sit impunitatis spes: cessante suppliciorum metu gloriabitur illico miles sibi concessum esse quælibet impune perpetrare scelera; sic Juvenalis *satyr. fin.* de sagatis inquit:

Non minimum illud erit ne te pulsare togatus
Audeat; imo & si pulsetur, dissimulet, nec
Audeat excussos prætori ostendere dentes,
Et nigram in facie tumidis livoribus offam,
Atque oculum medico nil promittente relictum.

Atque ita ab iis ipsis, qui ad defendenda patriæ jura lecti sunt, summæ in ipsam proficiscentur injuriæ. Unde necessum fuit, varias in eo decerni pœnas, qui legum militarium, honestatem & obedientiam injungentium, reperirentur temeratores; ut hac methodo communi reipublicæ tranquillitati consul-

sultum magis foret, & quos pudor a crimine non posset absterrere, illos saltem supplicii terror a delictis removeret, quique rationi sese dare nollent, necessitati subesse tenerentur, tormentis, si non honestati parere cogerentur: adeo ut & in illo ducis officium consistere Jurisconsultus asseruerit, ut delicta secundum auctoritatis suæ modum castiget: *l.* 12. §. 2. *ff. de re milit.*

2 Delicta autem militum vel cæteris communia sunt, vel propria: *l.* 2. *ff. de re milit.* communia sunt, quæ non minus a paganis quam militibus perpetrari solent; & communibus rerum criminalium pœnis coercentur, velut homicidium, adulterium, &c. Propria sunt, quæ quis uti miles admittit, seu omne id quod aliter quam disciplina militaris exigit, committitur: *l.* 2. *l.* 6. *in princ. ff. de re milit.* Gudelin. *de jur. noviss. lib.* 5. *cap.* 21. Quædam etiam mixta dici posse puto, qualia sunt, in quæ quidem & pagani possunt incidere; quod si tamen ea miles commiserit, non ordinaria pœna, verum extra ordinem plectitur.

3 Cæterum varia sunt suppliciorum militarium genera, veluti castigatio, pecuniaria mulcta, munerum indictio, militiæ mutatio, gradus dejectio, ignominiosa missio: *l.* 3. §. 1. *ff. de re milit.* præter hæc plurium aliorum mentio, tam in legibus quam in historiarum scriptoribus injicitur: sexdecim leviora, viginti quatuor graviora cognatus noster Stewechius enumeravit in *comment. ad Veget. de re milit. lib.* 3. *c.* 4. Alexand. ab Alex. *gen. dier. l.* 2. *c.* 13.

4 Si quispiam quærat, ubinam puniendus sit delinquens in bello miles, ibi eum plectendum esse ubi flagitium commissum est, Imperatores Severus & Antoninus rescripserunt, *l.* 3. *in princ. ff. de re milit.*, tum ut illi qui delicti spectatores & testes vel auctores forte fuerunt, cum illud extra pœnam constitutum non esse vident, in posterum a simili facinore deterreantur, & eo scelere læsi solatium quodammodo percipiant, dum criminis in se perpetrati rigidam conspiciunt exigi vindictam, cum etiam quod facilior ibi sit probatio ubi scelus commissum est, & intersit Reipublicæ ibi puniri delicta ubi commissa sunt: *l.* 1. *C. Theod. de accusat.* Quapropter Alexandrum legimus Bessi distulisse supplicium, donec eo loci pervenisset, ubi proditione Darius erat interemptus: Curtius *lib.* 7. *c.* 5. unde si alibi captus fuerit turpis admissi reus, eo remittendus erit ubi peccavit: *l.* 7. *l.* 11. *ff. de custod. & exhib. reor.*

5 Rigidius autem milites quam alii plerumque puniuntur, tum quod arctiori vinculo ad obedientiam illi sint obligati, qui publicis aluntur stipendiis, tum quod (ut inquit Valer. Maxim. *lib.* 2. *c.* 7. *n.* 14.) aspero & abscisso castigationis genere disciplina militaris indigeat, quia vires armis constant, quæ ubi a recto tenore desciverunt, oppressura sunt, nisi opprimantur; cum major iis sit grassandi copia, si armis ac potestate sua abuti velint, ac ferocior ut plurimum natura, quam pœnæ leviores refrænare non facile possunt: ut optime Livius dixerit *lib.* 8. atrocitatem pœnæ obedientiorem duci militem facere. Unde quandoque fit, ut nonnulli magis mala sua fortuna quam culpa pereant; *horum status & pondera inventores juris antiqui mollientes*, inquit Ammian. Marcell. lib. 27. *etiam insontes quosdam aliquotiens suppliciis aboleri censuere lethalibus, quod sæpe contingit, cum ob multitudinis crimina nonnulli sortis iniquitate plectuntur innoxii*. Nam & ex fuso exercitu, cum decimus quisque fusti feritur, etiam strenui sortiuntur: *habet scilicet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publica rependitur*. Teste C. Cassio apud Tacit. annal. lib. 14. c. 44. Diverso tamen respectu levius quoque milites puniri constat quatenus ne ex eo quidem delicto, ex quo paganus infamia notatur, post missionem famosi sunt: L. 7. *C. de re milit.*

6 His autem durioribus militum pœnis plerumque solent subduci tyrones: *l.* 3. §. 9. *ff. de re milit.* & delictum magis iis imputari, qui temere tyronibus magni momenti negotia commiserunt aut admissi turpis præbuerunt occasionem: *l.* 14. *ff. de custod. & exhibit. reor.* partim quia tyrones ipsi militarium munerum jurisque bellici præsumuntur ignari, & imperitia potius ac imprudentia quam malitia peccasse: *l.* 4. §. *fin. ff. de re milit.* Quamobrem si iterato in idem vitium prolapsi fuerint, cessit hæc præsumptio, & ordinaria criminis commissi punientur pœna: *l.* 3. §. 9. *ff. de re milit.* partim quia nondum constans ipsis est judicium, nec animus periculis assuetus; sic ut, ubi veterani firmi ac ordinibus immoti sine ulla mentis trepidatione nil præter vulnera lethumque spirant, tyrones sæpe consilii conspiciantur inopes, animis infirmi, metuque pallentes.

7 Etiam ab ordinaria pœna de jure Romano liberati milites, si non dolo, sed vino lapsos illos capitale crimen admisisse constaret: *l.* 12. *ff. de custod. & exhibit. reor. l.* 6. §. 7. *ff. de re milit.* Quod quidem hodie etiamnum in paganis locum habet: Anton. Mathæus *tract. de crimin. in prolegom. c.* 2. *n.* 14. aliud tamen statutum in militibus, qui, si quod in ebrietate delictum commiserint, non levius, sed durius puniendi erunt: *instruct. milit. artic.* 67. Quod quondam Pittacus observavit: legem namque tulit, qua cautum ut peccantes ebrii duplici afficerentur incommodo: Diogen. Laert. *in vita Pittaci*, quo magis sibi cavere cogerentur a vino, subdolo illo luctatore, cui multa cohærent plerumque vitia, & præsertim crudeles mentis impetus: quæ ratio est, quod equorum loco pantheras, summæ crudelitatis animalia, Bacchi currui poetæ junxerint. Unde & ad evitanda immminentia ex vino pericula ipsa ebrietas, quæ in aliis extra legum est constituta coercitionem, si militem invaserit, puniri solet; adeo ut, quisquis vigiliarum tempore mero semet oneraverit, ignominia mittatur: *instruct. milit. art.* 66. cum non signa sequi, non ordines servare, non vigilare possit, cui per vinum sublatus rationis usus.

8 Porro regulam Modestinus universalem proponit: *L.* 3. §. 15. *ff. de re milit.* qua quisquis in bello rem fecerit a duce prohibitam, aut mandata non servaverit, capitis reus est, etiamsi res bene gesserit. Quæ quidem Jurisconsulti sententia originem traxisse videtur ex antiqua illa nimiumque religiosa rigidæ Romanorum disciplinæ militaris observatione, quam in tan-

tantum cultam legimus inviolabiliter, ut præceptorum bellicorum duo severissimi custodes Posthumus Tubertus & Manlius Torquatus non proprio sanguini natisve pepercerint, verum eos, quod sine mandato, licet feliciter cum hoste conflixissent, & onusti spoliis redirent, virgis cæsos jusserint securi percuti: Valer. Max. *lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 6. Quod & ante Manlium executioni mandaverat in filio suo Thebanorum dux Epaminondas; pari namque de causa mortis reum coronatum securi percussit: Plutarch. *in parallel. n.* 25. Verum hos ad captandam inanem disciplinæ militaris arctissime custoditæ gloriam nimium sibi suisque natis fuisse crudeles, nimiumque dura ac tristia exercuisse imperia censeo; quin omnem eos humanitatem & æquitatem exuisse merito quis asseruerit; cum illud in filios statuerint, ad quod nec officii necessitate, nec alio quo juris vinculo compelli potuissent. Si in leges nati deliquissent, non tamen a parentibus suis fuissent condemnandi; sed ad alios remittendi judices, in quos non amoris non odii suspicio ceciddisset: leges namque disertis verbis, ne quis sibi, vel uxori, vel liberis jus dicat, prohibent: *l.* 10. *ff. de jur. jurisdictione*, nisi forte in voluntaria jurisdictione: *l.* 77. *ff. de judiciis*. Et quamvis illorum judicia laudata videantur & approbata a Paulo Jurisc. in *l.* 19. §. 7. *ff. de captiv. & postlim.* ubi inquit, disciplinam castrorum Romanis parentibus antiquiorem fuisse charitate liberorum; neutiquam tamen hæc ad Posthumiana & Manliana referri debent imperia. Existimarunt quidem Romani juxta illud Fabii, publica instituta privata pietate potiora judicanda: Val. Max. *l.* 2. *cap.* 2. *n.* 4. quatenus nempe filios transfugas velut a virtute Romana degeneres non amplius liberorum nomine salutarent parentes: *d. l.* 19. §. 7. non vero quod filios a parentibus addictos supplicio fuisse pulchrum putarent. Quin imo, evidens magis est illos ejusmodi rigida potius execratos fuisse judicia: si namque filium desertorem pater obtulisset, cum desertionis pœna regulariter ultimum foret supplicium, D. tamen Pius filium in deteriorem solummodo militiam dandum jussit, *ne videatur*, *inquit*, *pater ad supplicium obtulisse*: *l.* 13. §. *fin. ff. de re milit.* Et certe, remittenda fuisset hæc iis pœna, non minus propter propria merita & egregiam relatam ab hoste victoriam, quam propter arctum cum duce consanguinitatis nexum, & plurimas illustres parentum res gestas: Tiraquel. *tractat. de pœnis temper. & mitig. caus.* 49. *n.* 11. 12. Factum illud ab Israelitis in Jonathane, quem cum ex patris jurejurando mortis videretur esse reus, supplicio subduxerunt; tum quod Regem parentem nactus esset; tum quod summæ fortitudinis in Philistæos exhibuisset specimina: *numquid*, inquiunt, *Jonatham morietur*, *qui fecit salutem magnam hanc in Israel? absit &c.* *lib.* 1. *Samuel.* c. 14. *vers.* 45. Observarunt idem illud prisci Romani, Horatium, parricidii reum ob ingens eo die Reipublicæ allatum emolumentum, & acquisitum in Sabinos imperium communi voto morte redimentes: Valer. Max. *l.* 8. *cap.* 1. *n.* 1. quo de negotio belle Florus pronunciavit *lib.* 1. *cap.* 3. *abstulit*, inquit, *virtus parricidium*, *& facinus intra gloriam fuit*.

Quod si magna milites infamia notati noxa atque ignominia fuerint soluti, & dedecoris obliterata memoria, ubi felicibus deinceps culpam correxissent præliis, & operam Reipublicæ strenue navando flagitii labem abolevissent: Alex. ab Alexandr. *gen. dier. lib.* 2. *cap.* 13. *in fin.*; quid ni multo magis præcedentia merita, & ex ipso damnato conflictu relata victoria mererentur crimen extingui, & impunitatem concedi? Unde & multo mitiores hodiernos hac in causa quam Romanorum mores testatur Groenewegen *de legibus abrogat. ad l.* 3. §. 15. *ff. de re milit.* ei quippe, qui rupto ducis imperio cum adversariis in prælio manus conseruit, si felicem res adepta fuerit eventum, parci solet; ne tristium alias & asperorum edictorum imagine perterritus inferior præfectus oblatam quandoque divinitus rei gerendæ transire patiatur occasionem: supplicium magis quam inimicorum timens impetum. Quapropter etiam florente Republica durum nimis & immane visum fuit summis Romanorum ducibus, capitalem iis infligere pœnam, qui contra ipsorum mandata cum hoste decertassent. Corbulo namque, quem rigidissimum fuisse disciplinæ militaris cultorem, eamque quodammodo collapsam restaurasse constat, Pactium & præfectos ac milites, qui, contra præceptum ejus insuper infausto certamine congressi fuerant, ignominia tantum notandos existimavit, extra vallum eos tendere jubens: Tacitus *annal. lib.* 3. *cap.* 36. Et Dictator Quintius Cincinnatus in Lucium Minutium, M. Furius Camillus in Lucium Furium, qui adversus ipsorum edicta conflixerant, cesserant, ac superati fuerant, vix ullum decreverunt supplicium: quin & Furium Camillus in collegam elegit: Livius *lib.* 8.

9 Omnium autem criminum gravissimum est proditio, cujus varias species enumerat Farinac. *prax. & theor. crimin. libr.* 1. *tit.* 3. *quæst.* 28. *n.* 18. 79. At hoc loco per proditorem eum intelligo, qui dolo prodest hostibus aut prodesse nititur contra fidem datam vel debitam in perniciem Reipublicæ, quique adeo patriam, omnes omnium Caritates, Cicerone teste, complectentem, prodere conatur. Quo quidem hominum genere nullum unquam turpius aut magis abominandum sol aspexit: cum enim censerent antiquiores, non posse quemquam eo devenire furoris, ut natale solum odio persequeretur; scil. ut Euripid. inquit in Phœniss.

Cogimur patriam
Amare cuncti: si quis id de se negat,
Jactat se inani voce, mens alio rapit.

Hi tamen nullam sanguinis nullam affinitatis & carissimorum pignorum rationem habentes, auri sacra seducti fame perfida nefaria proditione struunt consilia, & exitioso alienatæ mentis impetu in patriæ telluris feruntur ruinam. Unde & Athenis eos tumuli privarunt honore, nec mortuos ulla illius terræ gleba tegi permiserunt, quam adeo infesto, dum viverent, odissent animo: Alex. ab Alex. *gen. dier. lib.* 6. *cap.* 14. Et Creontis de Polynice patriam oppugnante hæc post mortem ejus fuit sententia, apud Sophocl. Antig.

. . . . Polynices, qui volebat patrios
Exul focos Deos penates funditus
Vastare flammis, qui volebat sanguine
Satiare se fratris, atque cives liberos

Pres-

Pressor iniqua servitute abducere,
Huic itaque, publice universæ urbi voto,
Ne quis parentet lugeatve funera,
Sed insepultum avibus dapes gratas sinant,
Atque canibus laniari & affici a feris
Hac contumelia.

Quin primum iis qui vendidissent auro patriam dominumque potentem imposuissent Virgilius *lib.* 6. *Æneid.* locum assignavit inter omnes, quos statuit immortales apud inferos pati cruciatus, eosque velut agminis miserandi duces recenset.

Et certe, flebilem maxime & deplorandam ejusmodi hominum puto conditionem: quanquam enim post scelus perpetratum fuga merito semet exemerunt supplicio, iis tamen ipsis, quibus commodum attulerunt, horrori sunt, grata scilicet proditio, at exosi proditores, & passim suspecti ac hostium fere loco habentur, *etiam*, inquit Tacit. annal. libr. 1. c. 58. *iis, quos anteponunt, invisi sunt:* quis enim obsecro magni momenti res ipsorum ausit committere fidei, qui flocci fecerunt sanctissima violare jura? Hinc & rarissime cernimus, optatum iis contingere vitæ finem; cum secura vix esse queat hujus sceleris merces, nec perennia proditorum præmia: vel enim extorres patriæ, per consanguineos diris devoti, exteris abjecti, infaustum inter perpetuas calamitates æterna sceleris conscientia comitati spiritum trahunt, & perfidum pectus vagabundi circumferunt; vel miserandum in modum ex eadem, qua lucrum sibi polliciti fuerant, arte pereunt, dum eos ipsos, quibus prodesse voluerunt, acerrimos experiuntur hostes: quorum, ne ad pristinum redirent flagitium, damnati suffragiis, inter anhelitus & suspiria duris cruciatibus occumbunt. Quid aliud Alexandrum movit, ut Bessum Darii Satrapam, postquam rupta fide dominum suum Persarum Regem peremisset, in crucem tollendum, & mutilatis auribus naribusque sagittis conficiendum Regis interfecti fratri daret? nisi quod occasione semet offerente non quicquam clementius expectaret ab eo, qui domino ac Regi non pepercerat, a quo summum ad honoris fastigium fuerat evectus; quodque possibile vix censeret, externam quemquam adoraturum purpuram, vel reverenter habiturum hostis majestatem, qui non ab amici Regis corpore crudeles & impias potuerat cohibere manus: Curt. *lib.* 7. *cap.* 5. Ab ipsis illis inimicis a quibus ad prodendam patriam fuerat auro corrupta, armis obrutam ac interfectam Tarpejarcis præfecti filiam, Livius auctor est lib. 1. *prodendi exempli causa*, inquit, *ne quid usquam proditori tutum esset.* Pari de causa Faliscorum pædagogum pueris captivis Manlius nudatum revinctus a tergo manibus in urbem virgis repellendum exhibuit: Livius *lib.* 5. pluribus id confirmat Philipp. Camerarius *operum subcisivor. part.* 1. *c.* 7. *& part.* 2. *cap.* 60.

10 Multis autem modis in proditionis crimen quis incidit: veluti si exercitum in insidias deduxerit; ex amicis inimicos effecerit, & exteros Reges subduxerit Principis imperio: quo minus hostes in potestatem pervenirent procuraverit; commeatu, armis, telis, equis, pecunia, aliave re juverit adversarios: *l.* 4. *ff. ad leg. Jul. Majest.* si hostem concitaverit, vel hosti civem tradiderit: *l.* 3. *ff. d. tit.* si ejus ope, consilio, dolo malo provincia vel civitas hostibus prodita fuerit: *l.* 10. *ff. ad leg. Jul. Majest.* si nuncium inimicis vel literas miserit, aut secreta nunciaverit: *l.* 6. §. 4. *ff. de re milit.* & hi vivi comburuntur, vel furcæ suspenduntur: *l.* 38. §. 1. *ff. de pœnis*; olim in crucem tollebantur ante sublatum, nempe Constantini constitutione, crucis supplicium: Cujac. 5. *recept. sentent. Pauli tit.* 22. Proditionis insuper reus est, qui dolo malo, ut hostibus prodesset, prælio sese subduxit: *l.* 3. *ff. ad leg. Jul. Majest.* uti quondam Jones suasu Themistoclis in pugna navali Xerxem deseruerunt: Just. *lib.* 2. *cap.* 12. Denique qui signum hostibus dederit, seu notam aliquam iis exhibuerit, qua commodum improvidos & imparatos opprimendi tempus indicatur: *l.* 1. §. 1. *ff. ad leg. Jul. Majest.*

11 Cum vero omnes illi, quos hactenus enumeravi, a læsæ majestatis crimine non sint immunes, etiam perduellionis pœnas non evitabunt, sed juxta constitutionem Arcadii & Honorii Imperatorum ultore gladio plectentur, bonis omnibus fisco addictis: *l.* 5. *C. ad leg. Jul. Majest.* Antea Romulus lege sanciverat, ut quisquis voluisset, eos deprehensos occidere posset, tanquam Jovis inferni hostias. Tulius deinceps Hostilius a Metio Suffectio proditionis sumpturus supplicium, quadrigis eum alligatum divelli curavit: Livius *lib.* 1. unde Ovid. *lib.* 1. *trist. eleg.* 3.

Sic doluit Metius, tunc cum in contraria versos
Ultores habuit proditionis equos.

Cassius Brutus portas hostibus aperire cupiens, ac deprehensus, ab ipso patre templo, in quod confugerat, ita inclusus est, ut inedia periret. Pari modo Pausanias proditionis damnatus, cum templi sanctitate tueri sese vellet, obstructis cocto latere templi foribus a patre, fame extabuit, eumque mater insepultum ejecit: Plutarch. *in parall. n.* 21. 22. Germani proditores ex arbore solebant suspendere: Tacit. *de morib. German. c.* 12. Nostris quoque moribus, omnium gravissima decernuntur in illos supplicia. Gloriosæ memoriæ Guillelmi primi Arausionensium Principis parricidam legimus vivum in partes discerptum, candenti forcipe sæpius mutilato corpore: Meteran. *histor. lib.* 12. Periit eodem supplicii genere Provinus, qui, licet honesta conditione ac liberali stipendio frueretur in Fœderatis Belgii Provinciis, Gertrudisbergæ tamen proditionem molitus fuerat: Reidan *lib.* 18. *annal.* Quin & Ordinum Generalium edicto 17. *Aprilis* 1589. Gertrudisbergæ venditores ultimi supplicii rei sunt declarati, sic ut non alia judicis exspectata sententia capitali possent ubique pœna plecti. Laqueo etiam addicti duo nautæ patrimonio ipsorum in fiscum redacto 13. Octobris 1635. quod, cum Ordinum Fœderatorum essent subjecti, plurima sæpe clam suppeditassent inimicis esculenta aliaque exportari prohibita.

12 Porro non hi solummodo in legum pœnam incurrunt, qui proditionis auctores fuerint ac artifices; verum & illi, qui perduellibus favorem & auxilium præstiterint; ipsi etiam conscii rigidis non effugient legum sanctiones; manifestum namque satis est, in majestatis crimine conscios, si scelus non detexerint, iisdem quibus machinatores subdi suppliciis: *l.* 5. §. 6. *C. ad leg. Jul. Majest.* & instru-

structione nostra militari *art.* 6. cautum, ut si quis proditionis agitata consilia non statim cohortis præfecto detulerit, non secus ac proditor capite plectatur. Neque sane alia poterit ex silentio desumi conjectura, quam pessime tales in Rempublicam affectos quicquid actum vel agendum est tacite probare, nec per eos stare, quo minus omnia patriæ dira superveniant, & universus dissolvatur Reipublicæ contextus; præsertim cum notissimum cuique sit, ejusmodi proditionis paucissimos plerumque reperiri socios; adeo ut, consciis crimen non revelantibus, inevitabilis Reipublicæ maneat interitus & eversio. Atque hinc est, quod leges, ne conscius quisquam probabilem allegare posset excusationis causam, omnes penitus ad hujus criminis accusationem admiserint, non servos repudiaverint de dominis, libertos de patronis conquerentes, & ipsos infames, milites, mulieres, pupillos ad accusandum alioquin inhabiles juxta *l.* 4. 8. *ff. de accusat.* hoc tamen in negotio præceperint audiendos: *l.* 7. *l.* 8. *ff. ad l. Jul. Majest.* Quo pacto quondam Ciceroni Fulvia, vilissimum scortum, Catilinæ consilia ac conjurationem prodidit: Sallust. *bell. Catill.* c. 26.

Verum dixerit forte quispiam, difficilem esse proditionis probationem; cumque de jure Romano debuerit accusator in crimen inscribere, ac, ni probaverit, ad talionis semet obligare pœnam, etiam propter temeritatem quandoque tormentis subjici potuerit: *l. fin. C. de accusat. l.* 3. *C. ad l. Jul. majest.* durum fore, simpliciter conscium, qui se probationibus destitutum noverit, ad detegendum tamen scelus invitum cum vitæ periculo compelli. Resp. nullam conscio legem imponere necessitatem solemni more proditores accusandi; sufficit, si testium laborans inopia fidus in Principem subjectus ei, penes quem summa resídet auctoritas, crimen & indicia detulerit, atque monuerit, ut ejusmodi malevolorum declinet insidias: ea enim, quæ per officium denunciantur, citra solemnia accusationum perpendi possunt: *l.* 7. *de accus. & inscript.* neque quicquam adversatur huic opinioni *l. fin. C. de abolit.* ubi judicibus injungitur ab Imperatoribus, æque gravissimis in criminibus accusatorem ad ea deferenda constringere quæ detulit, ac reum ad objecta, quæ negat diluenda. Neque enim loquitur in casu simplicis delationis, verum abolitionem seu a probando liberationem indulgeri negat, postquam per inscriptionem solemnem criminis plenam accusator in se recepit probationem, ut patet ex princip. *d. l. fin.* Neque hic admodum Baldi moror auctoritatem, qui teste Alciat. *lib.* 8. *parerg.* c. 9. impiam statuit assertionem illam, solos conscios, si crimen non tempestive patefecerint morte mulctandos, eoque nomine Bartolum & ejus sectatores apud inferos torqueri dicit. Quod si enim in parricidii crimine solos etiam conscios quamquam extraneos eodem cum ipsis parricidis dedendos esse supplicio jura voluerint: §. 6. *instit. de publ. judic. l.* 2. *l.* 6. *ff. ad leg. Pompejam de parricid.* si servus non indicans, non proclamans, insidias strui domino, dum adest, mortis reus sit: *l.* 1. §. 28. *& seq. ff. ad Senatusc. Sylanian.* quanto magis eadem legum severitas obtinere debebit in his, qui patriæ salutem suæ posthabuerint incolumitati, proditionem non detegentes? justum quippe & rationi conveniens est, arctius subjectum quemque Reipublicæ obstrictum sese profiteri quam servum domino, quam liberum extraneo; ac proinde magis eum delinquere, qui communem defendere neglexerit Reipublicæ tranquillitatem, quam qui privati cujusquam conservationi non omnem curam adhibuerit. Sic ut merito nullus illam culpaverit in proditione conscio pœnam, quam etiam in periculi singulorum conscios sanciverunt legislatores: *p. m. parens Paulus Voet in comment. ad* §. 3. *instit. de public. judiciis n.* 8.

13 Verum quid statuendum, si non viri sed mulieres proditionis esse scelere pollucrint, ope, consilio principales facinoris auctores juvando? ordinariam etiam in illis pœnam obtinere debere putem: *arg. l.* 3. *ff. de bonis damnat.*, ubi jurisc. asserit, etiam mulierem majestatis condemnari posse: licet enim fœminæ, sicut a militiæ removentur officiis, sic quoque sexus imbecillitate plerumque liberentur a proditionis insimulatione; quia tamen nonnullas præter sexus sui verecundiam non segnius quam viros armis bella gessisse docuit experientia, ut superius dixi; quid si eodem quoque subjugarentur supplicio, ubi constiterit in hanc illas fuisse delapsae insaniam, ut a viris perpetrari solita non dubitaverint tentare crimina, quod quandoque evenisse testantur historiarum scriptores: nam uti Seneca inquit in Hippolyt. act. 2. in fine:

Quid sinat inausum fœminæ præceps furor?

cum enim proditio delictum non sit quod ex mentis inconstantia committitur, in quibus forte mitiores, quam quidem masculi, judices experirentur; sed hic mera peccetur animi malitia, qua summis viribus id unum quærunt, ut obesse patriæ, hosti vero prodesse possint, in tantum ut infirmitate potius absterreri possent ab ejusmodi negotiis, quam ad illa sectanda moveri; insuper, quo longius hoc crimen a muliebri remotum est modestia, quoque minus ausuræ præsumuntur, eo & gravius delinquere censendæ sint, ei quid ansæ fuerint, quod a sua magis quam virorum natura alienum est; nulla ratio suppetit satis evidens, cur non iisdem hic mulieres in officio continerentur suppliciis: Anton. Matth. *tract. de crimin. lib.* 48. *tit.* 2. *cap.* 3. *n.* 3.

14 Si quis arcem vel alium quem locum munitum ad defendendum sibi commissum hosti tradiderit capite pœnas luet: *l.* 3. *ff. ad leg. Jul. majest. instruct. militari artic.* 53. Nicol. Boer. *tract. de custod. clavium n.* 25. 26. Perez. *ad tit. Cod. de re milit. n.* 39. Quod tamen aliquam ex æquitate limitationem recipit, si nempe nondum summa tradens pressus fuerit necessitate: ea enim urgente, nec affulgente subsidii spe, cedere parumper hostibus expedit, quo postea milites superstites Reipublicæ majus possint afferre commodum, quam inevitabile nimia pertinacia subire fatum: cum credibile vix sit, ad rabiem usque depulsos adversarios vitæ cujusquam parcituros esse; tutiora quandoque, ut patriæ prodesse possimus, eligenda consilia, licet indigna ferme viro forti visa fuerint, cedendum paulo fortunæ, & *parendum est necessitati*, ut inquit Livius lib. 9. *quam ne alii quidem superant*. Dulce quidem

&

& decorum pro patria occumbere, & pulchram oppetere per vulnera mortem: verum non fortitudinis est, sed amentiæ tunc armis mordicus velle resistere, cum non sat rationis in armis est; insani potius quam viri strenui, tunc velle perire, cum nulla moriendo Reipublicæ præstare possis militatem, sed ingentem magis dolorem concites, dum videt, illos flebili morte cecidisse milites; & sese jam laborantem iis privatam heroibus, quos in salutem atque conservationem suam natos speraverat, & collapsa negotia virtute sua restauraturos: Ajala *de jure & offic. belli lib.* 3. *cap.* 18. *n.* 3. *& seqq.* rectius Leonidas Spartanorum dux, cum per triduum summa constantia quatuor millibus armatorum stipatus Thermopylas adversus qningentorum millium defendisset exercitum, jamque summum montis cacumen ab hostibus obsideri cerneret, sublata defensionis fiducia socios hortatus est, *recederent, & se ad meliora patriæ tempora reservarent;* idem facturus, si non in fatis fuisset, vel Regi vel urbi cadendum esse: Justin. *lib.* 2. *cap.* 11. Quapropter etiam quicunque Ostendam urbem maritimam ad incitas redacti, post perpessam trium annorum & octoginta dierum obsidionem, æquis conditionibus Hispano tradiderant, non ut victi, sed ut victores ac vincendo fatigati ab illustriss. Principe Mauritio recepti fuerunt: Meteran. *histor. lib.* 25. Ratio est quod ad impossibilia nemo possit obligari, ac omni culpa careat, qui prohibere non potest: *l.* 50. *ff. de reg. juris*. Immunis autem a culpa nullo jure puniri possit: *l.* 22. *C. de pœnis:* Martin. Haudensis *tractat. de Castellan. & Castris quæst.* 5. Nicol. Boer. *tract. de custod. clavium n.* 24. Quo facit quod *in l.* 6. *ff. de re milit.* jurisconsult. ei parcendum esse dicat, qui præfectum in acie deseruit, si resistere hosti non potuerit, quodque instruct. milit. *art.* 52. cautum reperiatur, ne quis sponte vel ficta quapiam de causa commissam sibi stationem deserat, cui consequens est, ingruente majore vi cui non amplius armis resisti queat, loco cedere posse, concilio militari desertionis, justas approbante rationes. Proinde minime laude dignos illos esse judico duces, qui nefas ducunt exercitu dissipato fuga sibi consulere, Lucii Æmilii, Biantis similiumque moti exemplis, quorum ille, cum consternatis Cannensi clade Romanis ope consilio solatium potuisset afferre, oblatum ad fugiendum a Cn. Lentulo Tribuno equum repudiare morique maluit; *tu quidem*, inquiebat, *Cn. Corneli macte virtute esto, abi nuncia publice patribus urbem Romam muniant, ac priusquam hostis victor adveniat, præsidiis firment: & tu me in hac strage militum meorum patere exspirare:* Livius l. 22. Bias vero circumventus ab hostibus, & quid agendum foret a militibus rogatus; *quidnam aliud*, respondit, *quam ut vos evadatis incolumes, ipse cadam:* Plutarch. in apopth.

15 Dolo autem stationem deserentes læsæ majestatis crimini sunt obnoxii: non item si citra dolum alia de causa id factum fuerit: Anton. Math. *tract. de crimin. lib.* 48. *tit.* 2. *c.* 2. *n.* 15. Proinde etiam, ut ordinaria majestatis pœna plecti debeat castra vel munitiones citra necessitatem inimicis tradens, dolum requiri existimo, quod si negligentia, imperitia, imprudentia, meticulositate, defensionis causa commissum locum adversariis concesserit, pro culpæ modo judicis arbitrio mitius puniendum esse: arg. *l.* 14. §. 2. *ff. de custod. & exhibit. reor.* neque enim illi ipsi, qui timido vel imperito duci defensionem injunxerunt, extra omnem culpam constituti sunt, adeoque, si quid vitii fuerit admissum, etiam sibi quodammodo debebunt illud imputare: eos quippe novisse oportuit illorum conditionem, quorum industriæ tanti momenti negotia commendant: arg. *d. l.* 14. §. 1. *ff. de cust. & exhibit. reor.* Unde & M. Fabius apud Livium l. 8. testatur, *populi, penes quem potestas omnium rerum esset, nec iram quidem unquam atrociorem fuisse in eos, qui temeritate atque inscitia exercitus amisissent, quam ut pecunia eos mulctarent.* Publium Aurelium, cum ipsius essent occupata per hostes castra, virgis cæsum in gregalium numerum Cotta retulit: Frontin. *de stratag. l.* 4. *c.* 1. *n.* 31. plerique sola tales ignominiæ pœna censuerunt afficiendos; Charundas illos per triduum muliebri habitu indutos in foro publico considere jussit. Artaxerxes ducibus ejusmodi detractas infamiæ causa vestes flagellari voluit: Alex. ab Alexandr. *gen. dier. l.* 1. *c.* 13. Nec aliam segnitiæ pœnam militibus Orodes Daciæ Rex inflixit, quam ut somnum capturi pedum loco capita ponere, & uxoribus ministeria, quæ ipsis antea fieri solebant, facere tenerentur: Justin. *l.* 32. *c.* 3. Agesilaus illos vestibus nudatos incedere per castra præcepit: Plutarch. *in ejus vita*. Et hoc nostro seculo cuidam Hispanorum tribuno propter pusillanimitatem, adempta tribunitia dignitate, data solummodo fuit equestris turmæ præfectura, velut ad imperium majus inhabili: Materan. *hist. lib.* 27. Fœderati etiam Belgii signifero, qui propter imperitiam ac metum stationem hostibus concesserat, remissa fuit ab Illustriss. Principe Auriaco Frederico Henrico pœna capitalis, ejusque loco relegatio decreta. Alia graviora suppliciorum genera in eos, qui commissum sibi locum non defenderant, decreta refert Cotereus *de jure & privil. milit. lib.* 3. *c.* 8.

16 Cæterum accidit quandoque, ut urbis vel castri præfecto quidem nec bellica desit peritia, nec in periculis animi constantia, & omnium suppetat abundans copia, quibus ab hostium impetu civitates obsessæ defendi possent; militum tamen ille vexetur contumacia, deditionem expetentium, & vigilias stationes agere, dura belli munera ferre recusantium, quo fit, ut invitus cum adversariis de tradendo loco pacisci cogatur. Ne igitur id impune sibi licere milites existiment, statutum fuit, ut si quid eorum contra præpositi mandata commiserint, frustra delicti veniam exspectent, sed capitalis protinus supplicii rei fiant: *instruct. militar. art.* 54.

17 Quia vero navium præfecti non alio sunt habendi loco, quam urbis aut arcis gubernatores, quippe qui castella tuentur aquatica, & ligneis sese muris adversus hostium defendunt incursus, eandem jure subibit ille capitis pœnam, qui sponte vel levi de causa carinam adversariis tradiderit, placito Ordinum generalium 27. Januar. 1665. relato ab Aitsema *hist. l.* 45. *edit. in* 4. *par.* 11. *p.* 710. Si tamen proris undique cinctus hostilibus ereptum intra

Rei-

Reipublicæ portus deduci posse navigium desperet, nullo jure compelli poterit, ut igne in pulverem pyrium conjecto semet una cum superstitibus interficiat, uti factum an. 1606. ab Architalassi vicem sustinente præfecto: Saude *hist. l.* 3. eo enim ipso sui ipsius fit homicida, ac quantum in se est fatalem illam a Deo constitutam mortis horam accelerare nititur. Quod si prohibitum sit amicum in bello occidere, si nefas interimere militiæ socios; etiam illicitum erit præfecto sibi necem hoc pacto consciscere, cum certum sit, quemque sibi proximum esse, & teneri semetipsum ante omnia diligere, nec ullum se sui ipsius adversarium profiteri posse: Parens piæ memoriæ Paulus Voet *in commen. ad* §. 3. *instit. de just. & jure n.* 4. At, inquies, non proprium directo sui ipsius intendunt homicidium; nec ideo pulverem incendunt tormentarium, ut ipsi indigna tristique morte pereant; sed ut eo modo adversarios e medio tollentes pulchram Reipublicæ quærant victoriam. Resp. etiamsi nil nisi commune bonum ob oculos habeant, & eo unice collineent; peccant nihilominus, dum ad id efficiendum proprio facto de necessitate perire coguntur, adeoque directe per suam necem procurare student inimicorum interitum. Cum itaque sine antecedente sui ipsius eversione nequeant eum, quem intendunt, finem assequi; nullo jure poterit asseri, per accidens tantum eos sibi violentas inferre manus: quicquid enim adest perpetuo, nec abesse potest, neutiquam per accidens evenire statuendum est. Neque quisquam dixerit hoc pacto gloriosa fortium virorum impediri facinora, quibus possent mortem contemnentes inimicis grande procurare damnum; quasi vero non honestior alia methodus suppeteret, qua non semel hostibus sed sæpius intentare perniciem, & in maximo discrimine constantis animi signa producere liceret: quot non ex illo tempore, quo postremum incensa sponte navis, quot non illustres Heemskerckius, Trompius, Galenus, aliique summi duces ab adversariis tulerunt victorias? quot non memorabiles sub eorum auspiciis militantes præfecti pugnes ediderunt? quot non exhibuerunt egregia socii nautici mentis imperterritæ specimina? latius de his vide venerandum avum Gisbertum Voet *par.* 4. *select. disp. tit. de homicid. & læsion. sui ipsius*, & Johannem Loccenium *de jure maritimo l.* 3. *c.* 9.

18 Summum ad hostes transfugisse nefas est, cum degeneres indigenæ relicto patrio solo, neglectis penatibus in eorum perniciem ruunt armati, adeo ut, si Reipublicæ linguæ concessus esset usus, procul dubio ab ejusmodi sceleratis velut jugulata cum Cæsare cogeretur exclamare, *& tu quoque fili*. Scilicet, a qua alti, instituti, cui vitam & omnia debent, ei necem inferre non exhorrescunt; neque sufficere putant, quod externi reperiantur hostes, nisi & illis semet adjunxerint, & communis parentis insultaverint squallori & occasui. Omnes itaque transfugæ pro hostibus habendi sunt: *l.* 19. §. 4. *ff. de captiv. & postlim. l.* 7. *ff. de re milit.*

.... nec hunc amicum existimo,

In patriam quisquis animum hostilem gerit:

inquit Creon apud Sophocl. in Antigone. Unde & Cujac. 6. *observat.* 27. censet, in *l.* 3. §. 2. *ff. de pœnis* pro *hostes autem, item transfugæ*, legendum esse *hostes autem, id est transfugæ*; neque enim militum amplius appellatione contineri queunt, ac proinde, licet milites non torqueantur, hi tamen a quæstione non sunt immunes: *l.* 7. *ff. de re militari*; cumque patriæ cives esse desierint, etiam testamenti factionem habere nequeunt: Saude *decis. frisic. l.* 4. *tit.* 1. *defin.* 2. Groenewegen, Vinnius, parens p. m. Paulus Voet *ad* §. *fin. instit. quibus non est permiss. fac. testam.* modo tamen per sententiam hostes fuerint declarati.

19 Pœna autem ordinaria transfugarum, sive illi gregarii fuerint, sive duces, est ultimum supplicium: *d. l.* 6. *instruct. militari art.* 55. nonnunquam vivi comburuntur vel furcæ suspenduntur: *l.* 8. §. 2. *l.* 38. §. 1. *ff. de pœnis*; & eos ubicunque fuerint reperti, velut hostes Reipublicæ impune perimere licet: *l.* 3. §. *fin. ff. ad leg. Cornel. de Sicariis*. Fulvium Senatoris filium, cum ad conjurati Catilinæ castra transiret, ex itinere retractum parens necari jussit: Sallust. *in bell. Catilin. cap.* 39. Publius Scipio transfugas Romanos in crucem egit, Latinos securi percussit; posterior Africanus feris eos objecit; Lucius Paulus elephantis: Valer. Maximus *lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 12. 13. Marcellus virgis cæsos peremit: Plutarch. *in Marcell.* Etiam eorum conjuges & liberos Hannibal vivos combussit: Livius *lib.* 24. Artaxerxes tamen mitius cum transfugis cupiens ignominia potius quam pœna corporali illos coercuit; jussit enim, ut scortum nudum per castra capite circumferrent: Alexand. ab Alex. *gen. dier. lib.* 2. *cap.* 13. Iisdem transfugarum pœnis obnoxii sunt, qui capti ab hostibus, cum revertendi copiam habuissent, remanere maluerint: *l.* 5. §. 5. *de re militari*: ut & illi, qui donis ac muneribus allecti, ducis illius, a quo detenti sunt, partes sequuntur: quod ideo Cæsaris centurio stupenda denegavit animi constantia, cum ei a Scipione vita, dignitates eædem in castris & honores offerrerentur: *Forsan*, inquit, *isto uterer beneficio, si non ei summum scelus adjungeretur. Egone contra Cæsarem Imperatorem meum, apud quem ordinem duxi, ejusque exercitum, pro cujus dignitate victoriaque amplius triginta sex annis depugnavi, adversus armatusque consistam? neque ego istud facturus sum, & te magnopere, ut de negotio desistas, adhortor*: Hirt. Pensa de bello Africano. c. 45.

20 Cum vero transfuga, ut dixi, ex amico hostis fiat, dubium esse non potest, quin eo nomine majestatis reus sit, adeoque & solus merito puniatur conatus, licet effectus non fuerit subsecutus; veluti si ad hostes transire cupiens deprehensus fuerit: *l.* 3. §. 11. *ff. de re milit.* in perduellionis namque crimine eadem severitate voluntatem sceleris qua effectum puniri jura voluerunt: *l.* 5. *Cod. ad. leg. Jul. majest.* Et licet Farinacius asserat, hodie nullius criminis solum conatum ordinaria coercendum esse pœna, si voluntas sortita non fuerit eventum: *prax. & theor. crimin. lib.* 1. *tit.* 3. *q.* 20. *n.* 134. verior tamen est opinio, quam approbat Nicol. Boer. *tract. de seditionibus cap.* 7. *n.* 42. & Groeneweg. *de leg. abrogat. ad* §. 5. *instit. de public. judiciis*, in atrocioribus scilicet criminibus majestatis & similium et-

etiam nudam voluntatem, modo per actus externos fuerit declarata, eodem quo crimen consummatum puniri supplicio. Et misera foret Principis, misera Reipublicæ, misera denique exercitus Imperatorum conditio, si non forent ordinaria plectendi pœna gravissimorum criminum rei, qui cum hostibus Principis & Reipublicæ ruinam machinantur, ac transfugiendo vires exercitus debilitant; antequam plenum prava & infausta illorum intentio nacta fuisset exitum: *Cætera maleficia*, inquit Cato apud Sallust. cap. 52. *tum persequare, ubi facta sunt; hoc nisi provideas, ne accidat, ubi evenit, frustra judicia implores*. Quid quod juxta instructionem milit. etiam ille capitis reus sit, qui solummodo non impetrata a centurione venia ultra tormenti jactum a castris vel signis recesserit: *ar.* 21. aut citra præfecti consensum de die vel de nocte repertus fuerit extra castra vel obsessam ab hostibus urbem: *ar.* 40. cum vix alius inde quam ad adversarios transeundi præsumi possit animus. Unde &, cum anno 1621. 1. Septemb. ex quatuor militibus, dum transfugerent, in itinere interceptis, unus tantum ultimo fuisset addictus supplicio, reliqui revinctis a tergo manibus suspensi in præceps dimittereutur; id ægre admodum a gloriosæ memoriæ Principe Mauritio latum fuisse constat, ejusque mandato rigidiorem tribus transfugis ad mortem non condemnatis impositam fuisse castigationem; sic ut adhuc unus sorte ductus laqueo vitam finire cogeretur. Quinimo si nonnullæ modo contra sagatum de transfugiendi voluntate militent præsumptiones, per torturam jure poterit indagari veritas.

21 Nec transfuga quisquam ab ordinaria pœna liberatur, si revertendi adeptus occasionem ad antiqua sese castra & socios quondam ac commilitones receperit: torquebitur enim, & ad furcam vel ad bestias damnabitur: *l.* 3. §. 10. *ff. de re milit.* Censuit tamen Fabius in Alcinium transfugam sponte reversum non esse gravi sæviendum supplicio, sed eum solummodo neque pro hoste neque pro socio habendum: *quod si enim*, inquit, *abire ab Romanis liceat, redire ad eos non liceat, cui dubium esse, quin brevi deserta ab sociis Romana res fæderibus Punicis omnia in Italia juncta visura sit? Liv.* l. 24. Quod si vero reversos multos deprehenderit latrones ac transfugas demonstraverit, ordinaria pœna saltem mitiganda, vel etiam quandoque penitus erit remittenda, si ingentem inde Respublica perceperit utilitatem: *l.* 5. §. *fin. ff. de re milit.* Tiraquell. *de pœn. temper. & mitig. caus.* 49. *n.* 1. In eo autem assentiri Tiraquello nequeo, quod *d. loco* non pœnam tantum transfugis remitti, verum illos insuper affici præmio posse statuat; cum disertis verbis rescripserit Imperator Hadrianus *d. l.* 5. §. *fin.* nihil transfugæ pollicenti promitti debere; quantumcumque enim emolumenti revertens Reipublicæ contulerit, non tamen ad diluendum majestatis crimen, quod ad hostes transeundo contraxit, sufficere poterit: sic ut & illo casu, quo nullum ab eo supplicium fuerit exactum, ex mera potius gratia atque Principis clementia quam ullo novo merito pœnæ remissio indulta censeri debeat.

22 Porro distinguendi sunt a transfugis desertores, qui inimicorum castra non sequuntur, sed numeros, in quos erant relati, solummodo deserunt. Quo pertinent & illi qui ad diem commeatus non venerint: *l.* 3. §. 7. *ff. de re milit. instruct. milit. ar.* 26. socii insuper nautici moribus nostris, qui, cum militiæ maritimæ pro Republica nomina dedissent, ea relicta operam suam privatis addicunt: *edict. Ordinum General.* 25. *Julii* 1725. Quod quidem inter atrociora militiæ crimina merito computandum: militia namque præcipuum in eo versatur officium, ut signis victricibus jugiter inhæreat, neque recedat ab illis absque consensu regentis exercitum: *l.* 15. *Cod. de re milit. l.* 31. *Cod. locati*. Sic ut nec tribunis nec præfectis concessum fuerit juxta Constantii constitutionem, militibus suis commeatum dare: quod si iis inconsultis ab obsequio militari signisque milites discessissent præfecti nihilominus per singulos quinque pondo auri fisco inferre compulsi, *l.* 2. *Cod. Theod. de re milit.* Cæterum ad minuendam vel augendam desertionis pœnam multum confert ordinis & stipendiorum dignitas, & gradus militiæ, vel muneris, quod deseritur: *l.* 5. *ff. de re milit.* Proinde si milites fuerint gregarii, videndum, belli ne an pacis tempore numeros deseruerint; hoc casu pedites militiam mutare coguntur, equites ordine pellendi; ast ubi belli grassatur calamitas, tam pedites quam equites deserentes mortis subibunt supplicium: *l.* 5. §. 1. *ff. de re milit. instruct. milit. art.* 16. 24. & a quibusvis impune trucidari poterunt: *l.* 2. *Cod. quando liceat unic. sine judic. se vindic.* Quod tamen nostræ militiæ moribus non obtinet: nec enim hodie privata auctoritate desertorem, nisi forte populantem aut latrocinantem, interimere permissum est: Nicol. Duysentdaelders, *ad consuetud. Amstelodam. lib.* 1. *c.* 15. *ubique DD. allegati*. Aliquando virgis cæsi publice venierunt: Frontin. *lib.* 4. *stratag. c.* 1. *n.* 19. Quandoque crura iis exsecta legimus: sic enim in castris edicebatur; *signa propria quisque sequatur, sciens, quod si remanserit usquam, exsectis cruribus relinquetur*: Ammian. Marcell. lib. 23. Avidius Cassius manus ac pedes iis detruncasse fertur, asserens majori disciplinæ fore miserabiliter criminosum vivere quam occidere: Alexand. ab Alex. *gen. dier. l.* 2. *c.* 13. Unde & postmodum moribus nostris illa capitalis pœna instructione militari constituta paulum in iis, qui prima vice deseruissent, mitigata fuit; sic ut stigmate solummodo desertoris frons notaretur; nisi deserentium numerus crimen auxisset; quo casu nonnulli sorte ducti suspendio plerumque perempti: at iterati criminis ultimum remansit perpetuo supplicium. Defunctorum autem in desertione bona fisco sunt addicenda: *l.* 4. *Cod. de re milit.* Actor insuper vel procurator, qui desertorem diu apud se delitescere sinit sciens prudensque, pœna capitali plectitur: *l.* 1. *Cod. de desertoribus*, eumque ultima flammarum animadversione consumendum inquiunt Imperatores in *l.* 2. & 4. *Cod. Theod. de desertor.* Hi vero gregarii non æque deserendo ac quidem transfugiendo perduellionis in crimen incidunt: Anton. Matthæus *tract. de crimin. lib.* 48. *tit.* 2. *cap.* 2. *n.* 13. adeoque si nondum perpetrata sed tentata tantum fuerit desertio, veluti, si dum deserunt ad

si-

signa reducantur, ordinariam ex edicto Germanici Cæsaris pœnam evitabunt: *l.* 4. §. 13. *ff. de re milit.* quin imo si nondum ad urbem pervenerit desertor, sed alibi fuerit deprehensus, ex prima desertione restitui poterit: *l.* 5. §. 3. *l.* 15. *ff. de re milit.* Hinc est, quod de Corbulonis severitate velut insolita Tacitus, *annal. lib.* 13. *cap.* 35. *non ut in aliis exercitibus unum alterumque delictum venia prosequebatur, sed qui signa reliquerat, statim pœnas luebat.* Quod si sponte reversus fuerit desertor, anterioris delicti pœnam non timebit: *l.* 1. *Cod. de desertor.* Nisi tamen post quinquennium demum elapsum semet obtulerit; deportandus enim erit: *l.* 13. §. *fin. ff. de re milit.* aut nisi plures, cum simul deseruissent, intra certum tempus ad ordines reversi fuerint: illi namque gradu pulsi in diversa loca distribuendi sunt: *l.* 3. §. 9. *ff. de re militari;* deserentium quippe numerus crimen aggravat: *l.* 5. *ff. d. tit.* Factum tamen aliquando, ut edictis propositis impunitate promissa quilibet ad procinctum desertores vocarentur: Ammian. Marcellin. *lib.* 27.

23 Aliud autem statuendum erit si majores milites velut Imperatores, legati, tribuni aliique in gregarios imperium habentes exercitum deseruerint; cum enim illi tale quid perpetrantes majestatis rei fiant: *l.* 2. *ff. ad leg. Jul. majestat.* etiam solus conatus extra legis pœnam non erit constitutus. Ejus vero, quod duces deserendo perduellionem committant, non item gregarii, non absurda ratio est quam Poeta tradit, cum inquit:

> *Omne animi vitium tanto conspectius in se*
> *Crimen habet, quanto major qui peccat habetur.*

Hanc tamen præcipue Jurisconsultos movisse crediderim, quod gregarios animadverterent hoc crimen admittentes exiguum publico detrimentum inferre, non utique majus, quam si commilitonem duello miles obtruncasset. At ducis desertione non unius tantummodo viri opera destitui Rempublicam, sed plerumque cohortium ac legionum integrarum auxilio privari: cum parentes militis imperantis, sine quo prælium inchoare nefas ducunt, soleant imitari facta, & præpositi sui sequi mores, non secus atque ad solem sese obvertit heliotropium, scilicet ut Claudianus ait 4. *consulat. Honor.*

Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.

Quinimo licet nonnunquam contingere posset, ut neglecto ducis exemplo sacramenti memores in fide milites remaneant, constans tamen est experientia, præfectis suis destitutam legionem vel cohortem ad pugnandum minus promptam & idoneam esse: *illud scire debetis*, inquiebat Perdiccas, *militarem sine duce turbam corpus esse sine spiritu*: Curt. *l.* 10. c. 6. Turbatis ordinibus non secus ac pecora morti destinata milites passim trucidantur auctoritate ducum ac præfectorum majestate carentes, dum quilibet quod sors ipsi suggerit experitur, neque omnibus ad prælium una voluntas est, aliis irruendum, hosti cedendum aliis clamantibus; his jungendas acies, illis segregandas esse cohortes censentibus, atque ita meticulosi statim terga vertentes ipsas quoque metu implent animosas phalanges, turbant ordines, justam ac legitimam evertunt militum constitutionem, & bellicosum tandem impetu secum rapiunt in fugam agmen.

24 Quod si milites in ardore pugnæ duces suos deseruerint, & hi impares hostium multitudini fuerint oppressi, capitale supplicium non evitabunt quicunque adversus ingruentem inimicorum vim defendare præfectum noluerint: *l.* 3. §. *fin. l.* 6. §. 9. *ff. de re milit.* Quamobrem rectius fecerint, si Celtiberorum, Cimbrorum, & Germanorum mores sequantur, quorum illi nefas ducebant prælio superesse, si is occidisset, pro cujus salute spiritum devoverant: Valer. Max. *lib.* 2. *c.* 6. *n.* 11. Penes hos infame per omnem vitam erat ac probrosum, quemquam Principi suo superstitem ex acie recessisse: Tacit. *de morib. Germ. c.* 14. Si tamen ad tuendum præpositum adversariis resistere non potuerint, parcendum iis erit: *l.* 6. §. 8. *ff. de re milit.* neque enim miles, si certo certius pereundum sibi viderit, pedem referre prohibetur; sed suadet illud recta ratio & jus naturæ, eoque in casu locum obtinebit illud Demosthenis: *vir fugiens denuo pugnabit.*

25 Quia vero quodammodo videntur ducum negligere tutelam, qui præsidiis aut præpositi cujusvis ab excubatione desistunt; desertionis eos subire peccatum jurisconsulto placuit in *l.* 3. §. 6. *ff. de re militari;* quamobrem capite puniendi sunt: *l.* 10. *ff. eod. tit. instruct. milit. ar.* 28. Julius Ferretus *de re milit. pag.* 127. *n.* 43. In quo stationis munus differt ab excubiis; quisquis enim illud deseruerit, plus quidem quam emansor est, non tamen ultimi fiet inde supplicii reus; sed pro delicti modo vel castigabitur, vel gradu militiæ dejicietur: *l.* 3. §. 5. *ff. de re milit.* Cæterum cum ii, qui excubias deserunt in pari causa sunt, qui in exploratione emanent hostibus insistentibus, *l.* 3. §. 4. *ff. de re milit.* ut & illi, qui dormientes in excubatione reperti fuerunt: *instruct. milit. ar.* 27. sic ut impune duces vel pulsare vel interimere possint dormientem excubitorem, juxta ea, quæ ad propositas a Præfecto Liedekercken quæstiones responderunt supremi militares Belgii Fœderati judices qu. 5. quæ exhibet Anton. van Dalen. Neque nimis rigidum cuiquam videri debet ultimum in excubitores decerni solitum supplicium: si enim illos officio deesse contigerit qui pro communi militum invigilare debent incolumitate; summo statim in discrimina versatur exercitus, aut civitas, ne funditus evertatur & intereat, dummodo ejus aditus hostes tentare voluerint; non exspectato quippe inimicorum adventu tumultuarium coguntur inire certamen, dum temporis angustia præsensque periculum non fert, ut ad sua quisque signa, ad duces suos sese conferant, sed territi, inermes, sine imperio, sine ducibus palantes incondita plerique se mutuo premant; arma pauci, plures fugam meditentur attoniti improvisa clade, ac quis furor quæve calamitas, aut unde metuenda, qua ratione potissimum declinanda sit ignari; atque hinc tot civitates ac castra repentino hostium impetu expugnata vidimus. Facili negotio Fabius Arpos debellavit, eo quod nocte concubia stationem agentes propter imbrem subito coortum essent dilapsi:

por-

portæ namque & mœnia Romano milite repleta jam erant & occupata, antequam præsidiariorum quisquam animadvertisset, ab hoste civitatem oppugnari: Livius *lib.* 24. eodem modo a Gallis, qui natando flumen trajecerant oppressi Persæ, dum excubitores intermedio amnis interjectu securi, placido sopore membra componerent: Ammian *histor. lib.* 25. alia vide apud Ajal. *de jur. & offic. bell. lib.* 5. *cap.* 17. Et certe cum poetæ ridendo verum dicere, & commentis fabulosis officii quemque sui memorem facere consueverint, non aliud etiam designare voluerunt, quam ab excubitorum diligentia reliquorum pendere salutem, eosque dormiente vigile nudos & armis exutos insidiis adversariorum illico captos esse, cum fingerent Martem cum Venere furtivos exercentem amores a Vulcano (dum sopore correptus esset excubitor a Marte ad observandum solis adventum constitutus) tenuissimo reti inclusum, atque ita nudum diis omnibus deridendum exhibitum fuisse: Natal. Comit. *Mytholog. lib.* 2. *cap.* 26. Nec ante Mercurium Jovis imperio Ionis rapiendæ peregisse asserunt institutum, quam Argum ei a Junone custodem additum dulci cantu in somnum indixissst: Natal. Com. *Mytholog. lib.* 8. *cap.* 18.

26 Non etiam levior, quam in excubitores, pœna est in illos constituta, qui præposito suo manus intulerint: *l.* 6. §. 2. *ff. de re militari instruct. milit. artic.* 77. Unde & interempto per præfectum milite, qui vim armatam ipsi intulerat, legis Corneliæ de Sicariis pœna absolvendum esse ducem censuerunt in nostra patria judices militares. Idem est, si alio modo quemlibet in officio versantem verbis aut facto læserint sagati: *instruct. militar. artic.* 75. aut industria fregerint præfecti vitam, qua castigandi: *l.* 13. §. 4. *ff. de re mil.* nam & omnis in ducem contumacia est: *l.* 6. §. 2. *ff. eod. tit.* Julius Ferrettus *de re milit. pag.* 67. *n.* 10. 14. in tantum, ut si miles ob contumaciam a centurione castigatus, inde mortuus fuerit, homicidii reus non sit præfectus, modo occidendi animos defuerit, uti a consilio militari fœderati Belgii judicatum fuit anno 1614. 15. Aprilis. Hæc quippe, Sophocle teste in Antigone:

...... *Perdit urbes, turbat, evertit domos.*
Hæc, pugnam ubi res postulat, fugas ciet.

Omnes autem illi contumaces recte dici possunt, qui cum obedire deberent, non obsequuntur: *l.* 53. *ff. de re judicat.* & augetur contumaciæ crimen dignitate præpositi; sic ut gravios delinquere censendus sit, qui exercitus præfecto vel tribuno legionis suæ, quam qui centurioni semet opposuerit: *l.* 6. §. 1. *ff. de re milit.* Cumque duces inferiores non aliter sese habeant ad præfectos in castris majori potestate præditos, quam gregarii ad præpositos inferiores; si in eos contumaces reperti fuerint, non magis quam milites ultimi supplicii pœnas evitabunt: *instruct. mil. art.* 57. Nec has circa contumaciem constitutiones merito carpere quisquam poterit: quod si enim rigida ejusmodi legum sanctione non inviolabilis fieret præpositorum persona, si non gravis supplicii metu intacta maneret eorum auctoritas, non aliud quicquam foret expectandum, quam ut evanesceret disciplina castrensis, legum militarium vigor decresceret, & dulcis illa imperantium ac parentium harmonia in lites, discordias, & miserandum tandem converteretur chaos.

Interim quoque summa præfectos ope niti decet, ne nimis asperis & fastuosis imperiis facilem contumaciæ præbeant occasionem; affabilitate magis quam fastu ac superbia militibus illa, quæ peragenda sunt, injungant, comitate potius, quam metu ac terroribus imperent; dominica quippe magis ac tyrannica, quam egregio duce digna vox illa *oderint dum metuant*. Et quamvis in bello milites ducum & obsequii contemplatione quodammodo servorum videantur imitari naturam: Peres. *ad tit. Cod. de militari veste n.* 7. non ideo tamen illis, qui se meminerint armato præesse, pro libitu concessum milites coercere; verum secundum auctoritatis suæ modum illos castigare debent: *l.* 12. §. 2. *ff. de re mil.* cum nec in ipsos servos ultra modum sævire truei crudelitate leges permiserint: adeo ut, si nimis duriter servum dominus haberet, æquis conditionibus eum vendere cogeretur: §. *fin. instit. de his qui sui vel alien. jur. sunt.* Hinc & in Belgio nostro cohortis equestris præfectus, cum castigationis modum excedendo unum equiti gladio amputasset, condemnatus fuit ad exsolvendos vulnerato centum & viginti florenos. Vix autem est, ut adversus alterius cohortis præfectum contumaciam commisisse miles dici possit, utpote qui suis tantum ducibus obsequium promisit; nisi tamen ad expeditionem suscipiendam vel excubias agendas variis e legionibus aut cohortibus selecti ducis extranei subjiciantur imperio: per id enim tempus illius non secus ac ordinarii præpositi mandatis obtemperare coguntur, capitalis pœnæ comminatione in obedientiam ei detrectantes proposita: *inst. mil. art.* 47. Idem in illos ut contumacibus affines juxta *d. art.* 47. constitutum supplicium, qui tympano vel tuba publicata neglexerint Imperatoris imperia: cum enim novas quotidie formas edere natura deproperet: *l. un.* §. 18. *Cod. de veteri jure enucl.* & innumeri casus emergant, in bello præsertim, nulla legum definitione circumscripti, necessum est hoc pacto sæpe divulgare castrorum edicta, ne quis ea jure possit ignorare.

27 Timoris & ignaviæ incusatus ab Hyperide Phocion, ac veluti per contemptum rogatus, quo tempore bellum gerendum censeret, sapienter admodum; *tunc*, inquit, *cum milites videro suos ordines non deserere*: Plutarch. in vita Phocionis: nihil enim magis in pugna prodesse constat, quam ut assiduo exercitio milites in acie dispositos ordines indesinenter servent, teste Vegetio *de re milit. lib.* 1. *cap.* 26. Quapropter etiam olim jurare solebant, se fugæ atque formidinis ergo non abituros, neque recessuros ex ordine, nisi teli sumendi, aut petendi, aut hostis feriendi, aut civis servandi causa; Livius *lib.* 22. Quisquis autem immemor jurisjurandi primus in fugam sese conjecerit, exempli pessimi crimen admittit, & ab unoquoque impune poterit occidi: *l.* 6. §. 3. *ff. de re milit. inst. milit. art.* 51. adeo ut statuere non vereatur Julius Ferrettus, ne eum quidem ab ordine signisque posse in prælio discedere, cui

cui ab adversariis grave vulnus fuerit inflictum; & non pœnam arbitrariam, sed mortis supplicium de vulnerato citra præfecti veniam aciem deserentem sumendum esse: *de re milit. pag.* 63. *n.* 12. eo enim non tantum aliis acriter pugnæ intentis metus infertur, & adimitur ille, qui ante conspiciebatur animorum ardor; verum etiam ordinum legitima dissolvitur constitutio, adeoque, quod universus adversariorum procurare nulla vi potuit exercitus, ordinum nempe confusionem; id unus & alter sceleratus efficit commilito; atque ita perfidia speratum e manibus excutit triumphum, ac victoriam in funestam commutando cladem nefandæ cædis auctor est. Unde & diro carmine Samnites sese devoventes jurare coacti, se non ex acie fugituros, aut si quemquam fugientem vidissent, eum se extemplo occisuros esse: Livius *l.* 10. Attilius Regulus, equite ante castra disposito, edixit ut quicunque ad vallum tenderet, sive Samnis esset sive Romanus eum se pro hoste habiturum, & omnes fugientes tanquam defectores cædi jussit: Frontin. *l.* 4. *stratag. c.* 1. *n.* 29. Livius *l.* 10. Posthumius dictator, cum quosdam suorum perculsos cedere animadverteret, cohorti prætoriæ signum dedit, ut quemcunque suorum fugientem vidissent, ut hostem interimerent: Livius *lib.* 2. & exercitum ea de causa jure monuit Clearchus Lacedæmoniorum Dux, Imperatorem potius quam hostem metui debere; designare cupiens illos, qui in prælio dubiam mortem timuissent, certum, si fugissent, manere supplicium: Frontin. *lib.* 4. *stratag. cap.* 1. *n.* 16. Quod si in acie a nemine fuerint oppressi, domum vel in castra reversi infames renunciabuntur, & ultimo subjugabuntur supplicio: *instruct. milit. art.* 51. Quid quod & illi, quos non inter primos aciem deseruisse manifestum est, modo de fuga constet, majestatis rei sint: *l.* 3. *ff. ad leg. Jul. majest.* si tamen dolus adfuisse probetur, juxta *l.* 4. & 10. *ff. eod. tit.* Alioquin, si sola cesserint ignavia, perduellionis crimine vacant, ac pro circumstantiis arbitrio judicis pœnam subibunt. Cyrus quidem illos omnes capite puniri voluit: Alexand. ab Alex. *gen. dier. l.* 2. *cap.* 13. alii tamen mitius inflixerunt supplicium. Marcellus illos, qui ex acie aufugerant, sequenti prælio prima frequenter induxit in agmina, ut ignaviæ crimen fortitudine expiarent: Plutarch. *in vita Marcell.* ac Polybius *lib.* 6. auctor est, non omnes fugientes vita spoliandos; sed ad summum ex fugæ reis decimum quemque mortis pœna plectendum esse. Proinde cohortes, quæ cesserant, decimatas hordeo pavit Augustus: Suet. *in ejus vit.* c. 24. Et Julianus decem solummodo milites ex iis qui aufugerant, capitali addixit supplicio: Ammian. Marcell. *lib.* 24. Idem *lib.* 25. refert iis impositum fuisse, ut inter impedimenta ac captivos iter facerent. T. Scaurus filium, quod in Tridentino saltu hostibus cessisset, in conspectum suum venire vetuit. Corbulo duas alas & tres cohortes ea de causa extra vallum per ignominiam tendere jussit. Nonnunquam coacti eum unde sese fuga receperant locum vi recuperare, hiemem sub tentoriis agere, galeati ac discincti in principiis stare, de quibus vide Frontin. *lib.* 4. *cap.* 1.

28 Quod si quis non in ipso quidem prælio, sed in expeditione, dum iter fit, agmen excesserit, capitale nihilominus crimen admittit: fustibus enim cæditur: *l.* 3. *parag.* 16. *ff. de re milit.* Quale supplicii genus sæpe fustuarium appellari solet, & olim in delictis militaribus puniendis frequenter adhibitum: Gudelin. *de jure noviss. lib.* 5. *c.* 21. Mortem autem eo naturalem infligi constat ex *l.* 8. §. 1. *ff. de pœnis*, & Tacito Annal. *l.* 5. *cap.* 21. ubi inquit: *decimum quemque ignominiosæ cohortis sorte ductos fuste necat.* Tribunus enim, teste Polybio *lib.* 6. accepto fuste vix tantum attingebat damnatum: quod ubi factum esset, omnes, qui in castris erant, cædentes fustibus lapidibusque plerosque in ipsis castris conficiebant. Atque ita Alexander Severus fustibus cædi jussit omnes illos, qui de via in alienjus possessionem deflexissent: Ælius Lamprid. *in ejus vita*; fustuarium itaque distinguendum a fustium admonitione, cui similis flagellorum castigatio, quæ mortem naturalem non inferunt, sed sub corporalium coercitionum genere continentur: *l.* 6. *l.* 7. *ff. de pœnis*; eoque referenda verba legis 28. §. 3. *ff. de pœnis* & *l.* 22. *ff. de his qui notant. infam.* ubi fustibus cæsi dimitti & infamia notari dicuntur. Hodie corporalis tantum in illos est statuta pœna, qui irrequisito præfecto suo ex agmine excesserint, nec quicquam eos juvabit, quod justam ac legitimam recedendi possint allegare rationem: *instruct. milit. art.* 50. modo tamen moram negotium patiatur ad impetrandam a duce veniam.

29 Quisquis urbis muros transcenderit, vel per insueta loca civitatem ingressus vel egressus fuerit, capite punitur: §. 10. *inst. l. fin. ff. de re milit.* Neque sublata nostris moribus hæc capitalis pœna, uti perperam nonnulli censent, cum *instr. milit. art.* 46. cautum sit, ut quicunque, sive præfectus fuerit, sive miles gregarius, urbe vel castris per vias invias & non per portam excesserit, laqueo strangulетur; hostile enim illud est & abominandum: *d. l. fin. ff. de rerum divis.* in tantum, ut ne fratri quidem Remo Romæ muros transilienti Romulus pepercerit; sed mortis eum mulctaverit supplicio, de quo Plutarch. *in vita Romul.* & *in problem.* 26. quemque nullo probabili saltus fundamento immerentem cecidisse dicit Horatius *epod.* 7.

> ... *acerba*, inquit, *fata Romanus agunt*
> *Scelusque fraternæ necis.*
> *Ut immerentis fluxit in terram Remi*
> *Sacer nepotibus cruor.*

30 Nec hic admittenda ulla inter muros urbis Romæ & aliarum civitatum distinctio, adeo ut ordinaria tantum pœna in Romæ muris obtineret, in aliis vero civitatum mœniis esset arbitraria juxta Clarum *lib.* 5. §. *fin. q.* 68. n. 29. *ibique DD.* nam speciem quidem aliquam benignitatis hæc præ se fert distinctio: ad juris tamen & rationis excussa normam falsa deprehendetur; eo quod textus in *d.* §. 10. & *l. fin.* loquitur generaliter de muris, non expresso civitatis Romanæ nomine, quodque eadem pro municipiorum muris ratio militet, ac proinde idem in illis quoque jus obtinere debeat; cum certum sit, etiam municipiorum muros sanctos esse: *l.* 8. §. 2. *ff. de rer. divis. l.* 2. *ff. ne quid in loco publ.* quum sola capitalis pœnæ ratio est in murorum urbis Ro-

mæ

mæ violatoribus: *d.* §. 10. *institut. de rer. divis.* Carpzov. *crim. part.* 1. *q.* 40. *n.* 20. *& seq.* Balduinus, piæ mem. parens Paulus Voet *in comment. ad d.* §. 10.

31 Cum autem in *d. l. fin. ff. de rer. divis.* morte punita dicatur in Remo transcendendi voluntas, quæsitum, num illa sola sufficiens crimen sit ad irrogandum ultimum supplicium: dispiciendum eo casu puto, num lascivia, num vero proditionis causa tale facinus quis perpetrare voluerit, ut, si prodendi appareat animus, etiam sola voluntas, effectu non subsecuto, mortis expianda veniat supplicio, cum ex eo scelere læsæ majestatis reus sit: *l.* 10. *ff. ad leg. Jul. Majest.* ubi voluntatem atque consilium iisdem subesse pœnis, quibus scelus consummatum, supra dixi. Quod si cum alio crimine voluntas non sit conjuncta, cessabit ordinaria in murorum violatores constituta pœna: *arg. l.* 3. §. 17. 18. *ff. de re milit.* in qua disertis Jurisconsultus verbis asserit, pœnam quidem capitalem iis infligendam, qui vallum transilierint; eos vero, qui solas fossas superaverint, militia tantum rejiciendos esse: Tiraquell. *de pœn. temper. & mitig. c.* 37. Farinac. *prax. & theor. crim. lib.* 1. *tit.* 3. *q.* 20. *n.* 130. p. m. parens Paulus Voet *in comment. ad* §. 10. *Instit. de rer. divis. n.* 3.

32 Si vero voluntatem secutus fuerit criminis effectus non quicquam interesse censeo, ut capitali quis addici possit supplicio, dolo ne, an lascivia ac petulantia murorum fuerit violata sanctitas: licet enim inspecta rei veritate magis peccet, qui dolo delinquit & proditionis animo, quam qui culpa in ingens sorte crimsn incidit; quia tamen difficillima hoc in negotio est proditionis a petulantia separatio, & eveniret sæpissime, ut sub lasciviæ specie multa dolose plurimi machinarentur ad explorandam militum præsidiariorum in arcendis iis, qui vallum subire tentant, sedulitatem & diligeotiam; insuper non minus culpa quam dolo transcendens urbis muros hostibus iter ac methodum monstrat occasione data idem moliendi; pessimi denique exempli res est & abominanda: *l. fin. ff. de rer. divis.* in qua non usque dolus requiritur: *arg. l.* 38. §. 5. *ff. de pœnis;* ideo non sine justa ratione murorum sanctitas a quibusvis capitali pœna defenditur, & ejusmodi sanctionum severitate civibus & incolis valli fidentibus præsidio præstatur securitas. Nec est quod de nimis atroci delinquens conqueratur pœna, cum antea sciverit, vel utique nosse debuerit, propter periculosas sequelas in transgressores ejusmodi rigido supplicio leges animadvertere voluisse, adeoque sibi ipsi maxime debeat illud imputare. His adde, quod constitutionis illius, qua decretum hoc ultimum in transilientes supplicium, vis & efficacia primitus a Romulo fuerit introducta, inquiebat enim, cum fratrem interimeret: *sic deinde quicunque alius transilierit mœnia mea:* Livius lib. 1. atqui constat ex eodem Livio, Plutarcho & aliis, non dolo vel hostili animo, sed ludibrii & irridendi gratia saltu superatos a Remo Quirini muros. Frustra igitur quispiam contenderet, illud, quod primam legis promulgandæ præbuit occasionem, ejus eximendum esse sanctioni.

33 Porro non is tantum in crimen incidit, qui muros transilierit, sed & qui alio quocunque modo violaverit, ruperit, suffoderit, vel in illos deliquerit: §. 10. *instit. de rer. divis.* nam & si perforaverit, vel aliquid inde abstulerit, lege Julia peculatus procul dubio tenetur: *l.* 11. *ff. ad leg. Jul. peculat.* Unde prohibitum quoque, ne quis civitatis muros reficere, vel absque consensu magistratus illis inædificare sustineat: *l.* 9. §. 4. *ff. de rer. divis.* Christinæus *vol.* 4. *decis.* 149. Tulden. *ad tit. Cod. de operibus public. n.* 1. Mauzius *in comment. ad* §. 10. *instit. de rer. divis. n.* 10. 34. p. m. parens Paulus Voet *ad d.* §. 10. *n.* 2. *ibique DD. citati.*

34 Utrum autem capitale supplicium æque pacis ac belli tempore debeat obtinere, controverti solet: & hoc in bello tantum servandum, in pace vero pœnam arbitrariam infligendam esse censent Clarus *sent. lib.* 5. §. *fin. quæst.* 78. *n.* 29. Farinac. *prax. & theor. crimin. lib.* 1. *tit.* 3. *quæst.* 20. *n.* 131. cujus hanc merito dixeris esse rationem, quod in pace non idem immineat ab adversariis periculum, neque tantus subsit metus, eos insidiis invasuros urbem vel castrum: parens p. m. Paulus Voet *in comment. ad* §. 10. *instit. de rer. divis.*

35 Quod si tamen belli tempore, hostibus undique instantibus & alia qualibet evadendi sublata spe, ad conservandam vitam per muros & valla castri vel civitatis quispiam intraverit, (veluti si in anteriori depressiori vallo, vulgo *faussebree*, excubans hostium impetum amplius sustinere nequeat, & ad portam itinere ipsi intercluso per vallum intra mœnia sese recipiat) mitiori sane supplicio pro judicis militaris arbitrio plectendus erit, vel etiam pœna prorsus eximendus: Pappus *in comment. ad art.* 46. *instructionis milit. ibique DD. allegati;* tum, quod jus naturale dictet cuique, modis omnibus vitam esse conservandam: nam & bruta cernimus rationis sensu carentia, ubi se constricta vident, omnes elabendi tentare vias, & quicquid ipsis natura suggerit in auxilium adhibere; quodque nullam necessitas legem ferat, atque adeo debeat in illo casu legum silere vigor: tum etiam quod utilius sit & laudabilius ad meliora patriæ tempora sese reservare, præter legis mandatum aliquid tentando, quam temeraria qua & superstitiosa illius observantia & vitam perdere, & bono pariter ac fideli patriam spoliare viro.

36 Quæsitum insuper, num mortis pœna in murorum violatores statuta, etiam ad non milites extendi debeat? De jure Romano illi universos, nemine penitus exempto, manere subjectos intelligimus ex Pomponii responso *in l. fin. ff. de rer. divis.* Nostris autem moribus mitius cum non militibus arbitrio judicis agendum putem, modo dolus & proditionis absit animus; quia in instructione milit. *art.* 46. solius militis aut præfecti mentio injicitur; cumque illa pœnalis sit & odiosa constitutio, ad casus non expressos, adeoque ad non milites extendi nullo modo potest; regula namque juris est, odiosa non extendenda sed restringenda potius esse: *arg. l.* 19. *ff. de liberis & posthum. hæred.* ac benigne ea quemque interpretari debere: *lib.* 135. §. 2. *ff. de Reg. juris*, licet eadem forte subesset ratio: August.

Bar-

Barbos. *axiom. juris* 181. *n.* 9. 10. 11. præsertim in suppliciis militibus infligendis, quippe quorum delicta solito rigidius puniri solent in bello, ubi nemini concessum bis peccare.

37 Unicum discutiendum superest dubium circa pœnam capitalem in murorum transgressores sancitam, quando scilicet & quibus in urbibus locum habeat? Groenewegen *de leg. abrogat. ad lib.* 3. §. 17. 18. *ff. de re milit.* censet irrogandum non esse mortis supplicium, nisi violati fuerint urbis obsessæ vel castrorum muri, eo quod *d. art.* 46. ratio (quæ anima legis) sit imminens ab hostibus discrimen. At hanc opinionem minus hodiernæ bellandi methodo convenire existimo; rationem quidem d. articuli fateor esse periculi metum; sed non minus hæc in non obsessis militat urbibus, quam in iis, quæ hostili cinctæ sunt exercitu: certum enim est, hoc tempore non semper obsidione in potestatem redigi civitates: sed plerumque summos id moliri duces, ut astu & stratagemate quopiam citra obsidionis formam munito possint aliquo potiri loco. Notissimum vel lippis & tonsoribus, hac ratione, cum longe remotos inimicos existimarent Vesaliæ Bredæ aliarumque munitionum præsidiarii, captas & occupatas ex improviso illorum urbes. Sic ut distinguendum rectius censeam cum p. m. parente Paulo Voet *ad* §. 10. *Instit. de rer. divis.* inter urbes limitaneas seu præsidiarias & non limitaneas, in illis ordinariam belli tempore pœnam obtinere, quippe quæ singulis ut ita dicam momentis adversariorum expositæ sunt viribus & insidiis: in his vero pœnam quam leviorem pro facti circumstantiis infligendam esse, cum non idem hic subsit impetus improvisi vel doli periculum, nec ad meditullia Reipublicæ armata manu hostes pervenire queant, nisi expugnatis prius ac captis munitionibus præsidiariis reditum alioquin intercludentibus.

38 Seditione nihil in exercitu perniciosius, nihil ad eum evertendum, & infringendas ejus vires idoneum magis esse constans est opinio: dum vel in duas scinditur partes armata multitudo, vel a ducum ac præfectorum alienata obsequio, in illos armata conspicitur, cædem illorum, vulnera, & atroces meditatur injurias, ac cruentarum litium spectaculo lætitiam movet adversariis: sicut enim fontes, ut primum ab aquarum scaturigine distorti sunt, celerrime exarescunt, nec limpidissimas in sinu recipiunt aquas; sic & exercitus, simul atque nec suis subest præpositis, eorum exsequi mandata detrectans, nec sibi cohæret, statim vires amittit & in nihilum redigitur; illico velut intemperie ac dira peste turbatur illius tranquillitas, & dum speciosum quoddam ad omnes spectans prætexitur velamen, singuli privatas suas in adversariis inter tumultuandum vindicant injurias, longe consopita reviviscunt odia, & in luctuosa illa militum a ducibus, legionum a legionibus dissensione quilibet truculentis animis eorum revocant memoriam, super quibus ante dudum transactum fuit; tum sanguine commilitonum castra fœdantur, cæsorum sociorum cadaveribus squallent tentoria; ipsi duces inter infestos animam precariam agunt; ejiciuntur tribuni, includuntur legati, interficiuntur centuriones; adeo ut frustra præfecti secum habituri sint lectissimam fortium virorum manum, si inter illos reperti fuerint festinantes ac gnari turbas dare; frustra ducturi sint exercitum in se fidum, dicto suo obedientem, si permixti ei fuerint ejusmodi, qui nihil magis optant, quam fauces avidas sociali satiare cruore, & seditionis canentes classicum, turpem cæteris facinoroso molimine suadent ab Imperatore suo defectionem, ac iis parere dicunt indecorum, quorum antea sponte sese submiserant imperio. Quapropter & militum & civium nomine indignos illos pronunciavit Germanicus apud Tacitum *annal. lib.* 1. *cap.* 42. *quod*, inquit, *nomen huic cætui dabo? militesne appellem, qui filium Imperatoris vestri vallo & armis circumsedistis? an cives, quibus tam projecta Senatus auctoritas?* Et certe hostium magis quam amicorum loco numerandi; quippe qui Reipublicæ graviora quam infensissimi hostes inferunt incommoda, optatam adversariis aut acquirendæ victoriæ præbentes occasionem, aut sufficiens victis fuga sibi consulendi tempus, dum in illos segnes sunt. Namque ut innumera gentium aliarum ac sæculorum exempla sacro involvam silentio, non alia res initio belli adversus Hispaniarum Regem Belgarum Ordinibus utilior, hosti vero perniciosior exstitit, quam Hispanorum tumultus militaris. Insigni sæpe parto triumpho, cum tempus & occasio ducibus Hispanis illius suaderet prosecutionem, militum mota derepente seditio illis obstitit. Excitatus Harlemo capto castrorum tumultus; orta Zirizeo occupato exercitus turba; cæso ad Movicum Nassovio militum enata tumultuatio commoda, quæ ex victoria speraverant, e manibus excussit, & prorsus impedivit inchoati feliciter negotii progressum: Reidan. *lib.* 1. 2. *Annal.*

39 Est autem seditio strepitus militum commotorum in turbam ruentium: Farinac. *l.* 2. *consil.* 169. *n.* 26. sic dicta, quia seorsim itur in varias partes, & ab aliis seceditur. Ac a criminis hujus reis illico supplicium sumi Reipublicæ interest: *l.* 10. *ff. de appellat.* & pœna quidem capitali: *l.* 3. §. 19. *ff. de re milit.* Nicol. Boer. *tract. de seditiosis cap.* 7. *n.* 61. Quæ tamen non omnibus est infligenda tumultuantibus, sed solis seditionis auctoribus, qui vel animosius tumultum concitarunt, vel saltem jactantius motæ seditionis sibi vindicarunt gloriam: *l.* 1. *in fine ff. ad leg. Jul. Majest. l.* 2. *Cod. de seditiosis*, Julius Ferret. *de re milit. pag.* 86. *n.* 28. alias enim eveniret illud, quod in Syllæ dominatione merito damnavit Lucanus *l.* 2. *de bello Cæs. & Pomp.*

Excessit medicina modum nimiumque secuta est
Qua morbi duxere manus: periere nocentes:
Sed cum jam soli possent superesse nocentes.

Exstirpandus esset universus exercitus ejusmodi contaminatus flagitio, neque superessent quibus imperares, quibuscum hostium sustineres impetus. Proinde rescindatur solummodo immedicabile vulnus, ne in posterum pars sincera trahatur, sola tollatur tumultus causa, cessabit effectus; plectantur auctores, pacata ac tranquilla erit omnis multitudo, nec imperantium contemnet imperia. Magnanimi viri esse Cicero asserit 1. *offic.* rebus agitatis punire fontes, multitudinem conservare; & Vegetius *de re milit.* *lib.*

lib. 3. *cap.* 4. inquit: *rectius est more majorum in auctores criminum vindicari, ut ad omnes metus, ad paucos pœna perveniat.* Hi enim soli multitudinis innocentes corrumpunt animos, & malitia sua sceleris consortes faciunt eos, quibus ad tumultum nulla mens est, quippe adeo non deliberato consilio, sed male feriatorum quorundam furiis agitati ac decepti, impetu vel temeritate peccant, ut tranquillum natura mare ventorum flatibus commovetur: quam in rem egregia Scipionis Africani verba apud Livium lib. 28. *causa*, inquit, *in vobis atque origo omnis furoris penes auctores est, vos contagione insanistis.* Unde duo educit argumenta Anton. Matthæus *tract. de crimin. lib.* 48. *tit.* 2. *cap.* 2. n. 6. ad liberandam a pœna multitudinem, scilicet, & plebem ignorare quantum crimen committat, & pravis orationibus magis, quam proprio motu ad seditionem concitari. Quapropter in Pannonicarum legionum turba Drusus solos auctores Percennium & Vibulenum intra tentorium vocatos interfici jussit: Tacit. *annal. lib* 1. *cap.* 29. & Leontius urbis præfectus inter innumeros seditiosorum cuneos dudum vagatus, unicum Petrum Valvomeren tumultuantium antesignanum manibus revinctis arreptum laqueo addixit: Ammian. Marcellin. *lib.* 15. Quod si in sceleris hujus partem, in societatem turpissimi facinoris venerint & duces quidam, ante omnes alios gregarios meritis & atrocibus erunt subjugandi suppliciis: *instruct. militari art.* 8. Atque ita decurionem in Belgio ad mortem ante alios condemnatum fuisse, quod seditiosis se miscuisset militibus auctor est Ant. van Dalen.

40 Auctores autem seditionis vel legis Corneliæ de Sicariis pœna puniuntur: *l.* 3. *§.* 4. *ff. ad leg. Cornel. de Sicar.* vel etiam pro dignitatis qualitate in furcam tolluntur, aut bestiis objiciuntur, aut deportantur in insulam: *l.* 38. *§.* 2. *de pœnis*. Vulgarem seditionis pœnam fuisse testatur Alexander ab Alex. *gen. dier. lib.* 2. *c.* 13. ut ejus auctores ad palum deligati securi percuterentur: reliqua ex multitudine decimus quisque plecteretur sorte ductus. Alexander Magnus eos in flumine mergi mandavit, Macedonibus cæteris ignominiose a corporis custodia ac satellitio depulsis, & surrogatis in illorum locum Persarum lectissimis: Curt. *lib.* 10. *cap.* 3. 4. Seditiosam legionem Cajus Curio, dum cæteræ armatæ starent, inermem procedere, & discinctam stramenta secare, postero die mifitus eosdem discinctos fossam fodere jussit, cum alioquin gladiis cinctos fossam aperire moris esset; juxta Vegetium *de re milit. lib.* 3. *c.* 8. legionis nomen abolevit, & in supplementum cæterarum milites distribuit: Frontin. *de strat. lib.* 4. *cap.* 1. n. 43. Quandoque ab ipsa multitudine interempti tumultus principes, sic ut cædibus illorum gauderet miles tanquam semet absolveret. De Germanicis regionibus ad pristinam redeuntibus obedientiam Tacitum audiamus: *discurrunt*, inquit Annal. 1. cap. 44. *mutati, & seditiosissimum quemque vinctos trahunt ad legatum legionis primæ Cajum Cetronium, qui judicia & pœnas in hunc modum exercuit; stabant pro concione legiones districtis gladiis: reus in suggestu per tribunum ostendebatur, si nocentem acclamaverant, præceps datus trucidabatur.* Hodie seditionis auctores laqueo vitam finire compelluntur: *instruct. mil. art.* 7. vel etiam capite truncantur: Sande *decis. Frisic. lib.* 5. *tit.* 9. *defin.* 12. aut militari more sclopetorum exponuntur ictibus. Quod si plures reperiri nequeant aut dignosci a cæteris auctores, forte nonnulli leguntur, qui ut alii in posterum absterreantur a simili flagitio, suspendi solent e patibulis, ut primarii tumultus concitatores, uti judicatum fuit 31. Maji 1647. a Fœderatis Belgii judicibus militaribus. Eadem pœna plectuntur illi, qui clandestina de nocte vel in locis abditis & occultis celebrant comitia *d. art.* 7. cum inde nulla nisi de seditione movenda capi possit conjectura, vel ibi saltem in Reipublicæ vergentia ruinam & interitum inter illos agitari consilia.

41 Atque hæc capitalis pœna in eos statuta, qui graviorem concitaverint in exercitu tumultum; si vero intra vociferationem vel levem querelam mota fuerit seditio, remitti poterit a judice mortis supplicium: *l.* 28. *§.* 3. *de pœnis*, & dejiciendos solummodo militiæ gradu illius auctores Modestinus censuit in *l.* 3. *§.* 20. *ff. de re milit.* Quæ tamen lex ad illam merito restringitur vociferationem, quæ non tendit in Principis exitium vel Reipublicæ ruinam, sed ad privati tantum alicujus eversionem vel conservationem, aut ad impetrandum aliquod emolumentum, propter itineris molestias, commeatus angustias, & alia innumera: Nicol. Boer. *tract. de seditiosis cap.* 7. *n.* 52. 53. Farinac. *de crimine læsæ Majest. quæst.* 113. n. 183. 201. Anton. Matthæus *tract. de crimin. lib.* 48. *tit.* 1. *c.* 2. *n.* 9. alioquin non secus vociferator, atque quilibet alius perduellionis reus, puniendus erit: *lib.* 1. *ff. ad leg. Jul. Majestatis.*

42 Quod si seditio quidem excitata fuerit contra Principem vel Rempublicam, nullum tamen adhuc inde senserint incommodum publica negotia, quæri posset an & illo casu mortis obtinere debeat supplicium? Negat illud Farinacius *d. tract. de crimin. læs. majest. qu.* 113. *n.* 208. ego vero maxime id affirmandum existimo; cum ejusmodi turbarum auctores utique malo in Rempublicam affecti fuerint animo, neque per eos steterit, quo minus saluti publicæ ingens supervenisset calamitas; ut proinde eventu frustrata illorum intentio non sit extra rigidam legum constituenda sanctionem; præsertim cum dubium non sit, illos majestatis læsæ commisisse crimen: *d. l.* 1. *ff. ad leg. Jul. majest.* Neque quicquam repugnant hisce in medium allatæ a Farinacio pro contraria opinione leges, nempe *lib.* 28. *§.* 3. *l.* 38. *§.* 2. *ff. de pœnis:* quod enim attinet legem 28. *§.* 3. illa neutiquam de seditionis agit auctoribus, sed de asseclis tantum & auctores sequi consuetis, juvenibus scilicet, *qui in quibusdam civitatibus turbulentis se acclamationibus popularium accommodare solent*, ut inquit ibi Jurisconsultus; qualea non ordinaria seditiosorum pœna, sed mitiori diximus esse coercendos. Secundo respondeo, *d. l.* 28. non loqui de tumultu contra Principem vel Rempublicam fabricato, sed de aliis, popularium nempe agitatorum factionibus, quæ quidem in urbe quatuor conspiciebantur; pannoque versicolore per sin-

singulas certabatur factiones, Veneta cæruleo, viridi Prasina, albo Albuta, Russata roseo colore micabat, & iis sæpe magnates ipsique studebant Imperatores: Alex. ab Alexandro *gen. dier. l.* 5. *cap.* 8. Philipp. Beroald. *in comment. ad Sueton. in Cæs. cap.* 11. *& Calig. c.* 4. Cujac. 8. *observat.* 29. Anton. Matthæus *tract. de criminibus lib.* 48. *tit.* 2. *c.* 2. *n.* 5. Hinc vero plerumque nascebatur tumultus, & factionum favore quandoque in vulnera & cædes populus ruebat. Unde & curæ præfecti urbi mandatum legimus, popularium tueri quietem, eumque in finem stationarios per urbem disponere milites: *l.* 1. §. 12. *ff. de offic. præfecti urbi*, qui quales fuerint docet Tacitus *annal. lib.* 13. *c.* 24.

Quod autem spectat *l.* 58. §. 2. *ff. de pœnis*, illa de turbæ concitatæ non agit auctoribus sed actoribus, ut plerique habent codices; sic ut sensus legis sit, actores seditionum non ultimo semper affici supplicio, circumstantiis tamen crimen aggravantibus etiam ad durissimas judicem posse pœnae progredi. Quod si quis cum Cujacio 5. *sentent. Pauli tit.* 22. legendum putet *auctores*, uti & Hervagli habet editio, dicendum erit etiam in hac lege 58. de tumultu tractari ex factionibus orto, cujus principes exilio vel capite plecti potuerunt: arg. *d. l.* 28. *ff. de pœnis*.

43 Seditioni non multum dissimilis est conjuratio in malam sumpta partem, in quantum utraque a subjectis perpetratur paganis aut militibus, cum clanculum quidam inter se consilium ineunt de invadenda Republica, & occupandis in ea præcipuis honoribus, ac expellendis armata manu civibus bonis & honestis, quibus in votis est sceleratos impedire malevolorum conatus. Ut recte definiri possit confœderatio inter aliquos subjectos in perniciem Reipublicæ, ac imperantium instituta: *l.* 5. *C. ad leg. Jul. majest.* Qua etiam lege bonis publicatis capitalis in illos pœna constituta ab Arcadio & Honorio Imperatoribus, quam & olim luculenta oratione contra Cæsarem defenderat Porcius Cato apud Salust. de bello Catilin. c. 52. hoc pacto concludens in fine: *quare ita ego censeo, cum nefario consilio sceleratorum civium Respublica in maxima pericula venerit, hique judicio T. Volturtii & legatorum Allobrogum convicti confessique sint, cædem, incendia, aliaque fœda atque crudelia facinora in cives patriamque paravisse, de confessis sicuti de manifestis rerum capitalium more majorum supplicium sumendum.* Quod etiamnum hodie obtinet, *instructione milit. art.* 5.

44 Ut autem magis conjurationis appareat natura, differentias, quibus a seditione distingui potest, paucis exhibeo. Instituitur itaque conjuratio paulatim animo deliberato, libratis dudum ac ventilatis utrinque de Republica evertenda consiliis: at repente seditio movetur, & torrentium in modum ut cito tollitur, ita post gravissimas turbas ociter subsidet & pristinæ quieti restituitur. In illa præstari solet jusjurandum, & alia adhiberi solemnia; sic in Catilinæ Conjuratione sanguinem humanum e patera a conjuratis haustum fuisse docent Sallust. & Florus *lib.* 4. *c.* 1. in hac nec jusjurandum nec ullæ aliæ interponuntur solemnitates. Illius aliqui principes existunt, ac veluti capita detestandi facinoris; hæc sæpe concitatur, ab omnibus in pari dignitatis gradu constitutis, & æquali pollentibus auctoritate, a militibus gregariis vel urbis sentina. Latius plerumque vagatur conjurationis incendium, si non initio, ac velut in herba fuerit oppressum; diutius durat, & difficilius extinguitur, aut paulum invaluit, quam quidem seditio.

45 Capitis quoque pœna moribus nostris in illos milites est constituta, qui Ordinibus generalibus, vel aliis Provinciarum rectoribus maledixerint: *instruct. milit. art.* 9. sæpissime namque proximo maledicum os non minus nocet; quam strictus ensis aut novacula, quibus passim Propheta David maledicentiam assimilare solet, *psalmo* 52. *vers.* 4. 57. *vers.* 5. 59. *vers.* 8. *& alibi*. Unde etiam *in cogitatione sua Regi ne quis maledicat*, Salomon rite monet, *Ecclesiast. c.* 10. *vers. fin.* Et certe injuriosæ illæ voces abunde demonstrant, male affectum erga Magistratus animum & viduum moderatione pectus, ut non immerito præsumi possit, illos, si hostilia machinandi contra proceres daretur occasio, & ausuros & paratos futuros; cum non nisi ex odio vel improbitate prodire possit maledicendi virulentia; ulciscuntur scilicet maledictis ademptam malefaciendi licentiam, & quamdiu per manus non licet, per linguam utique perduelles esse cupiunt atque furiosi. Zoilus Amphipolitanus Polycratis auditor, rogante quopiam, cur omnibus malediceret, vere *quoniam*, inquit, *malefacere non possum*. Nec dura nimium videri debet hæc Ordinum constitutio ad coercendam effrænis linguæ promulgata licentiam, quasi, ut Imperatores rescripserunt, *in l. un. C. si quis Imperat. maledixerit*, si maledicta ex levitate processissent, contemnenda essent; si ex insania, commiseratione digna; si ab injuria, remittenda; Antigoni forte moti exemplo, qui duorum militum prope prætorium graves in illum criminationes proferentium, non alio modo repressit amentiam, quam dicendo: *num vos aliquo longius hinc digressi male loquemini de nobis?* aut Philippi Macedonum Regis, qui maledicum quemplam non pœnis, sed blandis verbis, & egregiis cumulavit muneribus: Plutarch. *de cohibenda iracundia*. Si quis enim Arcadii & Honorii d. legis unicæ auctorum vitas penitus inspexerit, hanc illorum stultam & intempestivam fuisse clementiam, & lenitatem non admodum prospere iis cessisse videbit: si namque unquam alii, hi sane præcipue in plurima a subjectis adducti fuerunt amittendi imperii pericula. Ruffinus, ad quem hoc Principum missum fuit placitum, Gothorum potentia clam adipisci nitebatur imperium; palam, ut in Regni societatem adscisceretur, ab Arcadio petere non verebatur. Gajanus postea seditionem, conspirationem, & apertum tandem civile movit bellum. Consul etiam Eutropius nimiam ipsius indulgentia nactus potentiam, principatum affectabat. Stilico vero ab Honorio ad Eucherium filium suum imperii summam transferre conabatur; sic ut mirum in modum inter tot tempestates, tumultus, ac discrimina servati fuerint. Præterquam quod *d. leg. unic.* non agat de militibus, quibus, cum Principis alantur stipendiis, minus convenit in illum bac-

chantium more maledictis insanire; quibusque proinde, si quid in eum, cui magis obstricti sunt, fautorem commiserint, graviora sunt irroganda supplicia. Quod si seditiosas habuissent conciones inter milites, quibus ad contumaciam impelli posseut, læsæ majestatis crimen sit; in tantum, ut capitalem pœnam non effugiat, qui cum illas audivisset, præfecto non indicaverit: *l.* 1. *ff. ad leg. Jul. majest. instruct. milit. art.* 10. nullam sane rationem video, quo minus idem decernatur in illos supplicium, qui verbis Ordinum majestatem læserit; cum certo constet, nihil ad atrocem concitandam seditionem magis conducere, quam si quis asperis & injuriosis in præpositorum vel principum res gestas invehatur dicteriis, præsertim penes milites, quos cæteris ad tumultus & seditiones propter animorum ferociam promiores esse omnium sæculorum monstrarunt exempla. Atque hinc est, quod Archidux Austriæ Albertus, ne in turbas ruerent Hispani milites, edicto vetuerit, ne quisquam sinistri quid de Ostendæ spargeret obsidione, pœna corporali in transgressores edicti decreta, cumque Bruxellenses duo mercatores ejus criminis rei ac convicti essent, ultimo statim mulctati supplicio: Sande *hist. lib.* 3. Æqualis illos manebit pœna, qui maledicta in Ordines temere effutita & in seditionem tendentia coram gregariis repetierint, aut ut ab aliis audita narraverint militibus: *inst. mil. art.* 11.

46 Si quis commilitonem suum gladio vulneraverit, capitali pœna plectendus erit: *l.* 6. §. 6. *ff. de re milit.* Sic duo sclopetis sunt interempti milites 24. Junii 1631. eo quod in conspectu legionis depugnando vulnus sibi mutuo inflixissent. Quin & si gladium ad feriendum illum, qui hostis non est, vagina solummodo miles eduxerit in castris, aut urbibus præsidiariis, vel post dispositas vigilias, vel etiam ante vallum, aut castra, sine præfecti venia, capitis hodie reus est: *instruct. milit. art.* 52. Et in sociis nauticis cæterisque maritimam obeuntibus militiam gentilium quarumdam statutis introductum fuisse testatur Johannes Loccenius *de jure maritimo lib.* 3. *c.* 8. *n.* 18. ut cultrum vel gladium stringentes in commilitonem vel socium eam cogantur subire pœnam, ut culter per mediam ipsorum manum transfixus inter digitos extrahatur, vel ipsi trahantur sub carinam, etiamsi vulnus nondum sit inflictum ex ejusmodi pugnæ prælndiis. Quid quod militares Fœderati Belgii judices rogati 13. Maji Anno 1634. eum, qui vagina gladium eduxerat intra castellum, sex mensium spatio ad triremes damnandum esse censuerint. Quod justum; cum & de jure Romano quisquis hominis occidendi causa cum telo obambulaverit, lege Cornelia de Sicariis teneatur: §. 5. *instit. de publicis judiciis*, parens p. m. Paulus Voet *in comment. ad d.* §. 5. Quod si lapide, vel fuste, vel ense vagina condito, aut alio quo simili instrumento commilitoni vulnus inflixerit, militia rejicitur: *d. l.* 6. §. 6. *ff. de re mil.* Hodie manus amputatione tale delictum expiari solet: *instr. mil. ar.* 18. 34. Differentiæ autem ratio inter plagam gladio & plagam alio impactam instrumento reperitur in *l.* 1. §. 3. *ff. ad l. Cornel. de Sicariis*; ubi enim gladium quis strinxit, ac percussit, dubium amplius non est, quin occidendi animo vulnus inflixerit, adeoque pro homicida habendus erit, cum in maleficiis non solum eventum, sed & voluntatem spectari rescripseri Hadrianus Imperator, *l.* 14. *ff. ad l. Corn. de Sicar.* si scilicet voluntas illa per actum homicidio proximum manifestata fuerit: *arg. l.* 18. *C. ad leg. Jul. de adulteriis*. Si vero lapide vel clavi vulneraverit, non adfuisse præsumitur idem ille occidendi animus, ut eo casu non de perempto, sed de vulnerato tantum homine teneatur: *d. lib.* 1. §. 3. Olim 12. tabularum lege nullo habito personarum vel instrumenti discrimine tam in paganis quam militibus propter membrum ruptum talio erat, propter os fractum vel depalmatum 25. asses; quæ pœna in illa veterum paupertate satis gravis visa legislatoribus: §. 7. *instit. de injuriis*. Cum autem improbus quidam pariter ac opibus abundans Lucius Neratius pro delectamento haberet os hominis depalmare, cui statim per servum pedissequum 25. asses numerari curabat, hæc legis 12. tabularum pars in desuetudinem abiit, & per recuperatores injuriæ postea fuerunt æstimatæ: *d.* §. 7. A. Gellius *noct. Attic. lib.* 20. *cap.* 1. parens p. m. Paulus Voet *ad d.* §. 7. Sed in usum quodammodo revocata videtur hodiernis moribus in militibus hæc priscorum Romanorum lex talionis: si enim militi miles colaphum impegerit, cautum est, ut ab adversario, spectante universa cohorte, pugni ictum recipere cogatur, quo læsæ parti abunde satisfactum est: *instruc. milit. art.* 34. Ut autem & Reipublicæ satisfiat, cujus interest a maleficiis abstineri, discinctus militia rejicietur injuriosus, etiamsi disertis verbis pro delinquente delicti remissionem peteret a judicibus injuria affectus; cum non amplius ipsius sed Reipublicæ causa videatur agi: *d. artic.* 34. Quod si alio modo quis alium re vel verbis læserit, præsentibus excubitoribus, læsi restituet honorem: *instruct. milit. art.* 44. Si vero quempiam ex domesticis non militem verberaverit, prima vice per triduum incarcerandus erit, pane, & aqua nutriendus; iterum in idem incidens delictum ignominia mittetur: *instruct. milit. art.* 18. Pari modo detractis armis militia rejicietur, qui cum adversario conciliari recusat, si probari nequeat, uter prior contumeliam intentaverit: *instruct. milit. art.* 45.

47 Sunt autem hæc omnia ita constituta, ne forte quisquam conqueratur, impune sibi injuriam illatam, adeoque contumeliam ipse vindicet, & armis existimationis læsæ petat restitutionem, ad singulare certamen adversarium provocando. Quod quidem in plerisque regnis olim laudi ductum, cum moris esset, ut plurimæ gladio judice deciderentur inter privatos controversiæ, ut late docet parens p. m. Paulus Voet, *tract. de duellis cap.* 6. Recentiores vero Principes & Magistratus Christiani ejusmodi inhibere duella summopere studuerunt; quippe quibus viri sæpe strenui, qui in ingens Reipublicæ commodum & emolumentum nati videbantur, stulta ac perniciosa ambitione pugnantes misere pereunt; quibus civis in municipem furiis agitatus ruit; socius armatur in socium, applaudentibus inimicis publicis, tot heroes illustres cruentis litibus privatas inter injurias consumi, totque singularis pugnæ desiderio æstuan-

stuantes vulneribus ac cædibus in sua sævire viscera. Quapropter, si miles in hanc ausus fuerit prorumpere vesaniam, ut absque præpositi castrorum venia commilitonem duello provocaverit, licet nondum pugna fuerit inchoata, jure tamen militari a mortis supplicio non erit immunis: *instruct. milit. art.* 42. Scilicet cum ad destinatum uterque certaminis locum sese confert, hominis occidendi causa cum telo obambulat, quo fit, ut statim incidat in legem Corneliam de Sicariis: §. 5. *instit. de publ. judic.* Nec ab illa mortis pœna eximendum puto provocatum: postquam enim duelli recepit in se conditiones, eadem illi quæ adversario mens est, & æque vulnera ac perniciem illius animo meditatur. Prudenter itaque fecerit quicunque oblatam recusaverit monomachiam: sic enim optime legum militarium poterit evitare sanctiones. Neque id dedecori verti cuiquam potest; nam & ipsis cum hostibus summi viri sordidum duxerunt & inglorium singulare de summa rei certamen inire. Teutoni cuidam provocanti Marius nunciari jussit, *si cupidus mortis esset, laqueo eum vitam posse finire:* Frontin. *de stratagem. l.* 4. *c.* 7. *n.* 5. Pari ferme ratione Pyrrho respondit Antigonus, Augustus Antonio, duello belli justitiam terminari petentibus: Plutarch. *in ipsorum vitis.* Verum quid statuendum, si quis innocens & contumeliis impetitus insuper ad tentandam certaminis singularis aleam ab adversario provocatus fuerit? Consultius nihilominus erit illud detrectare; cum non sui ipsius debeat esse judex, nec Martis judicio, sed fori disceptatione terminandæ sint privatorum lites; sunt judices militares, quorum poterit opem & auxilium implorare; ab illis honorem sibi resarciri petat, ne in ipsorum officium involare videatur: singulis quippe concedendum non est, quod per magistratum fieri publice potest; ne majoris inde tumultus oriatur occasio: *l.* 176. *ff. de reg. juris.* Præterquam quod innocens provocantis indulgendo petitioni eidem sese cum illo vulnerum mortisque periculo committat; unde plus ei dedecoris advenire posset, dum a spectatoribus ex infelici certaminis eventu pro nocente habetur, & ob commissum creditur succubuisse crimen; atque ita ad recuperandam illam, quam ablatam injuste sibi putat, existimationem, veram, quam rebus adversus hostes publicos strenue gestis sibi paraverat, sæpe perdit fortitudinis famam. Quod si tamen nimis æstuantis iræ commotus fervore rationis audire non potuerit habenas, sed duellum suscipiendo inciderit in notabilem multorum calamitate voraginem, ordinaria illi pœna remittenda erit, casu quo non plenum monomachia sortita fuerit effectum; uti judicatum sæpius in Belgio Fœderato. Illud tamen excubitoribus præpositum supplicio non eximet, si rixantes ad depugnandum extra mœnia tendere permiserit; sed mortis nihilominus subibit pœnam: *instruct. milit. art.* 43. Plura si quis circa duella & duellatores omnis generis, tam publica munitos auctoritate, quam alios desideret, peculiarem legat parentis p. m. Pauli Voet tractatum de duellis, & nuperrime editum Michaelem Fredericum Ledererum de jure belli privati.

48 Atque hæc quidem ad illos pertinent, qui inimici & injurii in commilitones esse voluerint: sin autem semet ipsum consulto quis vulneraverit, vel alios conatus fuerit sibi mortem consciscere, distinguendum censuit Hadrianus, utrum doloris impatientia, aut tædio vitæ, aut morbo, aut furore, aut pudore mori maluerit; utrum vero aliis de caussis violentas sibi voluerit inferre manus; illo casu ignominia talem mitti præcipit; hoc vero jussit eum ultimo plecti supplicio: qui enim sibi non pepercit, multo minus aliis parcet: *l.* 6. §. 7. *ff. de re militari.* Idem respondit Paulus JCtus in *l.* 38. §. *fin. ff. de pœnis*, & Marcianus in *l.* 3. §. 6. *ff. de bonis eor. qui ante sent. mort. sibi consciv.* Quæ Imperatoris & Jurisconsultorum inde processit opinio, quod philosophorum Stoicorum imbuti præceptis, haud illicitum aut indecorum, sed summa dignum laude putarent, ad evitandas instantes hujus vitæ miserias meliori fortuna mortalem immutare sortem, & sponte mortis arbitrium sibi sumere; ne forte postea cogerentur ignominiosum experiri vitæ finem, si modo sceleris abesset conscientia. Nec ab hac sententia in universum abhorruerunt Epicurei & Aristotelici, teste Grotio *in comment. ad acta Apostol. cap.* 16. *vers.* 29. Innocentiæ probandæ gratia sibi manus violentas intulit Lucretia, ita enim de illa cecinit poeta:

Cum foderet ferro castum Lucretia pectus,
Sanguinis & torrens egrederetur, ait:
Testatur cunctis, me non violasse pudorem
Ante virum sanguis, spiritus ante Deos.

Ventrem sibi scidit Uticensis Cato, ne Cæsaris imperio parere cogeretur, Pompeji ab initio belli civilis secutus partes: Pansa *de bello Afric. cap.* 88. Coccejus Nerva divini humanique juris peritus, illæso statu, corpore integro, moriendi consilium cœpit, & abstinentia cibi exstinctus est; solummodo, ut gnari cogitationum ejus ferebant, ne inhonestus ei vitæ finis contingeret: Tacitus *Annal. lib.* 6. *cap.* 26. Contristati uxorum morte Cajus Plautius & Marcus Plautius vitæ tædio gladiis suis incubuerunt: Valer. Max. *lib.* 4. *c.* 6. *n.* 2. 3. Porcia Marci Bruti uxor, ejus audita nece, indito in fauces incenso carbone periit: Plutarch. *in vita M. Bruti: Martialis lib.* 1. *epigr.* 43. Morte voluntaria Mamercus Scaurus damnationem anteivit, *ut dignum veteribus Æmiliis*, inquit Tacitus *annal. l.* 6. *c.* 29. In ipsa curia depromptum sinu venenum hausit Agrippa Vibulenus eques Romanus: *idem l.* 6. *c.* 40. Multa alia passim reperiuntur apud Tacitum exempla, illorum qui non sceleris conscientia, sed improborum metu accusatorum & injusti supplicii sibi vim intulerunt, quæ enumerare tædiosum foret. Quin imo Massiliæ venenum quondam custoditum, quod ei publico solebat decreto dari, qui justas sexcentis senatoribus cum in finem electis causas exhibuisset, propter quas mors illi esset expetenda: Valerius Max. *l.* 2. *c.* 6. *num.* 7.

Longe autem aliud sacer codex, aliud incorrupta ratio & amor sui dictat mortalibus, nullo nempe pacto concessum cuiquam esse proprium in corpus sævire: edixit enim Deus *Genes. cap.* 9. *vers.* 5. se requisiturum sanguinem humanum de manibus hominis de manibus bestiarum. Et sexto præcepto vetuit,

tuit, ne quis occidat, quod tam propriam quam proximi vitam concernit, præsertim cum quisque semper sibi proximus sit: Anton. Matthæus, *tract. de crimin. lib.* 48. *tit.* 5. *cap.* 1. *n.* 9. Quod si ante constitutum tempus stationem deserere nequeat assignatam a duce miles, nefas sane erit a Deo summo Regum Imperatore commissam hujus vitæ custodiam ejus injussu relinquere: quis enim legitimam ausit illam militis pronnunciare excusationem, si ad diluendum stationis desertæ delictum tædio vel pudore sese recessisse dixerit? Insuper membrorum suorum nemo dominus est, proinde vim iis inferre nemini permissum: *l.* 13. *ff. ad legem Aquil.* Nec contrarius sibi dicendus Ulpianus, in *l.* 9. §. 7. *ff. de peculio* respondet, naturaliter licere servis in suum corpus sævire: neque enim ibi per naturam designatur recta ratio naturalis, quasi verborum sensus esset, jure naturæ liberum esse servo sese præcipitare vel occidere. Verum per naturam prava potius ibi denotatur voluntas & corrupti servorum mores, quibus, ut pretio sui dominos fraudarent, sese mutilabant vel interimebant, quod impedire non poterant domini, cum captivitate naturalem hanc licentiam servi non amisissent. Et eadem hæc occurrit *naturæ* significatio in l. 1. ff. ad Senatusc. Macedon. ubi in hæc verba conceptum legitur Senatusconsultum; *cum inter cæteras sceleris causas Macedo, quas illi natura administrabat:* ubi nihil præter præposteros Macedonis mores & pravam indolem intelligi per *naturam* manifestum est, p. m. parens Paulus Voet *in comm. ad* §. 3. *instit. de justit. & jure n.* 4. Quid quod nonnullæ quoque gentes ejusmodi fœdum fuerint detestatæ facinus, quo sui ipsius quis carnifex existit. Apud Thebanos talis nulla laude dignus erat; sed crimini ac probro id ei dabatur, & immanis censebatur esse naturæ. Athenienses cadaveri defuncto manum velut facinorosam abscindebant, eamque a corpore divulsam projiciebant inhumatam: Alexand. ab Alex. *gen. dier. lib.* 5. *c.* 28.

50 Exhibitæ ab A. Gellio, *lib.* 16. *cap.* 4. jurisjurandi militaris formulæ præter alia inserta quoque reperiuntur hæc: *in exercitu, decemque millia passuum prope furtum non facies dolo malo solus neque cum pluribus*, cujus & Polybius mentionem facit *lib.* 6. Stipendiis namque suis contenti debent esse milites: *Lucæ c.* 3. *v.* 14. nec extrinsecus detrimentis provinciales afficere, aut ab iis exigere quicquam ne cœnaticorum quidem nomine: *l.* 3. *C. de erogat. milit. annon.* Jul. Ferrettus *de re milit. pag.* 48. *n.* 25. Quapropter etiam epistola quadam Cæsar Aurelianus omnia illa militum furta prohibuisse fertur, quibus provincialibus oves, uvas, sal, pullos, & alia eripere vel extorquere solent: Flavius Vopisc. *in vita Aureliani*. Et Imperatores rescripserunt in *l.* 3. *C. de desertoribus*, illos, qui rupta sacramenti fide, relictis castris, ad prædationem sese contulerint, judicis severitatem non evasuros; in tantum, ut, quicunque Principis, sub quo stipendia merent, subjectos vi spoliaverunt, vel nummos & alia ipsis extorserint, aut vastaverint agros prædæ causa, capite pœnas luere cogantur: *l.* 28. §. 10. *ff. de pœnis*, & digno a quibuscumque subjugari possint supplicio: *l.* 1. *Cod. quando liceat unicuique sine judic. se vindic.* In Gallia cautum, ut, si plures quam quatuor absque publica commeatus auctoritate in villis vel pagis vel urbibus diversentur, nec pecuniam, quam pro alimentis expenderint, iis, qui illos hospitio exceperint, numerent, liceat populo in eos coacta hominum turba & vi armata sævire, eosque delere internicioni, impunitate utique proposita: Imbert. *in enchirid. juris Galliæ verb. pœnæ pecuniariæ pag. mihi* 278. Penes nos autem milites, qui civibus vel fœderatis quicquam abstulerint, non persoluto justo sublatæ rei pretio, corporali pœna coercendi sunt: *instruct. milit. art.* 14. 20. Tiberius militem, quod pavonem surripuisset, capite punivit: Sueton. *in ejus vita c.* 60. Universam cohortem ob immodicas rapinas interfici Sertorius jussit: Plutarch. *in ejus vita*. Tamberlanes militi, qui lac mulieri furto abstulerat, stomachum aperiri præceperit, ut ita quicquid haustum esset, effflueret. Pescennius Niger illos, qui gallum diripuerant, securi addixit, & ægre ab exercitu exoratus, ne quis illorum in tota expeditione focum faceret, prohibuit. Unde evenit, ut nunquam sub eo miles provinciali lignum, oleum, operam extorqueret: Spartian. *in ejus vita*. Alexander autem Severus quoscunque in alicujus solummodo possessionem deflexisse comperisset, in eodem loco fustibus aut virgis cædi mandavit; ne scilicet vel rapturi speciem præberent, uti ei quondam Lysander respondit, qui, cum excessisset ex agmine, se conabatur excusare, quod ad nullius rei rapinam id egisset: Frontin. *de stratag. lib.* 4. *cap.* 1. *n.* 9.) quo effecit, ut quacunque legiones iter facerent, illac non milites, sed senatores transire viderentur: Æl. Lamprid. *in ejus vita*. Hinc & de Stilicone Claudianus cecinit lib. 1. de laud. Stilic.

. . . . Jurisque metus servator honesti
Te moderante fuit, nullis ut vinea furtis,
Aut seges erepta fraudaret messe colonum.

51 Ut autem rapina a militibus facta facilius ad illorum querelas, quibus per omne nefas ablatæ res, furti dignosci posset improbus auctor, & pro meritis ultioni subdi, nec sub velamine spolii ex hostico petiti crimen hoc maneret impunitum, prohibitum legimus; *instruct. milit. art.* 63. ne quis illud, quod privatis nactus est excursionibus, alibi quam in castris aut præsidiis divendat, professis prius rebus captis apud præsidii præfectum vel gubernatorem intra tres horas a reditu computandas, ut debito possint annotari modo, ac inveniri, si quis ex subjectis vel fœderatis illas sibi ereptas asserat; mortis supplicio in alibi distrahentes proposito; *art.* 64. Quod & de jure Romano in militibus obtinuit, uti id evincunt posteriora sacramenti paulo ante allegati huuc in modum concepta verba: *extra hastam, hostile, ligna, pabulum, utrem, follem, faculam, si quid ibi inveneris sustulerisve, quod pluris nummi argentei erit, uti tu ad Col. Lælium Col. filium COS. L. ve, Cornelium P. filium COS. sive ad quem eorum jusserit, proferas: aut profitebere in triduo proximo quicquid inveneris sustulerisve dolo malo: aut domino suo, cujum id censebis esse reddes*. Si quis autem eo processisset insaniæ, ut scelerata factione una cum Reipublicæ ho-

si-

stibus prædam egisset, aut deprædationis in subjectos dedisset facultatem, vel alias rapta cum iis divisisset spolia, eum vivum amburendum Constantinus rescripsit, *l.* 1. *Cod. Theod. de re milit.* Martin. Laudenb. *tract. de castellan. q.* 21.

52 Cæterum iis, qui subjectorum opes sine causa diripiunt, simillimos merito quis dixerit piratas societatis civilis hostes scelestissimos & nefarios, qui teste Floro lib. 3. c. 6. *sublatis commerciis rumpunt fœdus generis humani*, & ad instar Agathoclis (de quo Justin. *lib.* 22. *c.* 1.) in patriam, in municipes prædæ causa iniqui sunt, ac ferarum ritu occidunt illos, quos nunquam oderunt, obvias quorumcunque carinas intercipiunt, quicquid ipsis arridet dominis invitis inde tollunt, & furtivis omnes terrent expeditionibus. In hos acriter Peckius invehitur *de re nautica in auth. navigia Cod. de furtis cum notis Vinnii pag.* 370. eosque ultimo censet afficiendos supplicio Baldus ad *d. auth. navigia*. Et generali gentium consuetudine id obtinere, publicatis omnibus ipsorum bonis, statuit post Peckium Johan. Loccenius *de jure maritimo lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 8. Cui convenienter Ordines etiam generales placito an. 1611. 25. Augusti eos omnium bonorum publicatione mulctandos, & corporali plectendos pœna sanciverunt. Penes Romanos securi plerumque percutiebantur; *ecquem audivisti* inquit Cicero *in Sicilia antea captum archipiratam, qui non securi percussus sit? unum cedo auctorem tui facti, unius profer exemplum* 7. act. in Verrem. Cæsar tamen illos crucibus affixit: Vellejus Patercul. *l.* 2. *c.* 42. Nec ipsi tantum piratæ, sed & receptatores illorum mortis pœna coercendi sunt: arg. *l.* 3. §. 3. *ff. de incend. ruin. naufr.* cum sine iis improbi piratæ diu latere nequeant: Loccenius *de jure marit. lib.* 2. *c.* 3. *n.* 8. quem *d. c.* 3. de piratis latius tractantem vide.

53 Quod si miles a confœderatorum quidem opibus abstinuerit, sed in castris inter commilitones suos fuerit in furto deprehensus, eum fuste necatum olim scribit Polyb. *lib.* 6. Quandoque furibus ejusmodi dextra præcisa, vel etiam ignominiæ causa sanguis in principiis missus: Frontin. *de stratag. lib.* 4. *c.* 1. *n.* 15. quamvis juxta Gellium *noct. attic. l.* 10. *c.* 8. olim hæc sanguinis missio non tam pœnæ locum obtinuerit, quam quidem pro medicina fuerit adhibita in stupentis animi militibus a naturali habitu declinantis. Nostris vero moribus quisquis commilitonis esculenta & poculenta dolo surripuerit, armis detractis extra cohortem per trimestre spatium relegatur, aut pro delicti circumstantiis corporali castigatur coercitione: *instruct. milit. art.* 74. Militemque virgis cæsum fuisse constat in obsidione Grollæ 8. Septembris 1627. quod ibi pallium & alia commilitonibus surripuisset. At si non in ipsis castris, sed dum ad exercitum vehuntur, esculenta & poculenta aliaque ad expeditionem requisita diripuerit aut dejecerit, laqueo pœnas dabit: *inst. milit. ar.* 19. cum enim prudentis sit Imperatoris providere, ut omnium in exercitu reperiatur rerum affluentia, ne necessariarum destitutus adminiculo laboret inopia, & tandem penuria ac fame extabescat; jure mortis in hos est statuta pœna, qui calamitatum ejusmodi scelere suo possent esse causæ, dum mercatores imminentibus direptionum territi periculis, cum castris commercium habere recusant. Surrepti autem in castris pulveris tormentarii quis convictus fuerit, capite pœnas luet; nisi forte prima vice delinquenti remittendum esse mortis supplicium, alia leviori pœna decreta, judices æquum crediderint, ob quasdam delictum attenuantes circumstantias.

54. Dixi præcedenti capite, ante omnia curandum esse, ne differantur in castris stipendiorum solutiones, & evincere temporum exactorum exempla frequentes exercituum Imperatoribus inde provenisse seditiones militares: si igitur inopinato casu deficere contigerit æs militare, non ideo statim a belli muneribus liberantur milites, neque liberum iis erit seditiosos inter commilitones spargere sermones, nisi qui sat diu vixisse sese arbitrentur; usque adeo, ut quicunque in procinctu stantes, cum tempus & occasio virtutem desiderat, stipendiorum dilatorum ausi fuerint exigere solutionem, non secus ac si tumultus essent auctores, mortis mulctandi sint supplicio: *inst. milit. art.* 36. 37. Julius Ferrettus *de jure milit. p.* 49. *n.* 35. At si ex adverso in promptu quidem sit pecunia, verum non integrum inde centurio persolvat militibus æs militare, militiæ gradu pellendus est: *inst. milit. ar.* 76. Jure Romano præter dignitatis amissionem, ejus quod percepisset quadruplum rependere publico cogebatur: *l. fin.* §. 9. *C. de offic. præfect. præt. Afr.* magis enim, inquit Imperator, debent *duces & Tribuni supra deputata sibi emolumenta, secundum labores suos de nostra largitate remunerationem sperare, & non de commeatu militum vel de eorum stipendiis sibi lucrum acquirere*. Et duos Allobrogum fratres Roscillum & Ægum, cum equitum fraudarent stipendia, & falsum deferrent eorum numerum & æs intervertêrent, Cæsar animadversione dilata, secreto interim castigavit, atque ut ex sua amicitia omnia sperarent admonuit: Cæsar *lib.* 3. *de bell. civil. c.* 59. 60. Cum autem eveniat quandoque, ut nonnulli præfecti quibus est lucri bonus odor ex re qualibet, debita quidem singulis exsolvant stipendia; interim tamen militum suorum numerum mentiantur, & non integras sed mutilatas ducant cohortes, necesse fuit hoc malum crebris impedire lustrationibus; eumque in finem lecti lustrationis commissarii vulgo dicti, quibus lustrationem exigentibus parere tenentur cohortium centuriones: adeo ut quicunque milites in armis exhibere tergiversatus fuerit, ad illorum petitionem militari privetur cingulo: *inst. mil. art.* 68. Perez. *tit. Cod. de erogat. milit. annonæ n.* 13. 14. *& seqq.* Utque supplicii gravitate quilibet absterrerentur, ne lustrationis tempore exiguo conducti pretio pro justis ac legitimis militibus obtrudi sese paterentur, cautum est, ut quicunque convictus fuerit fictitius esse miles, ei laqueo gula frangatur, & quo magis omnis tolleretur fraudis occasio, prohibitum ne commodatis in lustratione se quis exhiberet armis vel equis, neve miles aliis ad id agendum arma commodaret, aut alieno cognomine vocari se pateretur sub missionis ignominiosæ pœna: *instruct. milit. art.* 69. ibique Pappus *in comment.* Quidam autem neque numeros mentiuntur, neque quicquam de

de militum detrahunt stipendiis, eoque censent se legum pœnis exemptos, ac proinde ad legendum mittendumve militem æs impune percipere posse: verum maxime falluntur, nemini quippe dubium est, illos eo ipso in legem Juliam repetundarum incidere: *l.* 6. *ff. de lege Jul. repetund.* adeoque ad quadruplum illius quod acceperint restituendum cogendos esse: *l.* 1. *Cod. ad leg. Jul. repetund.* quoslibet enim, præsertim vero duces in militia Reipublicæ navantes operam a sordibus abstinere fas est; ac ex adverso illud omni modo curare, quo maxime militum augeatur in dies castrense peculium.

55 Signorum ac vexillorum ideo fuit introductus usus, ut in prælio dispersi milites facile possent pristinam in acie recuperare stationem: sic enim Vegetius de re milit. lib. 2. cap. 13. *antiqui*, inquit, *quia sciebant in acie commisso bello celeriter ordines aciesque turbari atque confundi; ne hoc posset accidere, cohortes in centurias diviserunt, & singulis centuriis singula vexilla constituerunt: ita ut ex qua cohorte, vel quota esset centuria in illo vexillo literis esset adscriptum: quod intuentes milites in quantovis tumultu a contubernalibus suis aberrare non possent.* Ideoque qui in prælio signa vel vexilla non defenderit, aut quandocunque deseruerit, antequam in totum sint celata locum, in grave crimen incidit: cum confusionis ex amisso vexillo natæ causa sit: unde & corporali supplicio crimen expiare cogitur: *instr. milit. artic.* 49. eumque desertori comparat Peresius *tit. C. de desertor. n.* 7. Memoriæ prodidit Curtius *lib.* 8. *cap.* 14. sub Porro militantes ludos ante pedestrem aciem Herculis simulacrum ferre solitos, & ultimum in illos sancitum fuisse supplicium, qui illud ex acie non retulissent. Penes Romanos autem nulla certa legibus in illos fuit statuta pœna, qui vexilla passi fuissent ab hostibus intercipi: refert tamen Alexander ab Alexandro *Genial. dier. lib.* 2. *capit.* 13. in cohortes, quæ signa fœde amisissent, aliquando majorum more capitali supplicio animadversum fuisse, sæpius ignominiosa & indigna militibus opera ipsis imposita. Quandoque sola perditi signi infamia sufficiens pœna visa fuit; unde apud Cæsarem *lib.* 4. *de bello Gall. cap.* 25. cum periculum esset, ab hostibus aquilam captum iri, Romani milites dicuntur *cohortati inter se, ne tantum dedecus admitteretur.* Et summis usque viribus Romanas contendisse legiones acies, ne legionum aquilis hostes potirentur; sæpiusque duces & Imperatores, ubi fluctuare ac fugam meditari cernerent exercitum, inter hostiles copias aut inimica castra contorsisse signa, ut excussa segnitie milites acrius arma moverent in adversarios, & ad ea recuperanda fortius dimicarent: signa namque sacra Romani habuerunt, sic ut aliquam gignerent in animis militum venerationem; quamobrem etiam firmius illa asservare, fortius recuperare consueverant. Eumque in finem Vibius Accens cohortis præfectus vexillum trans Punicum vallum projecit. Irrupit in hostilia castra convulsum signum dextra tenens Pedanius centurio, ut qui salvum illud vellent, ipsum sequerentur: Valer. Max. *lib.* 3. *cap.* 2. *n.* 29. a Servio Tullio, Furio Agrippa, Tito Quintio Capitolino, & aliis idem perpetratum fuisse tradit Frontinus *strat. lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 1. 2. 3. *& seqq.* Neque ullum dubium est, quin & hodie summo dedecori vertatur, si ab hostibus signa fuerint in acie capta; usque adeo, ut usu fere militari facta fuerit inveterata consuetudo, signiferos, si spes nulla vexilli defendendi supersit, divulso ab hasta velo semet ei involvere, atque ita vel fuga salvum reducere, vel in ejus defensione gloriosa perire morte.

56 Corporalis insuper in illos est decreta coercitio, qui alteri, quam cui fas erat, tesseram indicaverint, aut aliam exhibuerint, quam quæ ab Imperante data erat: *instruct. milit. art.* 29. est enim adinventus tesserarum usus ad discernendos ab amicis inimicos; unde fit, ut indebita tesseræ traditione facillime confusio producatur in castris, & adversariis ad res feliciter gerendas commoda præbeatur occasio, licet forte non primus tesseram indebite tradens illud egerit intentione sinistra; cum in exercitu vix unquam defuit, ac sacramenti immemores, quibus intercedit cum hoste commercium, quique omnia adversariis ducum commilitonum deferunt consilia & res gerendas. Quapropter & Augustum Thallo, quod epistolam ipsius alteri, licet non hosti, prodidisset, crura effregisse testis est Suetonius *in Augusto cap.* 67. solummodo quod persuasum haberet, hoc pacto literas suas in malevolorum, inde in hostium potuisse potestatem pervenire.

57 Cum autem in instructione militari sæpius corporalis pœnæ mentio fiat, merito quispiam quæsiverit, num per eam ultimum designetur supplicium, an vero alia pœna corporis afflictiva, ad cujus irrogationem more naturalis non subsequitur? & verius est ac æquitati magis conveniens, per pœnas corporales ejusmodi designari coercitiones militares, quibus corpus quidem læditur, non tamen perimitur aut vita spoliatur: cum pœnæ non extendendæ sint, sed mitigandæ; in tantum, ut si in jure simpliciter mortis fiat mentio, eam de sola morte civili benigna interpretatione intelligendum voluerint legum interpretes: arg. *l.* 11. *ff. de pœnis:* August. Barbosa *axiom. juris usu frequent.* 181. *n.* 11. *ibique allegati Doctores.* Huic accedit quod in articulis militaribus atrociora militum delicta coercentibus non pœna corporalis, sed ultimum disertis verbis constituatur supplicium: in levioribus vero corporalis plerumque coercitionis sit adjecta pœna. Insuper illud evinci videtur ex *instruct. milit. art.* 9. 51. & aliis, ubi reus corporali & lethali supplicio dicitur plectendus. Unde liquet aliam esse corporalem simpliciter ita dictam, aliam mortis pœnam; eamque distinctionem approbant Pappus *in comment. ad instruct. milit. art.* 12. *in fin.*, Sande *decis. Frisic. lib.* 5. *tit.* 9. *defin.* 16. Negari tamen nequit, quin sub pœna corporali ex vi vocis ultimum quoque contineri posset supplicium.

58 Scutum reliquisse præcipuum quondam apud Germanos, teste Tacito, flagitium fuit: Tacit. *de morib. German. cap.* 6. Et arma turpiter ac non sine scelere amitti Romanorum fuit usque sententia: *l.* 3. §. 1. *ff. de captivis & postlim.* Quapropter Catonis Censorii Filius in medias ruebat hostium copias, ut collapsum e manu sudore lubrica gladium re-

repeteret: Plutarch. *in vita Caton. Censor.* Sic post interruptum a Romanis pontem Horatius Cocles in Tiberim prosiliens omnia secum arma retinuit: Livius *l.* 2. Et Turnum e Trojanorum castris praecipiti sese saltu cum omnibus armis in fluvium dedisse Poeta narrat *lib.* 9. *Æneid.* Amissi quoque clypei metuens infamiam Epaminondas jam morti vicinus id unum a circumstantibus anxie quaesivit, num cadenti sibi scutum ademisset hostis, illudque ut servatum audivit & allatum, velut laborum gloriaeque socium exosculatus est: Justin. *lib.* 6. *cap.* 8. Ammian. Marcellin. *lib.* 25. Quin & Chabrias Atheniensis perire maluit, quam ut abjectis armis natando ab Atheniensium navigiis exciperetur: Æmil. Probus *in vita Chabriae*. Turpe scilicet putabant Imperatores fortissimi, quemquam armis suis superesse. Unde hodiernis quoque militibus in more positum esse docet experientia, ut hostium viribus ed tradenda moenia vel castra compulsi, id tamen stipulentur, ut armis integris inde liceat recedere, haud digna viris imperari censentes; quod armis spoliati semet adversariorum fidei committerent. Eorum autem, qui integra in bello amisissent aut alienassent arma vel potiorem illorum partem, velut scutum, galeam, loricam, gladium, poena erat eadem de jure Romano, quae desertorum: *l.* 14. §. 1. *ff. de re milit.* eosque saepius ultimo punitos supplicio Alexander ab Alexandro auctor est: *genial. dier. l.* 2. *cap.* 13. Appius Claudius acriter in fugitivum ac proditorem invectus exercitum, ubi signa, ubi arma essent singulos rogitans, inermes milites, signo amisso signiferos virgis caesos securi percussit: Livius *lib.* 2. Ex humanitate tamen & juris rigidi temperamento, remissa poena capitali, militiae mutationem in eos decernendam esse censuit Jurisconsultus in *l.* 3. §. 13. *ff. de re milit.* Atque ita equitum praefectum, quod hostibus circumventus arma tradidisset, non ultore ferro persecutus est Consul Calpurnius Piso, sed toga laciniis abscisis amictum, discinctaque tunica, & nudis pedibus per omne militiae tempus ad principia adesse jussit: Valer. Maxim. *lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 9. Eamque Romanorum aequitatem hoc in negotio probantes legum nostrarum militarium conditores sanciverunt, ut quisquis arma sua fregerit, amiserit, alienaverit, per semestre spatium rejiciatur: *instruct. milit. artic.* 71. Si in aleam ea impendendo perdiderit ignominia mittatur: *inst. milit. art.* 73. Si pignori dederit, eandem, quam alienans, subeat coercitionem: *d. art.* 71. Et ne creditorum astutia, precibus, & artibus sinistris rudes militum seducerentur animi, prohibitum pariter, ne quispiam arma pignori accipiat: Menoch. *arbitr. judic. l.* 2. *casu* 394. *n.* 74. qui secus fecerit duplo pretii pignoris mulctetur: *instruct. art.* 72. Quod si quis non sua quidem alienaverit, sed ex adverso commilitonis surripuerit arma, gradu militiae pellendus est: *lib.* 3. §. 14. *ff. de re milit.* Hodie per trimestre tempus numeris eximitur, ac quandoque pro re nata corporali plectitur supplicio: *instruct. milit. art.* 74. Neque illud iniquum; cum arma sint veluti pars corporis, & uti Cicero inquit *lib.* 2. *tuscul. quaest.* membra militis ac vitae custodes, sine quibus nullus ultra nomen miles est: sic ut alterius arma intervertentes non commilitoni tantum, sed & Reipublicae grande nonnunquam inferant incommodum. Unde & Romanos usque adeo de militum armis sollicitos quondam fuisse legimus, ut parum nitidis solummodo aut rubigine obductis indutos armis illico notarent: Alexander ab Alex. *genial. dier. lib.* 2. *cap.* 13. existimantes procul dubio, parum illos armis uti vel usuros occasione data ad praeliandum minus idoneis, & segnes admodum in acie fore bellatores: *quis enim*, inquit Vegetius, *militem credat bellicosum, cujus dissimulatione situ ac rubigine arma foedantur*.

59 Praeter hos autem qui arma alienant, legislatores nostri degeneres etiam censuerunt esse milites, qui ad excubias agendas, non omnibus armis instructi convenissent, & ejusmodi delicti reos prima vice per triduum carceri mancipandos, sanciverunt. Cum autem crimen aggravet, & poenam faciat augeri delinquentis contumacia: *l.* 4. *ff. de poenis l.* 2. *ff. de re judicata*, etiam ii qui tertium in idem convicti fuerint incidisse delictum militari more per commilitones armis perimentur, id est sclopetis vel hastis: *instr. mil. art.* 58. Atque haec ita constituta sunt, tum ut ad arcendos repentinos adversariorum impetus milites essent perpetuo parati; tum ut armis assuescerent, ne ubi cum hoste manus conserendae sunt, Davidis instar, qui nunquam in armis semet exercuerat, nimio succumberent munimentorum pondere, & gravis iis videretur lorica, gravis galea, eoque summum immineret vitae discrimen: *illi enim*, inquit Vegetius lib. 1. de re milit. cap. 40. *qui laborem in portandis veteribus munimentis armorum ferre non possunt, detectis corporibus & vulnera sustinere coguntur & mortes, & quod est gravius & turpius, aut capi, aut certe fuga Rempublicam prodere: sic dum exercitium laboremque declinant, cum maximo dedecore trucidantur ut pecudes*. Multos quidem hodie reperies, qui praelio conflicturi penitus ferrea corporis tegumenta respuunt, non laboris, uti ferunt, evitandi causa; sed quod sibi laudi fore ducant, si aeque ac omnibus a capite ad calcem armis muniti, inermes prorsus soloque cincti gladio in confertissimas audeant irrumpere turmas hostium, & densis armatorum se mucronibus objicere, ac ingenti animo castra oppugnare, muros inimicos superare, caeteraque fortitudinis exhibere specimina. At hos a vera virtute militari longe aberasse censeo, ac temerarios potius quam fortes appellandos, dum adeo incomparabiles videri cupiunt periculorum & vitae contemptores, & inani nominis ac famae commoti desiderio vanam captant hoc pacto gloriolam Reipublicae parum profuturam. Verum quidem est, cum itur in praelium, non vulnera, non mortem timendam: sed nec temere subeunda corporis vitaeque discrimina, quae facili negotio sine patriae detrimento quis evitare posset. Antiquatus ille ducum ac militum pro exercitu sese devoventium furor: non hodie Deciis indigemus in exercitu, non Dodris, Siciniis Dentatis res maxime geritur, quem Valerius *l.* 3. *c.* 2. & Gellius *l.* 1. *noct. Attic. cap.* 11. centies & vicies in aciem descendisse, quadraginta quinque pectore excepisse vulnera commemorant. Non in hostes tendimus, ut fortia

tia facta peragentes occubamus; sed ut strenue rem gerentes una cum vita reportemus ab hoste victoriam & opima spolia: *majoris enim esse disciplinæ se ab hoste tueri & præstare incolumem, quam cum sua pernicie hostem perdere summi semper duces dictaverunt*, inquit Alexander ab Alexandr. *genial. dier. l.* 2. *c.* 13. Et certe, plus utilitatis ac commodi Respublica recipit in conflictibus ab armatis, quam inermibus, magis licet animosis; ac ex adverso damnum plerumque sentit ex vana gloriæ cupidine: Polybio namque teste histor. lib. 3. *temeritas, ferocia, & præceps iracundia, nec non inanis gloriæ studium, & fastus hostibus facilem victoriam præbent, amicis ut plurimum perniciem*. Proinde, si publica privatis sint anteponenda bonis (quod neminem sanæ mentis negaturum confido) & patria sit præferenda gloriæ, consequens est, quosvis in expeditione milites etiamsi sine munimentis confligere duxerint magis esse gloriosum, plenis nihilominus armis cinctos esse debere, & ferri præsidio juncta audacia securitatem sibi quærere, pariterque adversariis inferre perniciem, cum boni publici rationem illud exigere manifestum sit.

60 Accidit aliquando, dum inter populos belli grassatur incendium, ut milites, ubi hostem unum atque alterum in potestatem redegerint, neque tamen operæ pretium censeant propter exiguum redemptionis pretium ad castra ac præfectum captivos deducere, crudeliter & absque ulla commiseratione deditos abominando facinore vita spolient contra recepta militiæ jura: Julius Ferrettus *de re milit. p.* 130. *n.* 65. Quem belluinum agendi modum cum hodierna inter moratiores bella non ferant, eique repugnet in universum Christiana caritas, & proximo debita mansuetudo, statutum est, ut quisquis ejusmodi flagitium admiserit, militia rejectus extra fœderatas relegetur Provincias: *instruct. milit. ar.* 61. Quin imo pœnæ capitali miles addictus fuit 10. Julii anno 1638. quod duos inimicos, quos captivos esse non ignorabat, ita vulnerasset, ut haud diu post uterque ex vulnere periret. Idem in illos fere sancitum est supplicium, qui, postquam lucrum belli jure debitum captivus persolvit, eum sine castrorum præpositi venia dimiserint: *d. ar.* 61. fieri enim posset, ut ejusmodi captivi vel transfugæ essent, vel atrocioris alterius criminis rei, quos condignis subjugari suppliciis Reipublicæ interest, & ad præpositi pertinet officium: *l.* 12. §. 2. *ff. de re milit.*

61 Reversi autem ad suos captivi penes Romanos aliquam sufferre cogebantur captivitatis pœnam: præterquam enim, quod naturalem amisissent in bello libertatem, rem inæstimabilem: §. *fin. instit. qui & ex quibus causis man. non poss. l.* 106. 176. §. 1. *ff. de regul. jur.* quam, ut Salustius ait *in bello Catilin. cap.* 33. nemo bonus nisi cum anima simul amittit, etiam temporis illius, quo apud hostes fuissent, exigere stipendia non poterant: *l.* 1. *Cod. de re milit.* iisque & arma mutabantur, & ordo militandi: Alexand. ab Alex. *genial. dier. lib.* 2. *cap.* 13.

62 Quæri autem posset, utrum reverso temporis illius, quod in captivitate transegit, deneganda sint stipendia, si quidem probare potuerit, absque ulla sua culpa se in adversariorum pervenisse potestatem? idque ex æquitate negandum puto: arg. *l.* 3. §. 12. *l.* 5. §. 5. 6. 7. *ff. de re milit.* ubi Jurisconsulti statuunt, inspectis ac perpensis vitæ præcedentis actionibus, veniam esse capto concedendam; sic ut præmia & emeritum accipere non prohibeatur. Aliud quidem esse fateor emerita, aliud stipendia, verum cum eadem militet utrobique ratio, nullo jure quod in uno casu obtinet, ab alio removeri potest. His adde quod omnia tentaverit, quæ, quantum in ipso est, aut quantum permittit humana solertia potuerunt a strenuo perpetrari milite; ut proinde conditio illa, sub qua promissum fuit stipendium, scilicet si militaverit, adimpleta censeri debeat cum per eum non steterit amplius illius implementum, sed vis fortior mortalium superans potentiam eum impediverit: *argum. l.* 39. *ff. de reg. jur. l.* 8. §. 7. *ff. de condition. institut. & l.* 4. §. 5. *ff. de statu liberis*. Notissima insuper illa juris regula, quæ dictitat, afflicto non esse addendam afflictionem, nec tristia mala malis, nec pœnis pœnas esse cumulandas: adeoque nec hostium misera captivitate detentus eo privandus erit emolumento, quod percepisset, si non ei servitutis flebilis supervenisset calamitas. Et quamvis ex desertione restitutus non aliter medii temporis, quod in desertione transegit, stipendia & donativa accipiat, quam si Principalis liberalitas hoc ei specialiter indulserit: *l.* 10. §. 1. *ff. de re milit.* non tamen illud obstat, cum longe alia sit in captivo ratio: neque enim sine proprio dolo ac culpa quispiam in desertionis incidit delictum; at facile quisque citra culpam suam in hostium potest pervenire potestatem, miles præsertim gregarius; quippe ducis imperiis obtemperare coactus, ipsius imperitia vel temeritate nonnunquam eo deduci potest, unde nulla datur remeandi potentia. Atque ideo moribus menstrua militum captivorum non detrahuntur stipendia: sed eorum non secus ac præsentium in lustratione nomina citantur: Groenewegen *de legib. abrog. ad l.* 1. *Cod. de re milit.* Martin. Laudensis *tract. de milite qu.* 4. Pari ratione nec vulneratis nec morbo sontico laborantibus stipendia sunt detrahenda: militiæ enim munera obire etiam intelliguntur hi, quos curamus ægros, qui militare cupientes adversa impediuntur valetudine: arg. *l.* 4. §. 5. *ff. de statu liberis*. Nec ad id, ut iis stipendia numerentur, necesse est illos castra sequi, nisi forte morbi levioris detineantur incommodo; quo casu, ne longinquis nimium delassarentur itineribus, iis præfecto venia concedi solet inter impedimenta se recipiendi: quamvis olim penes Romanos solummodo ignominiæ causa propter ignaviam aut alia delicta leviora fuerit impositum, ut inter impedimenta tamquam indignum & muliebre ac militiæ parum idoneum agmen castra sequerentur. Docet id Ammianus Marcellin. lib. 25. *a lemptis*, inquit, *signis, hastisque diffractis, omnes eos, qui fugisse arguebantur, inter impedimenta, & sarcinas, & captivos agere iter imposuit*.

63 Ne tamen sub adversæ valetudinis prætextu quilibet ignavia fœda laborantes inter impedimenta commorarentur, & ordines ac signa desererent, cautum est, ut tanquam militum indigni consortio mili-

li-

litia pellantur, non dato ære militari missionisve literis, quicunque inter sarcinas ausi fuerint inscio præposito iter instituere: *instruct. milit. art.* 25. Quod si non pigritia sed hostium metu languorem simulassent, pro proditoribus olim habebantur: *l.* 6. §. 5. *ff. de re milit.* Qui vero delectu propter bellum indicto inhabiles militiæ se reddidissent, resectis digitorum articulis, hos Constantinus Imperator civitatum curiis addixit *l.* 1. *Cod. Theod. de filiis mil. l.* 4. 5. *Cod. Theod. de tyronibus;* solebant enim quandoque torpentes metu Romani sibi pollicem præscindere, ne gladio dirigendo ac portandis armis essent idonei; liquet id ex paulo ante laudato Ammiano Marcellin. lib. 15. ubi de Gallorum institutis verba faciens, ait: *nec eorum aliquando quispiam, ut in Italia, munus Martium pertimescens pollicem sibi præscidit;* de his plura vide apud Jacob. Gothofred. *in comment. ad l.* 4. 5. *Cod. Theod. de tyron.* Patrem autem, qui filium debilitasset, ut eum militiæ muneribus subduceret, Divi Trajani præceptum deportavit: *l.* 4. §. 12. *ff. de re milit.* Et Augustus equitem Romanum, quod duobus filiis adolescentibus detrectandi sacramenti causa pollices amputasset, ipsum bonaque hastæ subjecit: Sueton. *in vita August. c.* 24. Quin imo quicunque castris idoneos juvenes inertis obsequii studio putassent occultandos sub lixarum conditione vel propinquitate simulata, ex Valentiniani & Valentis constitutione ad inferiorem militiæ devolvebantur ordinem: *l.* 10. *C. Theodos. de re mil.* Atque hæc quidem in Romana viguerunt Republica ubi inviti adscribebantur in militiam cives; at in nostris Provinciis, ubi voluntarii omnes militiæ nomen dare consueverunt, supervacanea foret hæc metus ergo debilitatio; ut proinde etiam harum constitutionum antiquatus sit usus.

64 Denique duas aut plures eodem tempore simul gerere militias prohibitum, & de jure quidem Romano tales auri librarum decem dispendio mulctati: *lib.* 5. *Cod. qui milit. possunt &c.* hodie vero corporali coercentur supplicio: *instruct. milit. artic.* 70. eo enim ipso, quo plus quam ordinis unius eodem tempore nomen affectant, ærarii publici nummos suffurantur, dum ad id obstricti sunt, ut militum duorum partes sustineant, adeoque simul in duobus reperiantur eodem momento locis, quod per rerum naturam possibile non esse vulgare statuit philosophorum dogma.

Atque ita paucis pleraque militaria delineavi delicta, pœnasque recensui a legislatoribus sancitas, a Ducibus eximiis pro criminis qualitate decretas; quas tamen accurata omnium facti circumstantiarum instituta consideratione mitigari nonnunquam judicum militarium arbitrio æquum est, præsertim cum duriora ut plurimum ac rigidiora milites, ut ante dixi, supplicia maneant.

CAPUT V.

De præmiis militum & præda bellica.

1 *Præmiis remuneranda militum fortitudo.*
2 *Milites, qui in acie ceciderunt, perpetuo per gloriam vivunt, eorumque liberi publice alendi.*
3 *De honoribus exercitus imperatori tributis, supplicatione, triumpho & oratione.*
4 *Militum minorum præmia enumerantur.*
5 *Præda maxime milites gregarios ad fortitudinem excitat.*
6 *Jure gentium præda primo cedit occupanti.*
7 *Quid juris obtinuerit apud Hebræos in immobilibus ab hoste captis?*
8 *Quid juris in mobilibus?*
9 *Quid circa res captas tam mobiles quam immobiles Græci observaverint?*
10 *Quid jus Romanum circa immobilia capta constituerit? & de postliminio.*
11 *Quando ager censeatur captus ab hostibus.*
12 *Mobilia per deditionem acquisita a Romanis in fiscum redacta.*
13 *Aliquando postquam capta essent, ex post facto militibus concessa.*
14 *Quando res mobilis capta fiat occupantium.*
15 *Quid circa arma capta fuerit observatum.*
16 *Quæ sit differentia inter prædam & manubias.*
17 *Quid hodie circa res immobiles captas observetur.*
18 *Capti non fiunt capientium servi, nisi in bello barbarico.*
19 *Quid juris sit circa mobilia publicis expeditionibus aut excursionibus privatis occupata, ubi variæ quæstiones.*
20 *Quid in captis in conflictu maritimo? ubi de fortitudinis præmiis pecuniariis?*
21 *Quid si navis sit amicorum, merces vero hostium aut vice versa?*
22 *Utrum rectius cuique quod occupat conceditur; an potius inter omnes institui debeat universa prædæ distributio?*
23 *Quid si navis ab hostibus capta, per amicos aut socios recuperetur?*
24 *Quid si non recepta, sed redempta fuerit, verum justum pretium?*

1 Quemadmodum pœnis atrocioribus delinquentes coercentur in bello milites, ita quoque præmia generosis animis, & sanguine ac sudore suo Rempublicam struentibus erogari necesse est: neque enim vel domum vel Rempublicam stare posse Cicero pronunciavit: *lib.* 3. *de natura Deorum*, si in ea non aliqua recte factis exstarent præmia; quippe quæ stimulos, calcaria, ac faces ad virtutem addunt: adeo ut ad rem strenue gerendam etiam ipsi suscitentur ignavi, ubi condigna præmiorum remuneratione cernunt commilitonum ornari fortitudinem; proinde merito Pericles in eorum Republica viros dixit esse præstantissimos, apud quos maxima proponerentur virtutis præmia: atque Themistocli somnum excussisse constat in Miltiadis honorem erecta monumenta, *non sinit*, inquit, *me dormire torpescere Miltiadis trophæum:* Plutarch. in apophtegm. Et Scipio, aliique illustres Romanorum duces asseverare soliti, cum majorum intuerentur imagines, vehementissime sibi animum ad virtutem accen-

cendi. Rerum scilicet gestarum memoria viris egregiis generosi nascebantur in pectore spiritus, & eximius animum stimulabat ardor: nec ante sedabatur, quam virtute majorum gloriam vel superassent, vel adæquassent. Qua de causa varia pro diversis præliantium meritis ac dignitate constituta reperiuntur fortitudinis præmia.

2 Primum ac generale omnium tam militum quam præfectorum est, ipsa virtus, & recti conscia mens prælio superstitibus, ac jucunda posteritatis recordatio. At si confligentes in acie perierint, non minimum est, quod pro vivis tamen habeantur: cum in perpetuum per gloriam vivere credantur, qui pro Republica ceciderunt, & extremum effuderunt in victoria spiritum: *princip. instit. de excusat. tutor.* Felices eos Cicero deprædicat Philipp. 14. *O fortunata mors*, inquit, *quæ naturæ debita pro patria est potissimum reddita, vos vere patriæ natos judico... quos laudare quam lugere præstabit &c.* in ipsa quippe virtute defuncti pulcherrima brevis doloris præmia ferunt, in terris usque fama futuri superstites; sic ut eorum memoriam laudesque meritissimas extinguere nequeat ullius ævi lapsus, sed in dies magis magisque seri nepotes veneraturi sint. Unde summam olim Lacænæ mulieres concipiebant animo lætitiam, si filii ipsarum adversis in prælio cecidissent vulneribus. Et Lacedæmoniorum ab Antigono devictorum nemo (teste Justino *lib.* 28. *c.* 4.) amissum flebat conjugem, filiorum mortem senes laudabant: patribus in acie cæsis filii gratulabantur: suam omnes vicem dolebant, quod non ipsi pro patriæ libertate cecidissent. Cimbri vero & Celtiberi gaudio exsultabant in acie, tanquam gloriose & feliciter vita excessuri: at in morbo quasi turpiter & miserabiliter perituri lamentabantur: Valer. Maxim. *lib.* 2. *c.* 6. *n.* 11. Et ne militum gregariorum hoc pacto morientium una cum vita extingueretur memoria, Romanorum in bellum euntium singula nomina tabulis inscripta fuisse legimus, ut innotescere possent omnibus illi, quibus honestum ac gloriosum contigisset pro Republica subire fatum: Alexand. ab Alex. *genial. dier. lib.* 1. *c.* 20. Ne autem liberorum amore ducti milites absterrerentur, quo minus ardua pro Republica subirent pericula; ubi secum perpenderent, eos parentis ope destitutos, miseros & omnium egenos passim oberraturos esse; prudenter admodum constituerunt Romani, ut illorum, qui in acie periissent, liberi publicis alerentur impensis: Julius Ferrettus *de re milit. pag.* 49. *n.* 35. in eo Solonis sapientissimi Græcorum legislatoris imitantes institutum; in bello cæsorum liberos ex publico nutriendos esse erudiendosque præceperat: Diogenes Laertius *in vita Solonis:* quod fere moribus est introductum in Belgio Fœderato, dum pupilli quibus nondum per ætatem licet victum sibi quærere, publicis in orphanotrophiis, aut penes cives honestos educantur, donec artem quampiam vel liberalem vel mechanicam edocti suo possint victitare succo.

3 Cæterum exercituum Ducibus tributi speciatim honores: re namque prospere gesta ipsis trophæa erigebantur, stipites, quibus hostium affixa spolia, de quibus Philip. Beroald. *in comment. ad Sueton. in vita Cæsaris c.* 11. Imperatoris nomine salutabantur a militibus, literis deinde laureatis idem illud a Senatu petebant, ut & supplicationem; quam ubi Senatus decrevisset, vel longiorem vel breviorem pro victoriæ victorisque dignitate, solemniter ad templa sese conferebat, sacrificabat, & epulum dabat; festos dies agebat populus in lætitiæ signum, Diisque pro parta victoria gratias agebat. Cui non longe dissimile quid moribus obtinere cuique notum; cum propter egregiam ab inimicis relatam victoriam solemnis injungitur omnibus supplicationis dies, precibus, concionibus, & gratiarum actionibus, tympanorum sonitu, clangore tubarum, tormentorum displosione crebris intermicantibus artificiosis ignibus insignis. Et hæc quidem absenti plerumque decreta victori: Romam postea reverso concedebatur a Senatu, jussu populi accedente, triumphandi potestas, præsertim si postremam Imperator graviori ac diuturno bello manum imposuisset. Triumphus autem magnifico ac sumptuoso celebrabatur ornatu; currui triumphali laurea coronatus insidebat exercitus Imperator, ac præcedentibus captivis inimicorum ducibus, exercitu subsequente, per portam triumphalem ad forum tendebat, ascendebatque in Capitolium; templorum deinde reserebantur fores, suffitibus implebantur ædes sacræ, cæsis & immolatis in Deorum honorem hostiis; extructæ præterea columnæ & arcus triumphales, & erectæ statuæ, & triumphalia posita circa limen domus ornamenta. Nec cum diebus festis aut victoris vita peribat triumphi decus; sed & post triumphantium permanebat obitum; in successorum enim atriis collocabantur illorum imagines, curribus sublimes triumphalibus. Unde Juvenalis Satyr. 8. inquit:

... *Stantes in curribus Æmilianos.*

Etiam foris hostium spolia ac victorum imagines ponebantur, de quibus ita Plinius natur. histor. lib. 35. c. 2. *foris & circa limina animorum imagines affixis hostium spoliis, quæ nec emptori refringere liceret, triumphabantque etiam dominis mutatis ipsæ domus, & erat hæc stimulatio ingens, exprobrantibus tectis quotidie imbellem dominum intrare in alienum triumphum.* Quod si levius esset confectum bellum, vel adversus obscuros minusque claros gestum inimicos, veluti quibus nullo jure competebat indicendi belli facultas, major non decernebatur a Senatu triumphus, sed minor, ovatio dicta; cui non tanta quam quidem triumpho majori pompa fuit adhibita; curru urbem intrare nefas erat, sed vel equo vehebatur, vel pedibus incedebat ovans myrto coronatus. De majore ac minore triumpho, eorum origine, & differentia latius scripserunt Alexander ab Alexand. *genial. dier. lib.* 1. *cap.* 22. Panciroll. *rerum memorabil. part.* 1. *c.* 57. *ibique Salmuth. in comment.* Valtrinus *de re milit. l.* 7. *c.* 3. *& seqq.* Rosinus *antiquit. Romanar. lib.* 10. *c.* 28. 29. De Guicchardo *de triumphis veterum.* Illud insuper ducum virtuti tributum quandoque fuisse constat, ut a devictis gentibus agnomina sortirentur: sic Africani, Numidici, Sarmatici appellati, quod Africam, Numidiam, Sarmatas subegissent: & inde tot nominibus insignitus in institutionibus Justinianus, Alemanicus, Gothi-

cus,

cus, Franciscus, Germanicus, Atticus, Alaricus, Vandalicus, Africanus dictus: parens p. m. Paulus Voet *in comment. ad prin. procemii inst. n.* 7.

4 Porro minoribus etiam militibus pro cujusque merito fortitudinis assignata præmia, & luculentis eorum virtus ornata laudum præconiis: triumphantibus enim publice laudabantur Imperatoribus, & acclamante populo currum triumphalem ordine quisque suo sequebatur, donis, quibus a duce suo decoratus erat, conspicuus: sæpissime quippe coronæ militibus in fortitudinis præmium dabantur, eaque, si quidem miles civem servasset, quarnea erat, civica vocata: si murum primus subiisset, aurea, & muralis appellata: si primus hostium munitiones superasset, itidem aurea, & vallaris seu castrensis nuncupata: si denique primus hostilem conscendisset in conflictu maritimo navim, aurea uti cæteræ, & rostrata dicta; hisque concessum, ut in ludis & ubique coronis iis ornare se possent, ac priores in theatris ad spectandum occupare sedes. De hie plura vide apud Polyb. *lib.* 6. Alax. ab Alexandro *gen. dier. lib.* 4. *c.* 18. Panciroll. *rer. memor. ad lib.* 1. *cap.* 55. *ibique Salmuth.* Valtrin. *de re milit. l.* 6. *c.* 4. Rufin. *l.* 10. *c.* 27. Adhæc torquibus, armillis, cornicula, hastis, phaleris, aliisque militaribus quandoque donis exornati; nonnunquam iis ante tempus legitimum indulta immunitas.

5 Atque hæc sunt, quibus militum gloria magis & dignitas, quam quidem res familiaris augebatur: cæterum ex hostico spolia referri solita & sparata præda principales fara causæ sunt, quæ minores ad militiam ac virtutem milites stimulant: honorem illi tanquam inane nomen contemnunt: conqueruntur apud Tacitum *hist. l.* 3. *c.* 19. & indigne farunt, *se pro labore ac vulneribus clementiam ac gloriam, inania laturos; sed opes Cremonensium in sinu præfectorum legatorumque fore.* Ut verum nimis sit, plerosque non in patriam pietatem, non gloriæ cupidinem, sed solam prædæ spem ad bellum pertrahare, & homines quovis dama fugatiores lucri gratum odorem fortes efficara. Quid juris igitur olim, quid hodie circa res captas ab hostibus & prædæ distributionem observetur, paucis explicabo.

6 Et jure quidam gentium secundario res in bello captæ fiunt capientium: §. 17. *instit. de rer. divis. l.* 5. §. *fin. ff. de acquir. rer. domin.* Quod in æquitate ac naturali ratione fundatum est; cum conveniens sit ac secundum naturam, commoda cujusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda: *lib.* 10. *ff. de Regul. jur.* Cum itaque res occupans hostiles granda subeat vitæ periculum, & inediam, vigilias, aerisque sufferat injuriam, consequens est, ut & eo, quod labora suo paravit, commodo fruatur.

7 Ast ab hoc jure paulatim quodammodo recessum ast tam legibus divinis, quam humanis constitutionibus, & urgente necessitate vel utilitate publica varia diversarum gentium hac in re fuit introducta consuetudo. Jure namque divino seu Hebræorum inter res mobiles & immobiles adhibita distinctio; sic ut immobiles quidem inter tribus distributæ fuerint, vel sortis interpositione, vel citra sortem. Citra sortem posteris Rubeu, posteris Gad, dimidiæ parti posterorum Manasses a Moise concessæ sunt possessiones & agri ad illorum petitionem, consentientibus reliquarum tribuum principibus: *Numeror. cap.* 32. Pari ratione Calepho juxta divinam promissionem attributa sine sorte fuit hæreditaria portio: *Josue cap.* 14. *vers.* 12. 13. Reliquis tribubus assignati per sortem agrorum termini, postquam per viros quosdam fide dignos ad hoc negotium ex unaquaque tribu delegatos in æquas partes universa regio pro tribuum numero divisa arat: *Josue cap.* 18. *&* 19. *passim.* Singulis hoc pacto tribubus portione data, universis dein familiis ac personis singulis constituti terræ limites, uti id apparet ax facto filiarum Selophad: *Numeror. c.* 27. *Josue cap.* 17. & Calephi *Josue cap.* 14. Theodor. Graswinckel *de prælud. Justitiæ quæst.* 3. *secr.* 3. *pag.* 180. Si autam nonnulli post institutam immobilium divisionem finitimas e sedibus suis gentes depulissent, cum propter accrescentem hominum multitudinem nimis angustus esset habitandi locus; expulsorum agri ad illam solummodo tribum pertinebant aut familiam, quæ peregrinos illos ajecisset populos: *Josue cap.* 17. *vers.* 14. *& seqq. & cap.* 19. *ver.* 47.

8 Res varo mobiles quod attinet, illæ si ab universis captæ assent, inter omnes æqualiter dividebantur: *Deuteron. c.* 20. *vers.* 14. *Josue cap.* 8. *vers.* 27. p. m. parens Paulus Voet *in comment. ad* §. 17. *instit. de rerum divis.* Quod si ab exercitus parte essent occupatæ, regulariter ad singulos, qui primi illas occupassent, devolvebantur dominii jure res inanimatæ, veluti vestes, aurea ac argentea supellex, aliaque: *Numeror. cap.* 31. *vers.* 50. 53. Sin autam animatæ assent, veluti fœminæ, infantes, pecora & armenta; in duas scindebantur partes, altera præliantibus, altera reliquis impedimenta servantibus assignata, hac tamen adhibita differentia, quod a præliantium portione quingentesima, a cæterorum vero portione pars quinquagesima in censum Deo penderetur: *Num. cap.* 31. *vars.* 27. Ast hæc dividendi methodus postea paulatim in desuetudinem abiit, ac passim fuit observatum, ut universa tam inanimatarum quam animatarum rerum præda æqualiter inter omnes distribueretur, tam eos, qui apud impedimenta remansissent, quam qui cum hostibus conseruissent in prælio manus, nulla primi occupantis habita ratione: *Josue cap.* 22. *vers.* 8. 1. *Samuelis cap.* 30. *vers.* 24. 25. p. m. parens *ad d.* §. 17. Si vero res essent Deo devotæ vel anathemate conclusæ, non jure dominii cedere cuiquam poterant, sed inanimatæ perdendæ erant, animalia internecione trucidanda; qui secus fecisset, sacrilegii reus arat: *Josue cap.* 6. *vers.* 17. *& seqq. & cap.* 7. *vers.* 1. *Deuteron. cap.* 20. *vers.* 17. 1. *Samuel cap.* 25. *vers.* 5.

9 Ab Hebræis ad Græcos transeamus, ubi tamen, quid in iis quæ ab hostibus essent direpta juris fuerit, vix certa regula definiri potest: nihilominus quid obtinuerit aliquando, paucis expediam. Ad Rempublicam pertinebant ipsæ civitates per vim occupatæ: Justin. *lib.* 2. *cap.* 7. *& l.* 5. *cap.* 4. Res autem mobiles, quæ quis in ipso conflictu cepisset ab advarsariis, occupantis erant; adeoque si armata manu citra deditionem capta foret advarsariorum civitas, universa diripiebatur ab exarcitu victore præda: Curtius

tius *lib.* 7. *cap.* 6. Quod si justo prælio inter duos hostiles decerneretur exercitus, post certamen nulla direpta prædæ pars; sed aut inter omnes æqualiter dividebatur, uti divisum fuit inter Græcos aurum & regalis Persarum opulentia: Justin. *lib.* 2. *cap.* 14. eamque mediante sorte divisionem institutam fuisse docet Virgilius lib. 9. Æneid. ubi Ascanius inquit:

Si vero capere Italiam, sceptrisque potiri
Contigerit victori & prædæ ducere sortem,
Vidisti, quo Turnus equo, quibus eat in armis
Aureus? ipsum illum clypeum cristasque rubentes Excipiam sorti.

Aut publicabatur, ex eaque publicata vel singulis militibus præmii loco pars assignabatur. Alexander Magnus prædæ partem post admissum prælium militibus in congiarium dedit: Curtius *lib.* 6. *cap.* 2. Unde & alibi gloriatur, *scire omnes unum se prædæ communis exsortem esse; in illis colendis ornandisque usurpare victoriæ præmia*: Curt. *lib.* 4. *c.* 14. Vel etiam inde restituebatur, quicquid ab hostibus dirutum esset aut eversum: Justin. *lib.* 6. *c.* 5. Phocenses præda ab inimicis parta mercenarium conduxisse militem idem Justinus auctor est *lib.* 8. *cap.* 1. Arma autem devictorum quandoque Diis consecrata: sic apud Euripid. in Phœniss.

Thebis crematis scuta Polynices Deis
Suspensa sacrat.

Alia plura Græcorum exempla. Grotius enumerat *de jure belli ac pacis lib.* 3. *c.* 6. *n.* 14. Hinc necesse fuit post prælium a viris justitia ac probitate supra alios excellentibus asservari prædam, ideoque Aristidi virtutis causa justo dicto commissa prædæ Marathoniæ custodia: Plutarch. *in ejus vita*. Troya capta res omnes in unum collatæ locum ab Ulysse ac Phœnice custodiebantur: Virgil. *l.* 2. *Æneid.* Et Alexander Magnus receptam Parmenioni dedit asservandam: Curt. *lib.* 4. *cap.* 1.

10 Romanorum quod spectat jus in iis quæ bello capta sunt, illud sic sese habet; res immobiles, ut agri, in prædam proprie sic dictam, militibus non cedebant, sed publicabantur: *l.* 20. *§.* 1. *ff. de captiv. & postlimin.* *l.* 31. *ff. de jure fisci*; nisi tales essent agri, quos ante a Romanis civibus hostes belli jure cepissent: in illis enim jure postliminii locus erat, sic ut ad pristinos agri recuperati dominos reverterentur; eo quippe jure res immobiles ejus censebantur esse conditionis, quasi nunquam ab adversariis occupatæ fuissent. Obiter hic notandum, postliminii jus in immobilibus regulariter obtinuisse, non item in mobilibus: *l.* 28. *ff. de captivis & postlim.* Nisi forte navis oneraria major, vel equus foret ab hostibus recuperatus: *l.* 2. *ff. de captiv. & postlim.* vel servus noster: *l. fin. ff. d. tit.* Scipio tamen Africanus etiam in aliis rebus mobilibus postliminii jura vigere voluit: cum enim in hostili civitate capta multa Græcorum signa reperisset & ornamenta, per præconem edici jussit, ut urbes Græciæ legatos mitterent, qui, quicquid ad se pertinere demonstrassent, rebus captis eximerent: Plutarch. *in Apopthegm.* Lucretius cum ingenti præda Romam reversus, eam omnem per triduum in campo Martio exposuit, ut suum quisque cognitum abduceret: Livius *lib.* 3. Sed de diverticulo in viam revertamur. Postquam igitur in publicum agri forent redacti, quandoque partem eorum veteranis in præmium assignatam fuisse patet ex *l.* 15. *§.* 2. *ff. de rei vindicat.* *l.* 16. *ff. de acquirend. rer. dominio*, *l.* 11. *ff. de evictionibus*: Cujac. *observat. lib.* 19. *cap.* 7. p. m. parens Paulus Voet *in comment. ad §.* 17. *instit. de rer. div. n.* 1. & *in tractat. de natura mobil. & immobil. cap.* 19. *n.* 2. hinc Virgilius eclog. 1.

Impius hæc tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has segetes? en quo discordia cives
Perduxit miseros, en queis conserimus agros!

& Cæsar apud Lucanum de bello Cæsar. & Pompej lib. 1.

His saltem longi, non me duce, præmia belli
Reddantur, miles sub quolibet iste triumphet.
Conferet exsanguis quo se post fata senectus?
Quæ sedes erit emeritis, quæ rura dabuntur,
Quæ noster veteranus aret? quæ mœnia fessis?

Nonnunquam aliis indigentibus prædiorum in potestatem redactorum portio gratis concessa, atque ita de Autiatum agro capto partem inter pauperes divisam fuisse testatur Dionysius Halicarnass. *antiquitat. Roman. lib.* 9.

11 Quando autem captus ab hostibus censeatur ager, disquiri solet: Grotius *de jure belli ac pac. l.* 2. *cap.* 6. *n.* 4. & 11. existimat, agrum non esse captum, si adversarii illum actu detineant, sed firmem requiri possessionem, veluti, si per munitiones, aut aliter adversus hostes defendi possit: eoque Romanorum adducit exemplum agrum vendentium, quem ante portam castris Hannibal insederat. Verum si quis accuratius perpenderit legem 1. *in princ.* & *§.* 1. *ff. de acquir. possess.* ei dubium non erit, quin ad id, ut ager dici possit captus ab hostibus, sufficiat qualiscunque naturalis possessio. Paulus namque Jurisconsultus juxta Labeonem in princip. d. l. 1. ait, possessionem appellatam esse a sedibus, quasi positionem, quia naturaliter tenetur ab eo, qui ei insistit; ec statim subjungit §. 1. dominium rerum ex illa naturali cœpisse possessione, ejusque rei vestigium remanere de his, quæ terra, mari, cæloque capiuntur, quæque bello capta sunt. Sequitur itaque, qualicunque naturali possessione & occupatione dominium ad hostes translatum esse. Quo facit & illud Celsi in l. 18. in fine ff. de acquir. vel amitt. possess. *si cum magna vi ingressus est exercitus*, inquit, *eam tantummodo partem quam intraverit, obtinet*. Neque obstat Hannibalis exemplum a Grotio in opinionis suæ probationem adductus; neque enim ex venditione vendentis probari poterit dominium; nec sequitur, agrum illum, si venditus fuerit, adhuc in Romanorum remansisse potestate, cum juris minime controversi sit, non tantum rem propriam, sed & alienam vendi posse: *l.* 18. *ff. de contrahend. emptione*, & validam ad pretium consequendum actionem nasci, si emptor non ignoraverit emptæ rei conditionem: *l.* 57. *§.* 1. 2. *ff. eod. tit.* Vel etiam responderi potest, legitimam fuisse agri illius ab Hennibale detenti venditionem, quia nondum omnis postliminii spes erat dissipata: Ajala *de jure & offic. belli lib.* 1. *c.* 5. *n.* 36. certum enim est, etiam circa ea, quæ reditura sperantur ab hostibus, contra-

ctum

clum posse celebrari: *lib.* 22. §. *fin. l.* 23. *ff. famil. ercisc.*

12 Circa mobilia autem, (quorum nomine etiam captivos complector hostes & animalia reliqua sese moventia) a militibus ejusmodi fuit introducta consuetudo, ut armata vi captæ civitatis præda ad occupantes pertineat. Sic tumultuantes in castris cohortes apud Tacitum *histor. l.* 5. *cap.* 19. inquiunt *expugnatæ urbis prædam ad milites, deditæ ad duces pertinere.* Unde & Æmilius armatis Phocæam invadentibus ait, *captas, non deditas diripi urbes:* Livius *lib.* 37. Hic belli jure mos invaluerat, hunc summo passim milites urgebant animi fervore: eaque de causa sæpe duces Romani militibus suis urbium direptiones concedere compulsi, importunis ipsorum tandem expugnati petitionibus, cujusmodi varia Grotius recenset exempla, *l.* 3. *de jure bell. ac pac. cap.* 6. n. 18. quo, ne actum agam, æquum lectorem remitto. Quod vero milites dicerent, ad duces urbis deditæ prædam pertinere, non illud denotat, quasi ad illos jure devolveretur omnis prædæ dominium; sed vel quod de facto multa solerent duces e rebus captis intervertere, ac privato adjungere patrimonio; vel quod ipsis esset concessa facultas aliquid inter milites ex præda distribuendi: viris enim gloriosissimis militum magistris Justinianus & ante hunc alii permiserunt, ut ex hostium spoliis donationes fortissimis possent præstare militibus: *l.* 36. §. 1. *C. de donationibus;* atque ita torquibus, armillis, coronis, aliisque donis militaribus sæpius ornati milites, de quibus ante diximus. Alioquin omnis post prælium vel per deditionem acquisita præda in fiscum seu ærarium erat conferenda: *l.* 15. *ff. ad leg. Jul. peculatus*, & ab ærarii quæstore sub hasta divendenda, quod aperte docet Dionys. Halicarnass. lib. 7. *omnes profecto scitis*, inquit, *prædam ex hostibus captam, nostraque virtute partam ad Rempublicam legis jussu pertinere, & non modo nullum privatum hominem, sed ne ipsum quidem Imperatorem in istam jus habere; sed quæstoris esse hanc acceptam vendere, & pecuniam hinc redactam in ærarium ferre.* Sic, eodem Dyonis. Halicarnass. teste, *lib.* 8. consul Fabius omnem prædam & spolia & captivos, quibus potitus fuerat, per quæstorem vendi jussit, pecuniamque in urbem detulit; plura vide apud Ajalam *de jure & offic. bell. lib.* 1. *c.* 5. *n.* 5. Ex ea autem præda in fiscum redigenda liberum fuit exercitus Imperatoribus decimas Diis suis ad obtinendam vovere victoriam: unde & Jupiter prædator dictus, de quo late tractat Alexander ab Alex. *genial. dier. lib.* 3. *cap.* 22. vel etiam ex manubiis ludos ac templa; Jovi statori Romulus, Saturno & Opi Tullus Hostilius, Jovi victori Papirius, & Fabius, Cereri Libero Liberæque dictator Posthumius votis nuncupatis templa promiserunt.

13 Plurima tamen passim reperiuntur exempla, quibus constat, universam quandoque prædam, aliquando magnam ejus partem militibus fuisse datam; ut vel ejus, quod quisque manu propria cepisset, occupantem ex post facto dominum fieri permitterent, uti quondam militibus suis Alexander Severus id, quod devictis Persis eripuissent, dominii jure retinere concessit: Ælius Lamprid. *in vita Alexandri Severi;* vel inter omnes æqualiter omnia ab hostibus capta pro cujusque dignitate distribuerentur; quo casu hanc proportionem observatam fuisse Grotius ait *d. cap.* 6. *n.* 17. ut simplex pediti, duplex centurioni, triplex equiti; aliquando simplex pediti, duplex equiti; nonnunquam simplex pediti, duplex centurioni, tribuno & equiti quadruplex daretur. Et ita Probus Imparator omnem prædam militibus divisit, nihil præter arma & tela sibi servans: Flavius Vopisc. *in vita Probi*. Et *lib.* 43. Livius ait, omnem prædam ad apulandum inter militas divisam. Servilius aurum, argentum, vestes, homines, & quicquid ex Volscis captum esset, inter militas distribui jussit: Dionys. Halicarnass. *lib.* 6. alia adducit exempla Grotius *de jure bell. & pacis d. cap.* 6. *n.* 20. Ajala *de jur. & offic. bell. lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 6.

14 At vahementer jam dictis obstant *l.* 5. §. *fin. l.* 51. §. 1. *ff. de acquir. rer. domin.* §. 17. *instit. de rer. divis.* quæ res universas ab hostibus captas non publicas sed occupantium fiari dictitant. Hinc de vero earum sensu & explicatione variæ doctorum opiniones. Distinguendum censet Bocerus *class.* 5. *disp.* 3. *n.* 57. 58. utrum res mobilis capta sit hostibus jam devictis, an vero antequam essent superati; & hoc casu occupantis eam fieri, illo non item. Grotius dispiciendum existimat *lib.* 3. *cap.* 6. *n.* 12. an in ministerio publico præda capta sit, an vero extra illud; hic capienti dominium adjudicat, illic denegat. Wesenbecius vero *consil.* 202. *n.* 64. tum demum capta fieri capientium putat, cum duci oblata ab eo inter milites distributa sunt. At nullis solidis horum sententiæ fulciuntur argumentis; proinda rectius cum Merenda *controvers. lib.* 2. *cap.* 22. statuendum esse judico, res omnes mobiles captas Reipublicæ cedere, non capientibus; in ducum tamen fuisse potestate, ut ad magis incitandos præliantium animos urbem diripiendam militibus concederent, ac tum demum sibi quamque plenum ac legitimum acquisivisse dominium, quod in expugnata civitata primus occupasset; nec ad collationem obligatum fuisse, ut universa deinde præda inter milites divideretur, quæ §. 17. *instit. & legis* §. *fin. ff. de acquir. domin.* mens est. Ejusmodi autem direptiones a ducibus concessas fuisse, supra diximus, & multis ex Livio allatis Merenda confirmat exemplis *d. cap.* 22. *n.* 18. lex autem 51. §. 1. *ff. de acquir. domin.* non de rebus ab hostibus captis mentionem facit; sed de iis, quæ belli tempore hostium erant, & penes non reperiebantur, quas propterea ab occupantibus seu possidentibus dominii jure retineri posse Celsus ait in hac *l.* 51. & Tryphonius in *l.* 12. *ff. de captiv. & postlim.* Cujac. *observat. l.* 4. *cap.* 9.

15 Arma vero hostium capta quod attinet, illa nonnunquam postibus suspendebantur ante victorum ædes; hinc Silius lib. 6.

Unde ire in Martem qua capta referre solebas,
Et victor mecum suspendere postibus arma.

Nonnunquam Diis consecrata; sic Jovi Faretrio opima de Acrone Cæninensium Rege spolia Romulus manibus suis reportavit: Livius *lib.* 1. Pari ratione A. Cornelius Cossus Tolumnii Vajantium Regis arma in Faretrii Jovis æde cum solemni dedicatione dono fixit: Livius *l.* 4. Plerumque tamen igne consumebantur;

tur; unde Florus inquit lib. 4. cap. 12. *arma victorum non de more belli cremata, sed capta sunt.* In ingentem enim acervum cumulata comburendo sacrum Vulcano faciebant exercituum præfecti, idque Marcellus, id equitum Magister Fabius, id plures alii duces eximii peregerunt, de quibus passim Livius.

16 Inter prædam autem & manubias (quod hic breviter observandum) anxie distinxerunt linguæ Latinæ politioris cultores curiosi; prædam appellarunt omnes res mobiles ab hostibus captas, & manubias universam illam dixerunt pecuniam, quæ ex divendita præda collecta foret, illudque Ciceronis auctoritate probat Aulus Gellius *Noctium Attic. lib.* 13. *cap.* 23.

17 Hodiernis moribus non in universum rigidum illud in belli negotiis jus gentium viget inter Christianos; verum in nonnullis mutuo bellantium consensu recessum est a pristina populorum consuetudine. Quoad res igitur immobiles distinguendum, num in Reipublicæ fuerint dominio, an vero ad singulos pertinuerint cives in urbibus & agris hostilibus degentes. Et capta quidem civitate vel alio munito loco, in victricis Reipublicæ dominium jure belli transit illius territorii jurisdictio, jus tributorum ac vectigalium, & omnes agri publici. Singulorum vero prædia victori non cedunt populo, urbe dedita, sed in tranquilla quisque permanet illorum possessione, modo tanquam civis aut subjectus fidelitatem novis velit præstare dominis, & idem illorum nomine, quod reliqui, solvere tributum: Manaius *in comment. ad* §. 17. *instit. de rer. division. n.* 17. Alioquin in urbium traditionibus stipulari plerumque consueverunt se dedentes, ut agris & ædibus intra certum tempus divenditis inde tuto liceat alio commigrare, uti id apparet ex variis deditionibus a rerum nostrarum scriptoribus Meterano, Montano, aliisque exhibitis.

18 In rebus mobilibus illud observatur, ut homines quidem in bello, quod inter Principes Christianos motum est, non fiant capientium servi, aut possessio dominorum animata: verum omni servitutis antiquato more, captivi domum remittendi sint persoluto redemptionis pretio: Ajal. *de jur. & offic. bell. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 19. p. m. Parens Paulus Voet *ad* §. 17. *instit. de rer. divis. num.* 3. quod in militibus fere menstruum est stipendium. Si vero captivus docere nequeat, in numeros militum se relatum esse, tantum, quantum potest, persolvere cogitur, ut a captivitate liberatus ad patriae possit remeare sedes. In bello tamen maritimo præliisque navalibus capti, etiamsi de ipsorum militia sole meridiano clarius constet, certo ac statuto nunquam lucro redimuntur, quamdiu belli grassatur incendium; testatur illud Reidanus *lib.* 1. *annal.* & ex eo tempore quotidiana id abunde comprobavit experientia: sic ut nec milites, dum in flumine publico navigarent, ab hostibus intercepti anno 1641. 23. Aprilis menstruo potuerint militari more redimi stipendio; sed cum adversariis de redemptionis pretio transigere fuerint coacti. Cæterum usque adeo ab illo servitutis jure nostra abhorret Respublica, ut omnes in universum servi, simul ac ditionis nostræ limites intraverint, dominis invitis ad libertatem proclamare possint, & ipso jure naturalem censeantur ejus quod facere libuerit recuperasse facultatem: Groeneweg. *de leg. abrogat. ad tit. instit. de his qui sui vel alien. jur. sunt.* Quod si Christiani non cum Christianis, sed cum barbaris gentibus, veluti Turcis, Persis, aliisque bella gerant, durat etiamnum hodie pristinus servitutis usus, & utrinque capti fiunt capientium servi: Peregrin. *de jure fisci lib.* 5. *tit.* 3. p. mem. parens Paulus Voet *ad d.* §. 5. *instit. de jure person. num.* 4. *ibique DD. citati.* Quamvis autem de jure Romano a barbaris capto non potuerit a quopiam hæreditas vel legatum relinqui, *l.* 4. §. 1. *ff. de his quæ pro non scriptis habentur*; nostris nihilominus moribus æque servo ac libero quid relinqui vel acquiri potest: Groenewegen *de leg. abrogat. ad tit. instit. de his qui sui vel alieni juris sunt.* Quin imo, servos ejusmodi, dum in servitute morantur, etiam ultimam posse condere voluntatem censet Covarruv. *in c. peccatum p.* 2. §. 11. *n.* 6. Groeneweg. *ad* §. *fin. inst. quibus non est permiss. fac. testam.* p. m. parens Paulus Voet *ibid. num.* 6.

19 In reliquis mobilibus non inepta, imo necessaria est illa Grotii distinctio quam exhibet *lib.* 3. *de jure belli & pacis cap.* 6. *n.* 12. eumque secutus Groenewegen *ad d.* §. 17. *instit. de rerum divis.* Aut enim capta sunt a militibus in ministerio publico & actu bellico versantibus, veluti dum cum exercitu sunt in expeditione, vel aliae expresso exercitum regentis mandato ad intercipiendas hostiles missi merces, quarum ille per exploratores resciverat adventum; atque tunc nihil omnino sibi retinent primi occupantes: sed quicquid captum est, Reipublicæ cedit. Aut hostibus erepta sunt occasione quidem belli, extra ministerium tamen publicum, veluti cum gubernatoris alicujus accedente consensu liberas ac spontaneas nonnulli suscipiunt in hosticum excursiones, & inimicorum depopulantur agros; eoque casu dubium non est, quin ea, quæ capta sunt, dominii jure fiant occupantium, non singulorum, sed omnium excursionis illius ac pericul sociorum: quicquid enim captum est, in commune collatum ac deductum intra præsidia, sub corona divenditur, & æqualiter inter expeditionis privatæ consortes distribuitur prædæ pretium: sic ut duplex equiti, simplex pediti cedat; si soli sint equites quinquagenarium excedentes numerum, centurioni decuplex, ejus legato quintuplex, eignifero triplex, hospitiorum assignatori duplex, decurioni sesquiplex, reliquis simplex debeatur. At si prædam occupantes pauciores sint quam quinquagiuta, centurio sextuplex, legatus triplex, duplex signifer, hospitiorum assignator sesquiplex, simplex cæteri deducent.

Quod si autem prædam a manipulo captam hostes recuperassent, eaque iterum ab alio manipulo superveniente recuperantibus erepta fuisset quæri posset, utrum primo manipulo, an utrique, an potius soli manipulo, qui postmodum supervenit, adjudicandum esset prædæ dominium? Belgii fœderati consilium militare maxime probavit opinionem sentientium, ad solius secundi manipuli milites receptam prædam pertinere. Cum enim primi manipuli, socii

eii eodem belli jure, quo res hostium suas effecerant, earum amisissent dominium, & præda per pristinos dominos recuperata primam induisset naturam; manipulus secundus hostium potius quam commilitonum bona cepisse dicendus est, ac proinde merito occupanti cedit illorum dominium. Semper tamen aliqualis assignanda prædæ portio gubernatori, vice gubernatori, præfecto vigilum, centurioni & audientiario, forte propter impetratam ab iis exaundi veniam: Paulus Voet *in comment. ad* §. 17. *instit. de rer. divis.* Cum vero factum aliquando fuerit, ut milites gubernatoris consensu ad prædam ab adversariis petendam exeuntes, Ordinum mandato, dum a præsidiis abessent, ad aliam cogerentur una cum cohorte migrare civitatem; ardua inde nata est inter veteris & novi præsidii præfectum controversia, ad quem magis devoluta jure foret interceptæ prædæ pars. Tutissimum & æquissimum esse censuerunt judices militares, si, uti sæpius Justinianus, mediam eo casu viam eligerent, ac utrinque loci præfecto dimidiam assignarent portionis ex spolio debitæ partem. Cæterum quantum cuique debeatur præfecto, apud eundem vide *pag.* 55. *& seqq.* Et ne illi, quibus pars prædæ debetur, jure suo fraudarentur, prohibitum est, ne quis alibi quam in castris res captas distrahat: injunctum ex adverso, ut omnium quilibet eo prædam deferant, ubi in præsidiis sunt, ac apud præsidii præfectum, quidnam ex hostico retulerint, intra tres horas a reditu profiteantur: *instruct. milit. art.* 63. 64. Differentiæ autem inter res in ministerio publico captas, & acquisitas extra illud, ratio est; tum quod milites in ministerio publico singuli Reipublicæ sustineant personam, ejusque vice fungantur: Groenewegen *ad* §. 17. *Insit. de rer. divis.* tum forte, quod officii contemplatione publicas ad expeditiones obstricti sint milites, earumque nomine menstruum ipsis persolvatur stipendium, in laborum ac periculi remunerationem; atque adeo, postquam in numeros referri se passi sunt, volentes nolentes castra sequi, præliis interesse, & omnibus modis Reipublicæ prodesse teneantur; at invitus nemo privatas compellatur in hostila solum excursiones suscipere, verum sponte, & animi proprio motu penes decanum vel alium quam ejusmodi expeditioni præpositum quisque nomen profiteatur, & hostibus nocendi desiderium. Proinda jure optimo per consuetudinem introductum est, ut ad eos pro periculo, quod subierunt, præda devolveretur. Quandoque tamen etiam publicis in expeditionibus, illud, quod capitur, primo cuique cedit occupanti, cum scilicet exercitus Imperator ad incitandos militum animos, quo pertinacius irruerent, urbis expugnandæ permittit direptionem: p. m. parens Paulus Voet *ad* §. 17. *instit. de rer. divis.*

20 Quod si maritimum geratur bellum, quicquid privati, Principis consensu naves ad conflictum bellicum propriis instituentes sumptibus, publicis eripuerint adversariis, id ad occupantes socios nauticos naviumque dominos pertinet pro portionibus in societatis contractu designatis; detracta prius quinta parte, quæ Reipublicæ, & decima, quæ maris præfecto debetur: *Grotius de jure bell. ac pacis l.* 3. c. 6. *n.* 24. ubi & aliarum gentium hoc in negotio consuetudines strictim proponit. Illud autem omne, quod navibus bellicis ærarii publici adornatis impensa intercipitur, Reipublicæ cedit. Cæterum & tunc aliquid ex præda præliantibus tribui docet experientia: præsertim in nuperrimis nostris bellis maritimis, quo tempore non navis tantum bellica hostium, in conflictu publico superata, ad occupantes pertinuit, & inter omnes ajus distractæ pretium pro cujusque divisum dignitate: verum insuper illustres ac Præpotentes Ordines Generales luculenta fortitudinis præmia proposuerunt; adeo ut iis, qui supremi maris præfecti navigium in potestatem redegissent, quinquaginta florenorum millia numerarentur; si navis esset alæ navalis præfecti, triginta; si aliorum, viginti; si centurionis quadraginta tormentis bellicis & amplius instructa, decem; sin minor, sex florenorum millibus occupantium foret remuneranda virtus: duplicatis præmiis, si privati nonnulli proprio impendio navigia compararentes, eaque Reipublicæ jungentes carinis tam eximium perpetrassent pro patria facinus, juxta placitum Ordin. General. 27. Januarii & 30. Martii 1665. quod integrum exhibet Aitfema *histor. lib.* 45. *edit. in* 4. *part.* 12. *pag.* 710. *&* 744. ubi, & plura proponuntur pro cujusque facti qualitate præmia, quæ hic annumerare nimis longum ac tædiosum foret.

21 Constat itaque, penes nos quicquid in mari captum est, occupantium esse: sed quid si merces sint amicorum aut pacem colentium, navis autem hostium, vel vice versa? omnes quidem res in hostium navibus repertæ præsumuntur hostiles esse, adeoque capientium fieri: Loccenius *de jure maritimo lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 11. si tamen probari possit, res quasdam vel omnes in carinis & apud hostes inventas ad socios, non ad inimicos dominii jure pertinere, illud observabitur, ut quicquid hostium esse probatur, in prædam cedat; at quicquid illorum est, quibuscum nulla nobis intercedit inimicitia, pristinis sit restituendum possessoribus: ut nihilominus, si navie non sit hostilis, cogi nauta possit, legitima persoluta vecturæ mercede, ad deferendas inimicorum merces in tutam aliquam navium stationem, uti judicatum apud Hollandos ann. 1458. teste Grotio in *addition. ad l.* 3. *c.* 1. *de jure bell. & pac.* Cum enim nec peregrinorum navigia gaudeant angariarum immunitate, ubi liberæ Reipublicæ vel regni utilitas illud exigit: *l.* 18. §. 22. *ff. de munerib. & honorib.* etiam jure merito poterunt in ipso mari compelli ad præstandum sociis aut amicis temporarium ejusmodi servitium.

22 Quod si quispiam quæsiverit, utrum melius sit, res in bello captas ad primum quemque occupantem jure dominii pertinere; an vero expediat illas post separatos hostes in unum conferri locum, ut debitam inde quilibet auferat portionem? Respondeo; juri & æquitati magis congruum, ac si Reipublicæ maxime consultum velimus, longe melius esse, ut inter omnes æqualis vel pro cujusque meritis proportionata fiat ab Imperatore prædæ distributio; gratius quidem illud est lætiusque, uti Grotius inquit dubitantar dissentiens, quod sua quisque manu ex hoste captum domum refert, quam si multi-

tiplex accederet alterius arbitrio; verum privati cujuspiam lætitia commodo & emolumento Reipublicæ anteponenda non est, quod tamen eveniret, si quidem quibuslibet rei, quam ipsi cepissent, dominium concederetur: cum varia sæpius oriantur e direptionibus incommoda & exitiosæ Reipublicæ calamitates: antequam enim penitus impetrata victoria est, plerique nimio æstuantes prædæ desiderio, ad rapinas, ex acie sese conferunt; quo fit ut hostes ita fervente concitati, & justo commoti dolore sese colligant, & obvios quosque palantes, dispersos, ac spoliis unice intentos impetu facto victores disjicient, compellantque fugam fœde capessere. Alcibiades, cujus fortitudinem ac felicitatem Græcia venerata est, cum longa pace divites inconsultius popularetur agros, a Lacedæmoniis oppressus est: Justin. *lib.* 5. c. 5. Roxolanos equites prospero feroces successu, prædæ magis quam pugnæ intentos, & sarcinarum graves onere tertia Romanorum legio fugere coegit: Tacit. *histor. lib.* 1. *c.* 79. Licinius Crassus, cum de præda magis Attalica, quam bello sollicitus esset, ab Aristonico superatus insatiabilis avaritiæ pœnas sanguine dedit: Justin. *lib.* 36. c. 4. Occupata stratagemate bellico Lira, cum ante plenam victoriam nimis ardentibus animis ad rapinam se milites contulissent, ab hostibus recuperata fuit, cæsis ac fugatis paulo ante victoribos: Sande *hist. lib.* 2. Præterquam quod in direptionibus avidæ prædantium menus ut plurimum præripere soleant fortium bellatorum præmia: dum enim strenui quique milites nondum penitus eversis inimicorum viribus adhuc ad obtinendem victoriam admodum in acie laborant, & perrumpere conantur adversariorum agmina, lixæ plerumque ac calones ad prædam festinant, & tuto quasque pervestigantes hostium domos tentoria ac cadavera, quicquid ipsis arridet, diripiunt, vili & abjecta supellectile iis relicta, qui præcipuum victoriæ momentum attulerunt; quo fit, ut cum mortuis (ut ita dicem) confligentes plus auferant, quam cum vivis acriter manus conferentes; etiam eorum qui fortissime pugnando laudabili periere fato, nulla habeatur ratio, nullum ex defunctorum fortitudine ed uxores ad liberos ad consanguineos emolumentum perveniat: quæ omnia absurda & iniqua esse, proinde nec duci toleranda, cuique notum est. At ex adverso, cum æqualis instituitur interceptæ prædæ divisio, nemo lucri spe seductus aciem ordinesque deserit; verum constans ad certaminis usque finem præliantium permanebit in agmine, donec omnino fusos fugatosque viderit adversarios: nec quoad prædam ac præmia hic illorum obliteratur memoria, qui in prælio vitæ sortem dereliquerunt, & sanguine ac vita sua redemerunt victoriam: verum cæteris potius anteponuntur; ita Ordinum Generalium constitutione 10. Martii 1665. supra citata decretum fuit, ut eorum, qui in acie cecidissent, qui si in vivis remansissent, prædæ fuissent participes, uxores aut liberi e rebus captis duplum acciperent ejus, quod ipsi mortui, si superstites fuissent, percepissent. Quod quidem de defunctorum habenda ratione institutum jam olim fuit a Cicerone laudatum *Philip.* 14. *fere in fine*, cujus verba, quamquam paulo prolixiora, elegantiæ tamen causa adjungere visum fuit. *Illud admirabilius*, inquit, *& majus, maximeque proprium Senatus sapientis est, grata eorum virtutem memoria prosequi, qui pro patria vitam profuderunt, quorum de honore utinam mihi plura in mentem venirent: duo certe non præteribo quæ maxime occurrunt, quorum alterum pertinet ad virorum fortissimorum gloriam sempiternam, alterum ad leniendum mœrorem & luctum proximorum; placet igitur mihi P. C. legionis Martiæ militibus & eis qui una pugnantes occiderunt, monumentum fieri quam amplissimum . . . atque etiam censeo P. C. quæ præmia militibus promisimus, nos Republica liberata tributuros, ea vivis victoribusque cumulate, cum tempus venerit, persolvenda: qui autem ex iis, quibus illa promissa sunt, pro patria occiderunt, eorum parentibus, liberis, conjugibus, fratribus eadem tribuenda censeo, . . ut quæ præmia Senatus militibus ante constituit, ea solvantur eorum, qui hoc bello pro patria occiderunt, parentibus, liberis, conjugibus, fratribus: iisque tribuantur, quæ militibus ipsis tribui oporteret, si illi vixissent, qui morte vicerunt.*

23 Hactenus de rebus hostium captis: verum quid si navigium nostrum una cum mercibus per adversarios interceptum a nostratibus recipiatur, recuperantibusne cedet, an vero ad pristinos postliminio jure redibit dominos? communi quondam in Europa gentium consuetudine fuit introductum, ut si res captæ per horas viginti quatuor in hostium potestate fuissent, extincta censeretur earum recipiendarum fiducia, ac proinde amissa quoque proprietas, sic ut in universum ad recuperantes dominii jure pertinerent: sin vero intra viginti quatuor horarum spatium adversariis iterum ereptæ fuissent, primis essent restituendæ dominis, qui nondum credebantur penitus illarum amisisse dominium; ita tamen, ut illis, qui res ereptas recepissent, in laboris ac periculi remunerationem justum non esset denegendum præmium vel honorarium: Grotius *de jur. bell. ac pac. lib.* 3. *c.* 6. *n.* 3. *&* c. 9. *n.* 16. ut tamen postliminio non indigerent, quæ non ab hostibus legitimis sed a Piratis fuissent recuperatæ, cum jus gentium nunquam impiis ejusmodi quarumcumque rerum direptoribus indulserit, ut in dominorum præjudicium dominii jura mutare possent: arg. l. 24. 27. ff. de captiv. & postlim. Loccenius *de jure matrimon. lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 4. Verum cum ex illo jure moribus introducto summum quandoque sequeretur incommodum & injuriarum occasio, dum nonnulli, in quorum erat potestate socios hostilibus eripere faucibus, abominanda correpti avaritia fraudulenter sese continerent, & sedato ac tranquillo sociorum calamitatem intuerentur animo, ut, elapsis viginti quatuor horis, res easdem captas recuperantes, illarum fierent pleno jure domini; interim sese sæpius cum præda proriperent inimici; visum fuit legislatoribus nostris nova constitutione sinistris hisce quorundam artibus occurrere, qua cautum est, ut nulla temporis, quo in hostium arbitrio naves captæ fuerint, habita ratione, quicunque prædam in mari inimicis iterum eripuerint, omnium illorum, quæ recuperaverint, bessem percipiant: *placit. Ordinum General.* 1. *Martii* 1632. *art.* 62. Quod eo tantum

in

in casu obtinere censet Groeneweg. *ad leg.* 2. *ff. de captiv. & postlim. revers.* si nondum in hostium præsidia delatum sit navigium, quod adhuc aliqua tunc superfuit recuperandi spes, alias deductam intra stationes carinam, ac deinde recuperatam, velut rem hostilem ad occupantes in universum pertinere, nec trientem pristinis reddendum esse possessoribus. Quamvis autem permissum omni jure sit, ad res captas ab hostibus recuperandas ipsorum portus navimque stationes armata manu intrare; ac velut talionis lege superata de novo expugnare & abducere navigia; nefas tamen est in sociorum extra partes constitutorum portus irrumpere, si forte contigerit hostes eo cum præda secessisse, ne contemni videatur hoc pacto amicorum majestas, & violentur ea, quæ jure gentium sancta sunt ac inviolabilia, quæque pacis publicæ privilegio gaudent, navium receptacula, uti id succincte docet Johannes Loccenius *de jure maritimo lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 6. *& seqq. & lib.* 1. *c.* 8. *n.* 4.

24 Quod si navis capta non armata quidem manu recepta sit, sed a tertio redempta infra justum forte pretium, liberum tertio redimenti non est, redemptum sibi reservare navigium, si nondum intra præsidia deductum sit; verum primo tenetur restituere domino illud exigenti; qui tamen doli removebitur exceptione, si redimenti nolit persolutum numerare pretium, licet redimens non ignoraverit rem captam ad municipem pertinuisse: *l.* 6. *l.* 12. *§.* 7. *de captiv. & postlim.* utiliter enim nihilominus domini gessit negotia, qui nunquam alias ablatam per hostes recepisset carinam: Thesaurus *quæst. forens. lib.* 2. *q.* 98. Unde &, si res pluribus communis redempta fuerit, & omnium nomine dominorum ei, qui redemit, pretium reddatur, in communionem res redibit. Si vero unius vel quorundam, non autem omnium nomine redimenti numerata sit ea, quam in redemptionem impendit, pecunia, ad eos quoque solos, quorum nomine soluti nummi, res recuperata revertetur: *l.* 12. *§.* 13. *ff. de captiv. & postlimin.*

CAPUT VI.

De privilegiis militum, & aliis quibusdam præter jus commune quoad milites constitutis.

1 *Quæ, & quibus competant militum privilegia?*
2 *Iis non gaudent supernumerarii milites.*
3 *Nec qui nomine tenus solummodo militant.*
4 *Qui propriis sumptibus militant, iis jure fruuntur.*
5 *Militi sine legitimo hærede morienti succedit vexillatio.*
6 *Res per alium empta militis pecunia fit militis, eique per procuratorem actio quæritur.*
7 *Pactum inter milites de futura successione validum est.*
8 *Militibus expeditionem facientibus hospitia præbenda sunt.*
9 *Juris ignorantia militi non nocet.*
10 *Quæ præcipua ratio sit cur militi non noceat juris ignorantia?*
11 *Num miles excusetur, si jura noverit, & tamen non observaverit?*
12 *Cujus juris ignorantia militi non noceat?*
13 *Absentia expeditionis causa militibus non obest.*
14 *Miles quomodocumque testari potest.*
15 *Miles dum lustrationi vacat in jus vocari nequit.*
16 *Quid si vocetur dum expeditionem suscipit?*
17 *Miles ad mortem condemnatus ex militari delicto testari potest.*
18 *Gratis a medico curandi milites.*
19 *Uxor mariti in expeditione versantis aut capti reditum moribus expectare tenetur, nec alteri nubere potest.*
20 *Milites & veterani propter debitum civile carceri includi nequeunt, & gaudent beneficio competentiæ.*
21 *Adversus quos debitores competentiæ beneficio tuti sint.*
22 *Milites & veterani personalibus, non autem ordinariis patrimonialibus exempti muneribus.*
23 *Si filii familias sint, habent castrense peculium, ejusque pleno jure Domini sunt.*
24 *Privilegium proponitur solis veteranis proprium.*
25 *Veteranus, qui missionis honestæ testimonium amisit, modo aliter de ea constet, aut præsumptio pro ipso militet, non privandus est privilegiis.*
26 *Post missionem infamia notatus non gaudet veterani privilegiis.*
27 *Milites veterani & ipsorum filii torqueri, aut plebejorum pœnis plecti nequeunt.*
28 *Num hodierni milites iisdem gaudeant privilegiis?*
29 *Specialia quædam in militibus constituta, quæ tamen ipsis non prosunt, enumerantur, veluti quod agrum comparare aut conducere, procuratores, fidejussores, accusatores, tributorum exactores &c. esse nequeant.*
30 *Quæ tamen hodie pleraque mutata.*

1 Post insignia, quæ modo recensuimus, fortitudinis præmia, non exiguam in virtutis militaris remuneratione partem constituunt, quæ militum contemplatione præter jus commune sunt introducta, ac privilegia vocantur: quamvis nonnunquam per privilegia designentur conceptæ de singulis e populo rogationes, qualis illa de Imperio Gnei Pompeii, de reditu Ciceronis, eo quod antiquiores Romani *priva* dicerent, quæ postea *singula* dicta sunt: Gellius *Noct. Attic. lib.* 10. *cap.* 20. Ordinata autem militiæ causa privilegia vel solos spectant milites, vel milites & veteranos, vel denique milites, veteranos, & ipsorum liberos.

2 Circa privilegia, quæ non ultra milites stipendia de facto merentes extenduntur, inquirendum paucis, quinam iis gaudere possint. Supernumerarios utique milites eorum participes esse non debere manifestum est ex *l.* 3. *C. de offic. magistri milit. l. fin. C. de apparit. magistr. milit.* quemadmodum enim supernumerarius collega, qui statutum excedit collegii numerum, ejusdem non fruitur prærogati-

vis,

vis: *l.* 1. §. 1. *Cod. de collegiatis*, *l.* 9. *C. de sacros. Ecclesiis*, §. 13. *instit. de excus. tutor.* Boer. *decis.* 26. *n.* 21. ita pari ratione nec supernumerarios militum jura singularia sibi vindicare fas est.

3 Multo minus ad illos privilegiorum delabetur emolumentum, qui nomine tenus solummodo milites existunt, nec re ipsa militiæ sustinent incommoda: cum enim dubium nulli sit, in periculorum & operæ, quam Reipublicæ navant, remunerationem militibus hæc esse concessa; evidens etiam est, illos, qui Reipublicæ commodo non invigilant, ab iis arcendos esse: Petrus Antibolus *tract. de muneribus* §. 4. *n.* 136. nudum quippe militiæ nomen omni carere debet effectu; nec quicquam juris illud tribuere cuiquam potest, quod revera nil nisi figmentum est: cum non entis regulariter juxta Philosophos nullæ sint affectiones: Niger Cyriacus *controv. forens.* 201. *n.* 43. & *n.* 98.

4 Quod si quis stipendia non mereat, sed gratis belli labores subeat & onera, huic nemo jure privilegiorum denegaverit usum: majori namque favore digni sunt, & excellentioribus ornandi præmiis, qui non tam lucri spe, quam quidem erga patriam amore stimulati vitam periculis exponunt, & quasvis superare conantur belli difficultates, parens ὁ μακαρίτης Paulus Voet *ad princip. inst. de testam. milit.* *n.* 2. Proinde etiam iis saltem utentur privilegiis, quibus illi, qui a Republica aluntur & armantur.

5 Jure autem singulari constitutum est, 1. quod militi absque testamento condito ac hærede legitimo morienti succedant ab intestato vexillationis ejus, in qua stipendia fecit, commilitones: *l.* 2. *l.* 3. *C. de hæredib. decurionum*. Cum de jure communi, non existente successore legitimo, fiscus universam tanquam vacantem occuparet defuncti hæreditatem: *l.* 1. *C. de bonis vacantibus*. Uno tamen casu fiscus, non commilitones, militi succedit, si scilicet ex militari flagitio condemnatus ad mortem miles aut centurio absque testamento decesserit: *l.* 13. *Cod. de testam. milit.*

6 2 Cum regulariter ejus quod sibi quisque comparasset licet aliena pecunia, dominus fieret, & nummorum domino nulla competeret ad rem emptam actio emptore invito, sed tantum ad pecuniam: *l.* 6. *Cod. de rei vindicatione:* Augustin. Barbosa *in collectan.* Brunemannus *ad d. l.* 6. si tamen militis pecunia rem suo nomine quis emerit, res militi acquiritur, eique datur utilis illius vindicatio: *l.* 8. *Cod. de rei vindicatione*: Connan. *lib.* 4. *comment. jur. civilis cap.* 17. *n.* 10. Pari ratione miles, ubi procurator nummos ipsius tertio cuipiam mutuo dederit, acceperitque fidejussorem, ipse sine cessione suo nomine tam in fidejussorem quam principalem debitorem ex mutuo condictionem intentare poterit: *l.* 26. *ff. de rebus creditis;* cum alias de jure Romano per procuratorem nemini quæreretur actio, nisi illa cessa fuisset: *l.* 8. §. *fin. ff. mandati*.

7 3 Certum est invalidum esse de futura successione pactum, nec eo quemquam obligari: *l.* 15. *C. de pactis;* sic ut ejusmodi conventio ne donationis quidem mortis causa vim habeat aut effectum: *l.* 19. *Cod. de pactis;* sed vel ad hæredes anteriori scriptos testamento devolvantur res hæreditariæ, vel legitimi succedant ab intestato jus habentes, ac proinde frustra quis eo solo nixus, defuncti semet immisceat hæreditati. Ac si pactum ejusmodi inter se milites iniverint, quo qui supervixerit, alterius rebus potiretur, postremi judicii (quod Principalium constitutionum prompto favore firmatur) vim obtinebit: *d. l.* 19. Idque non modo ratum erit, si milites in procinctu stantes & ad prælium parati sic inter se pacti fuerint; sed & si in castris illos conventionis tempore fuisse probetur: Peregrin. *de fideicommiss. ar.* 51. *n.* 33. Fusarius *de substitutionibus quæst.* 508. *n.* 42.

8 4 Ad hæc, cum jure communi nemo, qui cauponam non exercet, invitus compelli posset, ut hospitem intra domesticos reciperet parietes; si tamen miles expeditionem cum exercitu pro Republica susceperit, ei ubique præstari debent ab incolis hospitia: *tot. tit. Cod. de metatis & epidemetic.* paucis admodum huic onere exemptis, quales sunt grammatici, philosophi, oratores, archiatrii palatii, medici, literarum magistri, pictores ingenui, fabricensium, virorum consularium domus: *lib.* 4. 8. 10. *Cod. dict. tit. lib. fin.* §. *fin. ff. de munerib. & honorib.* In universum autem ab hospitiis præbendis immunes erant cives Romæ degentes; quod si enim Romam milites ab expeditione reverterentur, in muri turribus assignabatur singulis commorandi locus: *l.* 7. *Cod. de metat. & epidem.*

9 5 Præterea, cum Principum constitutiones ignorare vel dissimulare nemini impune foret: *l.* 12. *Cod. de jur. & fact. ignor.* si nihilominus juris ignorantia lapsus miles jure competentem non opposuerit exceptionem, condemnatus eam post sententiam poterit objicere, tametsi illius inchoata jam esset executio: *l.* 1. *Cod. de jur. & facti ignor.* Hanneton. *de ordine judicior. par.* 2. *c.* 8. *n.* 15. Coterus *de jure & privil. lib.* 2. *c.* 35. Vel si commilitonis non adierit hæreditatem, illud sine venia parentis non licere putans, non cedet interim aditionis dies: *l.* 9. §. 1. *Cod. de jur. & fact. ignor.* Aut si vice versa temere relictæ semet immiscuerit hæreditati, neglectis forte inventarii solemnitatibus ac subtilitatibus, non tamen ultra vires hæreditarias obligabitur defuncti creditoribus: *l. fin. Cod. de jure deliberandi:* Raguellus *in comment. ad decis. Justinian. ad d. l. fin.* §. *fin.* Quin & omissa per militem professione rerum, quarum nomine vectigal debetur, non ideo res cadet in commissum, eo quod miles justa præsumitur lapsus ignorantia, quæ proinde neutiquam ei nocere debet: *l.* 5. *Cod. de vectigal. & commiss.* Ideoque publicani militibus ultro denunciare tenentur, quantum portorii nomine persolvendum sit, quo casu non jure miles solutionem detrectare valet: *d. l.* 3. *Cod. de vectigal.* Cujus contrarium obtinet in paganis, qui a commissi pœna non liberantur, licet pro mercibus importatis vectigal esse pendendum ignoraverint: *l.* 16. §. 5. 6. *ff. de vectigal. & commiss.* Eadem de causa si indebiti condictione miles agat, contra receptam juris formam rejicit in adversarium onus probandi pecuniam debite solutam esse: *l.* 25. §. 1. *ff. de probationib.* Quid si tamen partem tantum pecuniæ miles asserat indebite solutam esse, vel debitos quidem

dem jure fuisse nummos, verum errore facti lapsum se bis idem eadem de causa numerasse, vel exceptione tutum esse, illud juxta communem juris regulam probare tenetur: *d. l.* 25. §. 2. Insuper si quid in testamento miles sibi adscripserit, in pœnam legis Cornel. de falsis non incidit, quia magis juris ignorantia quam malitia sibi censetur adscripsisse: *l.* 5. *Cod. de his qui sibi adscripserunt in testam.*

10 Hujus autem privilegii ratio non est directe ac per se juris ignorantia; hoc enim si quis statueret, is præmio pariter decorandum diceret hominis defectum, quod absurdum: occasionem quidem aliquam ad hoc decernendum præbuit sagatorum ignorantia, quippe qui simplicitate gaudent: *d. l.* 25. *ff. de probation.* ac arma magis quam jura scire tenentur: *l. fin. in princip. Cod. de jure deliberandi*; sed præcipua causa est, quod armis solis incumbentes, peritiores in castris consulere non possunt: *l.* 10. *ff. de honor. possessionibus*; neque cuiquam leges hanc imponant necessitatem, ut ipse per se callere jura teneatur. Quamobrem si miles eo loci degat, ubi jurisperitorum copia est, neque armis admodum occupatus sit, non juris ignorantia, sed negligentia potius quicquid agendum erat, omisisse censebitur: Radelant. *decis. cur. Ultraject. decis.* 80. *n.* 3.

11 Verum quid si miles jura novisset (evenire namque potest, ut quis legum doctor reiicia togata ad armatam sese conferat militiam) nec tamen in procinctu stans adamussim ea servasset, ideone cessabit in ipso hoc nostrum militare privilegium? affirmat illud Acacius Enenkel. *de privileg. milit. lib.* 2. *n.* 20. Sed rectius opinionis negantis suscipiendam esse defensionem puto, cum Wilhelm. Luwell. *ad princip. instit. de testament. milit. n.* 2. *arg. l. fin. ff. de testam. milit.* quid enim? pœnamne merebitur eruditio? & damnosa cuiquam erit divinarum atque humanarum rerum scientia? an ne concessa militibus privilegia propter peritiam ipsis adimentur, & cassa erunt ac frustranea? absit. At, inquies, scire leges potuit, adeoque sua culpa lapsus est, imputet proinde sibi, quod non diligentius obtemperaverit legum constitutionibus. Respond. non sufficit, quod miles scire leges potuerit; quippe, ut inquit Andr. Gayl. *lib.* 2. *observat.* 118. *n.* 7. causa finalis, cur milites a stricta juris observatione liberentur, est ipsa expeditionum necessitas & armorum cultus, ac cessante demum illa causa finali, cessat privilegium, non item cessante sola imperitia; proinde præter scientiam & idoneum requiritur tempus atque locus, ubi secundum illas quicquid agendum est apte miles possit dirigere: ast cum in procinctu stat, tempus & occasio religiosam illam & anxiam non fert juris civilis observationem, nec legum perpendere subtilitates, aut a jure præscriptas examinare regulas, sed de solis armis ac victoria strenuus in bello miles in acie stans cogitare tenetur; ut solis armis vacaret, non privatis occuparetur negotiis, disertis verbis rescripserit Imperator: *l.* 31. *C. locati* p. m. parens Paulus Voet *in comment. ad princip. instit. de test. milit. n.* 4. Manzius *ad §. fin. in fine n.* 31. *instit. de testam. milit.*

12 Cum autem Principum constitutiones non solo constent jure civili, sed & ex naturæ ac communibus omnium aut utique moratiorum gentium legibus conflatæ sint: §. 4. *instit. l.* 1. §. 2. *ff. de justitia & jure*, temerarium foret, si quis assereret, ominium, quæ subjectis injunxit legislatoris auctoritas, justam a militibus ignorantiam opponi posse. Sic itaque statuendum censeo, ut, si miles adversus leges mere civiles circa ejusmodi quid præcipientes negotia, quorum intuitu nihil vel naturæ vel gentium disposuere jura, inscitia lapsus commiserit, excusationem mereatur, & hactenus extendatur militare privilegium. Quod si vero tale quid admiserit, quod improbant moratiores plerique populi, quodve injustum esse ipsius naturæ dictat instinctus, venia indignus sit, cum gravis nimium præsumptio militet adversus allegantem his in casibus ignorantiam: ideoque nec sagatus a quinquaginta aureorum pœna liber erit, si parentem sine venia prætoris in jus vocaverit, quia naturæ gentiumque jure parentibus præstanda reverentia: *l.* 2. *ff. de justit. & jure*, *l.* 2. *Cod. de in jus vocando*. Multo minus excusabitur delinquens; in tantum ut durius potius ac atrocius ei infligatur supplicium, nullus enim ignorare potest, pœnas illico sequi delicta, nulloque jure crimen in peccantibus impunitum manere.

13 6 Illud etiam militum favore præter ordinarias juris regulas est introductum, quod per ea tempora, quibus in expeditione versantur, non currat adversus ipsos longi temporis præscriptio: *l.* 3. *Cod. de restitut. milit. & eor. qui Reip. caus. absunt*, *l. fin. C. quibus non objicit long. temp. præscrip.* uti nec tempus illud, quo in integrum restitutio foret impetranda: *l. fin. C. de restit. milit. & eor. qui Reipubl. caus. absunt*: Brunemann. *ad d. l. fin.* Boecerus *tract. de bello cap.* 16. *in fin.* dum enim in expeditione sunt, nec a signis sine periculo possunt discedere, Reipublicæ causa abesse censentur: *l.* 7. *l.* 45. *ff. ex quib. caus. majores &c.* Unde &, si quid de bonis eorum diminutum fuerit, vel actione aliqua ipsis competente debitor sit liberatus, in integrum restituuntur: *l.* 2. *Cod. de restit. mil.* Quin imo nec propter debitum civile ipsorum bona subhastari queunt, si sine dolo Reipublicæ causa absentes arbitratu boni viri non defendantur; sed ex judicati causa possessione creditori concessa, in id tempus differenda venditio, quo abesse Reipublicæ gratia desierint: *l.* 5. *Cod. de restitut. milit.* Quod si defuncti creditoris hæredes illa bona, quorum possessio creditori fuerat indulta, distraxerint, rescissa venditione militi, oblato debito vel pretio, per in integrum restitutionem succurritur: *l.* 6. *Cod. eod. tit.* *Ajala de jure & offic. bell. lib.* 3. *c.* 7. *n.* 4. Cæterum perpetuum non est in integrum restitutionem petendi tempus; verum si intra annum utilem a reditu miles eam non impetraverit, frustra postea se restitui desiderabit: *d. l.* 2. *Cod. de restit. milit.* Quin tamen jure novissimo possit intra quadriennium continuum a prætore postulare extraordinarium restitutionis remedium, dubium non est; cum in omnibus restitutionibus anno utili quadriennium successerit continuum: *l. fin. C. de temp. in integr. restitut.*

14

14 7 Non exigui quoque momenti res est, quod miles, dum in expeditione versatur, quocunque modo, etiam testibus non adhibitis ultimum condere possit elogium, si modo de suprema ipsius voluntate constet: *tot. tit. instit. ff. Cod. de testam. milit.* cum ad Pagani testamentum multa requirerentur solemnia, septem testes, specialiter ad hoc rogati, eorum subscriptio, subsignatio & alia, de quibus *tit. instit. ff. & C. de testamentis ordinandis*. Ne autem in amplissimam me diffundam de testamentie materiam ad ea enumeranda, quæ jure singulari militiæ contemplatione circa ordinandas supremas militum voluntates constituta sunt, veluti, quod miles filium suum præterire, parentes exhæredare impune possit pro parte testatus, pro parte intestatus, aut pluribus relictis testamentis decedere; liberis substituere, licet nullum sibi fecerit testamentum; ex certo tempore, ad certum tempus aliquem hæredem scribere, & alia multa; consuli poterunt hac de re latissime tractantes, Bocerus *de bello a cap.* 19. *usque ad c.* 24. Coteræus *de jure & privileg. milit. lib.* 2. *d. cap.* 22. *ad cap.* 22. Acacius Enenckel *de privileg. milit. l.* 2. *privileg.* 10. P. m. parens Paulus Voet *in comment. ad tit. instit. de testam. milit.*

15 8 His adde, quod miles, dum lustrationi vacat, a creditoribus propter debitum civile nequeat in jus vocari: *l.* 2. *ff. de in jus vocan.* ubi Ulpianus inquit, eum, qui equo publico in causa publica transvehitur, in jus vocari non posse, ne scilicet inde Respublica quid detrimenti caperet: solebant enim equites idibus quintilibus in Capitolium transvehi, ut ita cognosci ac proberi possent ordines equestres; ideoque in *d. l.* 2. pro *in causa publica* legendum esse *in capitolium*, & ex notorum similitudine, quibus olim hæc duo designabantur, lapsum fuisse Tribonianum existimet Revardus *Varior. lib.* 2. *cap.* 15. ubi multis de hoc transvehendi modo disputat.

16 An autem & in eo, qui pro Republica suscepit expeditionem *d. lex* 2. *ff.* de in jus vocando locum habeat, quæri posset? Eum quidem, si violentum illud apud veteres, ad tribunal prætoris raptim rapiendi ex lege 12. tabularum morem spectemus, quo volens nolens obtorto collo in jus trahebatur (ita enim ibi cautum reperitur: *si calvitur, pedemve struit manum endojacito*) in jus vocari non posse censeo; cum sit æque grave, si non majus Respublica sentiat incommodum, quam si a lustratione miles in jus raperetur. Verbalem vero quod attinet in jus vocationem, ea quin legibus permissa sit, nullus dubito, neque enim a militiæ muneribus hoc pacto miles evocatur; si namque judicio sese non stiterit, condemnatur quidem, sed justam producens absentiæ causam restituitur. Neque quicquam hisce obstat, quod testimonii perhibendi gratia nequeat a signis vel muneribus distrahi miles: *l.* 3. *§. fin. ff. de testibus*; aut si in eodem loco, ubi una cum cohorte vel legione commoratur, ad asserendam veritatem fuerit invitatus, invitus tamen compelli non possit, ut testimonium dicat: *l.* 8. *ff. eod. tit.* unde sequi videretur, multo minus militem verbaliter in jus vocari posse, non inquam, obstat; cum enim ad veritatis fidem adstruendam miles adhibetur, de necessitate sistere se coram judice tenetur, ut ad interrogata respondeat, adeoque non minus militaria per id tempus intermittuntur negotia, & ab armis miles avocatur, quam si realiter injecta manu in jus vocatus esset. Illud autem, ut jam dixi, cessat in eo qui verbaliter tantum ad tribunal judicis vocatus est.

17 9 Insuper speciali jure circa milites statutum, ut si ex delicto militari, quod fidem ruptam non continet, ad ultimum fuerint damnati supplicium, super bonis castrensibus iis permittatur jure militari testamentum condere: *l.* 6. *§.* 6. *ff. de injust. rupt. irrito &c. & l.* 15. *Cod. de testamen. milit. l.* 11. *ff. eod. tit.* p. m. parens Paulus Voet *ad §.* 5. *instit. de testament. milit.* cum aliòquin Pagani gladio vel alteri, quæ vitam adimit, addicti pœnæ testari nequeant; aut si de bonis ante reatum disposuerint, lata mortis sententia rumpatur illico atque irritetur eorum ultima voluntas: per sententiam namque pœnæ servi fiunt, quibus ademptum est omne liberum circa res suas arbitrium: *d. l.* 6. *§.* 6.

18 10 Quin & hoc inter militum prærogativas jure quis retulerit, quod ex Aureliani Cæsaris edicto miles ægrotans aut ex vulnere decumbens gratis a Medico curari debeat: Flavius Vopisc. *in Aureliani vita*. Quæ consuetudo & olim penes Ægyptios invaluerat: ibi enim medici publicis victitabant impensis, eaque de causa, prohibita salarii exactione, milites morbo laborantes sanare cogebantur: Diodor. Sicul. *histor. lib.* 2. durum quippe, iniquum, & a crudelitate vix remotum fore censuerunt legislatores, præter ægritudinis incommoda, gravesque vulnerum dolores insuper ad persolvendas medicis pro opera præstita mercedes obligari sagatos, quorum universos norunt in Reipublicæ utilitatem redundare labores: Julius Ferrettus *de re milit. pag.* 50. *n.* 41.

19 11 Eximium denique militum privilegium est, quod mulier mariti in expeditione versantis teneatur expectare reditum, nec ad secundas ei concedetur provolare nuptias ac conjugii fœdera, nisi de mariti morte jurato deponant illius numeri chartularii, in quo militavit: inter quorum testimonium ac secunda vota nihilominus anni debet intercedere spatium. Quod si mulier hæc non observaverit, ipsa & secundus maritus adulterii plectendi supplicio: *Novell.* 117. *cap.* 11. At si primus ab hostibus captus sit maritus, reversus uxorem postliminii jure non recuperat, nisi & mulier voluerit, & adhuc alteri post constitutum tempus nupta non sit: *l.* 8. *ff. de captivis & postlim.* adeo ut de novo contractum videatur conjugium, vel potius matrimonium consensu redintegretur: *l.* 14. *§.* 1. *ff. de captiv. postlimin.* Quod tamen Justinianæo jure quodammodo mutatum est *Novell.* 22. *cap.* 7. qua constitutum, ut quamdiu quidem manifestum est captivum superesse, maneant integre & inviolate matrimonii jura, nec impune liceat mulieri ad secundas aspirare nuptias; quæ si nihilominus ausu temerario videri voluerit hoc egisse, dotis amissione plectetur. Si vero dubium sit, utrum is, qui in hostium devenit potestatem, etiamnum supersit; post quinquennii spatium sine periculo nubere licebit: *d. novell.* 22. *cap.* 7.

7. At id hodie in militibus ab hoste captis non ita obtinet; captivus enim, qui credebatur obiisse diem, si post longum tempus reversus uxorem invenerit alteri connubii nexu sociatam, eam sibi vindicare poterit, dissolutis secundi thori vinculis; uti in Belgio fœderato judicatum fuisse refert Reidanus annal. lib. 18. *Bommelianus*, inquit, *ante annos viginti duo captus, gravidam uxorem reliquerat, ex qua filiam, nunc maritatam & conjugem suam alteri nuptam reperit, quæ secundum deserere maritum compulsa;* idque juri divino magis conveniens est, juxta quod nullæ sunt dissolvendi matrimonii causæ legitimæ, si non adulterium & malitiosa conjugis alterius desertio: 1. *Corinth. cap. 7. vers. 5.* quæ de captivo qua captivo non præsumuntur.

20 Communia veteranis ac militibus privilegia sunt 1. quod si debitum contraxerint, a creditoribus ad consequendum debitum carceri mancipari nequeant, aut universum ipsis auferri patrimonium, verum condemnati gaudeant competentiæ beneficio: *lib. 7. ff. de castrens. pecul. lib. 6. lib. 18. ff. de re judicata:* Menoch. *arbitrar. judic. lib. 1. quæst.* 88. *n.* 8. Bocerus *tract. de bello cap. 16. n.* 5. Quod quoad fœnoris exactionem etiam justum & æquum crediderunt olim Ægyptii, teste Diodor. Siculo histor. lib. 1. *absurdum enim esse censebant*, inquit, *militem, qui pro patria se periculis objiciat, propter fœnus a creditore, si ita contigerit, in nervum abduci, & ob privatorum avaritiam, communem omnium salutem in discrimen venire.*

21 Cæterum extra controversiam positum est, illud competentiæ beneficium militibus ac veteranis non esse denegandum, si propter debitum ab actore conveniantur in re lauta constituto. Sed quid si paupertinus quis omnium egenus adversus eum impetraverit a judice sententiam, eone in casu miles condemnatus tantum bonorum retinebit ne egeat? Negandum illud omnino videtur; cum iniquum sit & inhumanum, res mihi debitas, dum omnium inopia laboro, & summa premor egestate, justi debitoris inservire commodo, & ingenti meo cum detrimento alium lucrari bona fide creditum: *argum. l. 6. de servitute & aqua:* Zoesius *ad tit. ff. de re judicata n.* 156. Præsertim cum juris regula dictet, melius esse rebus in obscuris favere repetitioni quam adventitio lucro: *l. 41. §. 1. ff. de Reg. juris.* Quid si militem miles convenerit, condemnatusne contra commilitonem competentiæ fruetur beneficio? verior est negantium sententia juxta vulgatissimum illud juris axioma, quod privilegiatum adversus æque privilegiatum suo non uti posse privilegio dictat: *l. 8. ff. de excusat. tutor.* San. *decis. Frisic. lib. 1. tit. 1. definit.* 2. Præsertim si is, qui privilegio tutus esse desiderat, agat de lucro captando adversus eum, qui de damno evitando contendit, uti hoc nostro casu: Augustin. Barbosa *axiomat. jur. usufrequenti* 190. *n.* 1. 2. *ibique DD.* Zoes. *ad tit. ff. solut. matrim. n.* 25.

22 2 Cum triplicium in jure nostro munerum fiat quandoque mentio, quorum quædam personalia sunt, quæ solam personæ requirunt industriam; quædam patrimonialia, quæ bonorum desiderant collationem; quædam denique mixta, in quibus & industria personæ & impensæ pariter exiguntur; certum est, neque militem, neque veteranum ad subeunda munera personalia compelli posse: *l. fin. 1. ff. de veteran. l. 3. Cod. de his qui non implet. stipend. l. 8. ff. de excusat. tutor. l. 9. Cod. quando provoc. non est necesse l. 1. Cod. de veteranis:* Bocerus *de tract. de bello v. 16. n.* 9. Nec amittit veteranus immunitatis jura, si sua voluntate munus susceperit; verum nihilominus in aliis privilegium & excusationes allegare valet: *l. 2. ff. de veteranis.* Solis tamen veteranis immunitas hæc proprie privilegii loco est, at militibus, qui etiamnum stipendia merent, ea sic competit, ut ne volentes quidem admittantur ad subeunda munera personalia, seu quemadmodum alibi Imperator inquit, ut ambientibus claudatur ingressus, & invitis necessitas auferatur. Proinde ad tutelæ munus miles non admittitur: *§. 14. instit. de excus. tutor.* Patrimonialia quod spectat munera, ab iis regulariter immunes non sunt veterani: *l. 2. l. 4. ff. de veteranis;* adeoque naves eorum angariari possunt: *d. l. 4. §. 1.* & octavas vectigalium nomine pendere coguntur: *l. 7. Cod. de vectigal. & commiss.* Martin. Laudens. *tract. de milite quæst.* 10. Nec obstat *l. 1.* C. de veteranis, ubi Constantinus Imperator omnibus civilibus videtur veteranos exemisse muneribus, *ne quis*, inquit, *eorum* (sc. veteranorum) *in ullo munere civili, nec in operibus publicis conveniatur, nec ulla collatione, nec a Magistratibus, nec vectigalibus, in quibuscunque nundinis interfuerint, ullam ob venditionem proponendam dare debebunt:* hic enim Constantinum munerum civilium appellatione tantum personalia designare voluisse munera constat, ita quippe in eadem *l.* 1. se paulo post explicat, cum ait: *sed etiam nullo munere civili, id est corporali seu personali, vel deportatorio onere eos affici concedimus.* Tributum autem illud, quod ob venditionem proponendam ab iis Imperator exigi vetat, extraordinarium erat patrimoniale munus, & venalitium appellabatur: *l. 4. C. de proximis sacror. scrinior.* ubi Gothofred. in not. inquit, venalitium esse vectigal, quod exigebatur a venditore ob venditionem proponendam, ac propter servos venales pendebatur: unde & venalitios, & venalitiarios dictos fuisse mangones, qui mancipia Romæ vendere solebant, ex Cicerone & Suetonio probat Cujacius *observ. lib. 10. cap.* 6. Militiæ itaque labore conquisita veteranis dignitas extraordinariurum quidem munus ignorat: firmum tamen permanet ab ordinariis patrimonialibus eam immunem non esse, excepta capitatione: *l. fin. §. 20. ff. de muneribus*, & paucis forte aliis mixtis: Acacius Enenkel. de *privileg. veter. priv. 1. & de priv. mil. lib. 2. priv.* 50.

23 3 Cum olim filiifam. & servi pariter in eadem essent conditione quoad bonorum acquisitionem, adeo ut quicquid acquirerent, id illico patri vel domino cederet, ac ne momento quidem in filiifam. vel servi persona consistere posset acquisitum: *§. 1. inst. per quas person. cuique acquiritur l. 79. ff. de acquir. vel omit. hæredit.* si tamen filiusfam. nomen militiæ dederit, ipsi castrense concessum legibus est peculium, quod etiam veteranus factus post emerita stipendia retinet, nec jus ullum in illo patri

tri quæritur vi patriæ potestatis: §. 1. *instit. per quas person. cuique acquirit. l.* 10. *l.* 12. *ff. de castren. peculio: l.* 3. *Cod. eod. tit. l. fin. C. de inoff. testament.* illius enim peculii contemplatione pro patrefam. habetur: *l.* 2. *ff. Senatusconsul. Maced.* unde & Juvenalis satyra ult. ait:

Solis præterea testandi militibus jus
Vivo patre datur, nam quæ sunt parta labore
Militiæ, placuit non esse in corpore census.

Castrensi autem peculio non præda tantum ac stipendium comprehenditur, sed illud omne, quod armata militia, vel ejus occasione miles acquisivit, quodque, si non militasset, nunquam ad eum fuisset devolutum: *lib.* 6. l. 11. *ff. de castrens. pecul.* Boer. *tract. de bello c.* 16. *n.* 17. p. m. Paulus Voet *ad* §. 1. *instit. per quas person. acquirit.* Proinde & hæreditas militiæ intuitu delata militi castrensi peculio annumerabitur: *l.* 5. *l.* 16. §. 1. *ff. de castrens. pecul.* quodque mulier mariti filio militi reliquit ad castrenses seu militares res comparandas: *l.* 3. *ff. eod. tit.* illud insuper, quod patre concedente filiusfamilias secum in castra tulit: *l.* 4. *d. tit.* omnia denique mobilia, quæ militi in castra tendenti a patre, matre, propinquis vel amicis donata sunt: *l.* 1. *Cod. de pecul. castrens. milit.* Cæterum ut hæc omnia filiofam. militi pleno jure quæruntur, ita etiam quocunque modo, vel actu inter vivos, vel ultima voluntate citra parentis consensum in alium ea transferre potest: *l.* 2. *C. de castrens. pecul. l.* 7. §. *fin. ff. de donationibus, lib.* 11. *ff. de testament. milit. princip. instit. quib. non est permiss. facere testam.* & hinc inter patrem & filium ejus respectu quandoque lis est: *l.* 4. *ff. de judiciis*, patremque filius in jus vocare non prohibetur, impetrata prius agendi venia: *l.* 4. §. 1. *ff. de in jus vocando*, & subsistit ac effectum sortitur inter patrem & filiumfam. donatio: *l.* 4. *ff. de castrens. pecul. l.* 4. *Cod. famil. erciscund.* Quin & contra communes juris constitutiones ad castra tendenti marito valide donat uxor: *l.* 6. *ff. de castrens. peculio*, si modo ficta non sit ad eludendas leges castrorum causa: veritatem enim spectamus, inquit Ulpianus, an vera castrensis notitia vel affectio fuit, non quod quis finxit: *l.* 8. *eod. tit.* Illius quoque nomine filiusfam. citra patris consensum adversus tertium actionem instituere potest: *l.* 4. §. 1. *ff. l.* 2. *Cod. de castrens. peculio.* Denique defuncto patre filius peculium castrense fratribus conferre non tenetur in dividenda patris hæreditate, idque præcipuum esse oportere, multis constitutionibus continetur: *l.* 1. §. 15. *ff. de collatione l.* 4. *C. famil. erciscundæ.*

24 Atque hæc veteranis ac militibus communia sunt privilegia: solis insuper veteranis datum, ut præsidibus ultra portas occurrere non cogantur, habitent ubi voluerint, ad curias, ad collegia non vocentur inviti, nec descriptiones præbeant consuetudinum vel spectaculorum nomine, unam domum habeant liberam ab omni recipiendorum militum supervenientium onere: *l.* 1. *C. quib. muner. excus. hi qui post implet. milit. &c.*

25 Utrum autem privilegiorum veteranis indultorum particeps futurus sit qui casu vel negligentia militare missionis amisit testimonium, disquiri solet? Quod affirmandum censeo, si modo per testes aliasque probationes satis evidentes constare possit, honeste stipendiis emeritis eum sacramento solutum fuisse; cum sufficiat, ut qualicunque modo de missione constet: *l.* 7. *C. de fide instrumentor.* Quid si nec aliæ sufficientes suppetant missionis probationes, & tamen is, qui honeste se missum asserit, aliquamdiu palam veteranorum usurpaverit prærogativas? Etiam in posterum iis uti non prohibebitur, donec eum veteranum non esse probatum fuerit: ea namque quasi possessio efficit, satis magnam pro eo, qui veteranum se dicit, militare præsumptionem, ut a probationis liberetur onere, illudque in adversarium rejiciat: Tiraquell. *de jure primog. qu.* 17. *opin.* 11. *n.* 21.

26 Quid si versa vice de honesta missione clare liqueat; sed misso postmodum ex aliquo delicto communi irrogata fuerit ignominiæ macula, illene veteranorum gaudebit privilegiis? Negandum id videtur; cum infamis ne miles quidem esse possit, proinde nec veteranus: qua enim obsecro ratione militaribus fruetur prærogativis, qui ab obeunda militia sic remotus est, ut nec volens admittatur? enim in casum veterani infamia notati negotium incidit, a quo incipere non potest, unde & amittit veterani jura: *arg. l.* 16. *ff. ad leg. Aquil.* Petrus Antibolus *tract. de munerib.* §. 4. *n.* 59.

27 Tandem ad milites, veteranos, & ipsorum liberos spectans privilegium est, quod per torturam nequeat ab iis inquiri facti veritas, quodque plebejorum pœnis subjugari non possint in causis criminalibus: neque enim in metallum, aut ad opus publicum, aut ad bestias damnantur, nec furcæ metuunt supplicium: *l.* 8. *C. de quæstion. l.* 3. §. 10. *ff. de re milit. l. t. l.* 3. *ff. de veteranis:* Clarus *lib.* 5. *sent.* §. *fin. quæst.* 64. n. 18. Franc. Brunus, *de tortura part.* 2. *q.* 4. n. 19. Frustra tamen ultra filios quispiam illud ad nepotes extenderit; cum in solis eminentissimorum ac perfectissimorum virorum nepotibus & pronepotibus locum habeat, si prioris gradus liberos, per quos id privilegium ad ulteriorem gradum transgreditur, nulla violati pudoris macula aspergat: *l.* 11. *C. de quæstion.* Acacius Enenckel. *de privil. milit. lib.* 2. *privil.* 27. *n.* 3.

28 Disputant autem plerique juris interpretes num & nostri temporis militibus eadem tribuenda sint privilegia, quæ quondam Romanis concessa civibus expeditionem pro Republica suscipientibus? quod utique simpliciter affimari nequit; cum a quibusdam Romanorum legibus, quæ contraria sunt antiquatæ consuetudine vel lege, recessum esse, testetur Christinæus *tom.* 5. *decis.* 149. n. 53. Atque ita milites hodiernos quæstionibus ac torturis non eximendos, si ad illas adhibendas in inquirenda veritate sufficientia facti reperiantur indicia, auctores sunt Farinacius *tract. de indiciis & tortur. lib.* 1. *tit.* 5. *qu.* 39. n. 31. *& seqq.* Jul. Clarus *sentent. lib.* 5. §. *fin. quæst.* 64. n. 18. Anton. Matthæus *tract. de crimin. lib.* 48. *tit.* 16. *cap.* 2. *num.* 7. Wissenbach *ad pandect. disput.* 37. *num.* 6. Groenewegen *de leg. abrog. ad l.* 8. *C. de quæstionibus.* Sublato etiam moribus peculiorum usu ac distinctione, cessant

saut

sant & quæ quondam militibus competebant inde promanantes prærogativæ. Allegationes insuper simplicitate juris omissas a militibus post condemnationem hodie proponi posse negat Groenewegen *de ll. abrog. ad l. 1. Cod. de jur. & facti ignorant.* easque defensiones omissas in appellationis causa producere debere censet; in appellatione namque novas probationes & allegationes coram judicibus inferioribus non ventilatas adhiberi posse, manifesti juris est. Quod si tamen militis imperitia elapsa fuerint appellationis fatalia, sic ut appellandi remedium ipsi sit interclusum, nullus dubito, quin facilius sagatus quam quidem alii adversus lapsum fatalium impetraturus sit in integrum restitutionem. Præterea res militum, quarum nomine neglecta vectigalium solutio, in commissum hodierno jure cadere docet Antonius Matthæus *tract. de auction. lib.* 2. c. 7. *num.* 32. Ast in ejus locum luculentius aliud ac pinguius surrogatum est privilegium: neque enim (ut ibid. inquit Anton. Matthæus) in expeditione degentes publicanum metuunt, quem leges militares omnino castris exegerunt; & eorum, quæ in castris venduntur, nullum solvitur vectigal: quod tamen non ante locum habebit, quam Ordinum Generalium decreto publico promulgata fuerit vectigalium immunitas ad exercitum proficiscentibus ac omnigenas eo merces deferentibus.

Reliqua pleraque quod spectat privilegia, ea quoque moribus ad hodiernos in expeditione pro Republica versantes pertinere milites asserunt: Martin. Laudensis *tract. de milite qu.* 5. Andr. Gayl. *lib.* 2. *observ.* 118. *n.* 2. 3. August. Barbos. *in collectan. ad l.* 31. *C. de locato num.* 6. Gudelin. *de jure novissim. lib.* 5. *cap.* 21. Zoesius *ad tit. ff. de re militari n.* 7. Brunemann. *ad l.* 1. *C. de jur. & facti ignorant.* eædem enim pro militibus hodiernis militant rationes, quæ quondam ad privilegia concedenda Romanos stimularunt; æqualia nostri subeunt pericula, nec minus Reipublicæ prodesse satagunt: ideoque quoad testamenti factionem in expeditionibus non admodum præcise solent observari juris solemnitates: Bocerus *de bello cap.* 26. *p.* m. parens *ad §.* 6. *instit. de testament. milit. num.* 3. nec condemnati milites ultra quam facere possunt teneantur, competentiæ gaudentes beneficio: Groeneweg. *ad l.* 6. *ff. de re judicata.*

29 Vidimus hactenus, quænam militum sint privilegia; supersunt alia quædam præter jus commune quidem in militibus constituta, quæ nullum tamen iis commodum adferunt, aut emolumentum, proinde nec proprie privilegii veniunt appellatione: veluti quod uxorem vel familiam secum in exercitum ducere prohibeatur, nisi ad id a Principe veniam impetraverit: *l.* 10. *Cod. de re milit.* nec cum illius provinciæ muliere nuptias contrahere possit, in qua stipendia meret, nisi forte militet in patria: *l.* 65. *ff. de ritu nuptiarum;* nec cum alia quam cum ingenua matrimonium inire: *l.* 21. *C. de nuptiis.* Agrum quoque comparare vel suo vel alieno nomine nequit in ea provincia, in qua bellicis insudat laboribus, antequam stipendia impleverit, & in fiscum redigetur acquisitum hoc pacto prædium; nisi forte paterni a fisco distraherentur agri: ne scilicet agriculturæ studio a militia avocetur, & omisso armorum usu ad ignobile & sordidum opus rusticum se conferat: quæ ratio cum cesset in urbanis prædiis & agris in alia sitis provincia, tuto quoque sibi illos acquiret: *l.* 9. *l.* 13. *ff. de re milit. l.* 15. *C. eod. tit.* Quod si tamen a provinciali quopiam hæres scriptus fuerit miles, ibi prædia possidere non prohibetur: *d. l.* 9. §. 1. cum hæreditatis delatæ ratione quandoque nonnulla permittantur, quæ alias illicita forent: *lib.* 1. §. 12. *ff. ad leg. Cornel. de falsis;* eo quod ultimæ voluntates sunt favorabiles, & Reipublicæ interest, effectum sortiri suprema morientium elogia. Quin etiam si, dum stipendia meret, agrum in eadem emerit Provincia, neque tamen ideo mota ei a quoquam fuerit controversia, post impleta stipendia nec res empta deferri, nec dominus inquietari potest: *d. l.* 9. *l.* 13. *ff. de re milit.*

Sicut autem agrorum emptio iis est interdicta, ita nec alienorum prædiorum conductores esse possunt, sive illa urbana fuerint sive rustica: *l.* 31. *l. fin. C. de locatione*, ne viciniis graves præsumptione cinguli militaris existant, neve armorum atrocitatem non in hostes ostendant, sed contra miseros provinciarum colonos, dum ad hæc sordida veniunt ministeria, & relictis studiis publicis signisque victricibus, ad alienarum rerum conductiones prosiliunt. Unde & in *d. l. fin.* hanc in illos pœnam decernit Imperator, ut ex ipso conductionis contractu sine prævia judicis sententia militiam amittant, ex militibus pagani, ex decoratis infames constituantur, & quicquid a publico acceperint, sine mora vel procrastinatione teneantur restituere. Domum nihilominus & stabulum aliaque ad usum proprium necessaria conducere nefas non est: Acacius Euenckel. *de privil. milit. lib.* 2. *priv.* 11. *n.* 8. Non etiam conductorum mandatores esse possunt stipendia merentes: *l.* 31. *Cod. de locato;* nec procuratores, ne pro conjunctis quidem personis, patre, matre, vel uxore: *§. fin. instit. de exception. l.* 8. *§.* 2. *ff. de procuratoribus l.* 7. *eod. tit.* adeo ut is, qui militem constituit procuratorem, si forte quid ea de causa dederit, indebiti condictione vel ob causam datorum possit repetere: *l.* 5. *C. de condict. ob causam datorum.* Sed si necessariis personis de libertate quæstio mota fuerit, jure poterit pro iis litigare miles, idque libertatis favore, cujus intuitu singularia multa leges indulserunt: *l.* 3. *§.* 1. *ff. de liberali causa;* vel si suorum persequi velit injuriam: *l.* 8. *C. de his qui accus. non poss.* Multo minus propriis ipse negotiis inoffensa disciplina superesse prohibetur; *l.* 9. *C. de procurat.* ideoque etiam universi numeri communem potest causam agere, cum communia curans negotia etiam sua curare censeatur: *l.* 8. *§.* 2. *ff. de procurat.* Ne autem sub specioso causas suas agendi prætextu quasvis aliorum lites redimeret, id ipsum disertis verbis Alexander Imperator vetuit: *l.* 7. *Cod. eod. tit.* lites tamen redemisse non censetur, cui honesto ac verecundo fine cessæ sunt actiones: *l.* 9. *Cod. eod. tit.* Propter sacramentum insuper militibus accusare prohibitum est: *l.* 8. *ff. de accusat.* & ob stipendiorum honorem illicitum vacantia fisco deferre bona: *lib.* 18. *§.* 6. *ff. de jure fisci;* armis enim occupati, & a ne-

negotiis forensibus remoti esse debent, nec linguæ sed armorum præsidio fortitudinem demonstrare; nisi de summo perduellionis crimine sit disceptatio: quos enim obsecro ad accusandum, quos ad indicandum perniciosissimum Reipublicæ crimen, ad eamque evertendam maxime directum, quos ad detegendos patriæ communis hostes rectius admiseris, quam illos, qui pacis publicæ causa, proque conservanda Republica, & defendendis ac protegendis civium opibus ac libertate præcipue solent excubare: *l.* 7. §. 1. *ff. ad leg. Jul. majestat.* Viri militares præterea nec fidejubere possunt, nisi in rem suam, veluti pro procuratore suo: *l.* 8. §. 1. *ff. qui satisd. cogunt.* nec focariæ vel concubinæ suæ quicquam donare: *l.* 2. *Cod. de donat. inter vir. & uxor.* nec in civilibus aut criminalibus causis executores constitui: *l.* 8. *Cod. de offic. rector. provinc.* nec per eos a provincialibus exigi tributa: *l.* 10. *C. eod. tit.* Ad privatum denique ducis opus, veluti piscatum, venatum, miles mitti nequit; sic enim in Augusti disciplina cautum: *& si scio fabrilibus operibus exerceri milites non esse alienum, vereor tamen, si quicquam permisero, quod in usum meum aut tuum fiat, ne modus in ea re non adhibeatur, qui mihi sit tolerandus:* lib. 12. §. 1. ff. de re militari. Proinde si judex militaris ad obsequia privata milites ausus fuerit deputare, ab eo militum magister per singulos, qui contra Principis interdictum privata ejus curarint negotia, singulas exiget auri libras: *l.* 13. *C. de re militari.* Quid quod jure novo gravissimæ statutæ sint in illos pœnæ, qui militem domi detinuissent privatis occupatum operibus: detinens quippe dignitate mulctatus & bonorum publicatione; detento exauctorato ultimum inflictum supplicium; exilium & mulcta gravissima iis, qui id tolerassent: *novell.* 116. Gudelin. *de jure novis. lib.* 5. *cap.* 21.

30 Cæterum hæc hodie pleraque mutata sunt, nostris enim militibus contractus celebrare, agros colere, fidejubere, & civilia tractare negotia concessum est: Zypæus *notit. jur. Belgic. tit. de re milit.* etiam tutelæ fungi munere: Groeneweg. *ad* §. 14. *inst. de tutelis;* militiam tamen iis a tutela justam tribuere excusationem, siquidem illam suscipere nolint, æquum est; cum etiam pacis tempore non semper in iisdem maneant præsidiis; verum alio sæpius commigrare cum cohorte cogantur, adeoque non propriis, multo minus pupillorum negotiis superesse possint.

CAPUT VII.

De judicibus militaribus.

1 *Milites habent proprios judices.*
2 *Quinam penes Romanos de militum causis judicaverint?*
3 *Qui hodie penes nos?*
4 *Quo in loco judices militares jus dicant?*
5 *In quo consistat judicum militarium officium? & ne affectibus indulgeant.*
6 *Non observant stricte juris solemnitates, & summarie causæ terminantur.*
7 *Non debent excedere jurisdictionis suæ limites.*
8 *Si miles delictum commune commiserit, utrum ad civilem, an vero ad militarem judicem de jure Romano spectet ejus cognitio, disquiritur, ac judici militari locum esse statuitur.*
9 *Quid moribus circa judicum militarium jurisdictionem in criminalibus obtineat?*
10 *Ad cujus judicis cognitionem spectent civiles militum controversiæ.*
11 *Miles fori præscriptioni valide renunciat.*

1 Peculiari denique jure in sagatorum favorem introductum est, quod proprios habeant in militia judices, qui de ipsorum causis cognoscunt litesque definiunt, nec ad aliorum possint pertrahi tribunal, teste Juvenale satyr. finali.

Legibus antiquis castrorum & more Camilli
Servato miles ne vallum litiget extra,
Et procul a signis; justissima centurionum
Cognitio est igitur de milite, nec mihi deerit
Ultio, si juste defertur causa querelæ.

Atque hinc ipsorum judicium appellatum est ducianum: *l. fin.* §. 3. *C. de re militari,* quippe in quo copiarum duces judicum funguntur.

2 Erant autem olim varii militum magistri, penes quos erat summa potestas & in milites arbitrium, adempta præfectis prætorio per Constantinum militari jurisdictione; hi civiles ipsorum controversias determinabant, hi inquirebant in militum delinquentium crimina, proque flagitii atrocitate supplicia decernebant in convictos sceleris reos; ut ad duces cæteros nulla pertineret accusationum & actionum militarium cognitio. Et in occidente quidem duo fuisse perhibentur militum magistri, equitum alter, alter peditum; quinque autem in oriente, quorum duo præsentales erant, tertius magister militum orientis, quartus magister militum per Thracias, quintus per Illyricum appellatus est: Panciroll. *in notit. Imperii utriusque cap.* 30. Cæterum magistri militum præsentales ad magistrum militum orientis ad responsum ex officio suo mittebant, cujus interventu milites universi in oriente parebant magistro militum orientis: *l. fin. C. de re militari:* Cujacius *in comment. ad d. l. fin.* Sed cum difficile foret, per unum omnia militaria discuti negotia, atque inde contingeret, ut causæ, quas protinus terminari necessitas exigebat, temporis diuturni moram sæpe paterentur; Imperatori Anastasio consultius visum fuit (cum id & Reipublicæ & singulis operam bello navantibus profuturum cerneret) ut magistri militum præsentalium, vel misso responso ad duces spectabiles sedis ejusdem magistri quaslibet militares controversias lata sententia finirent: *d. l. fin. Cod. de re militari.* Quod etiam centurionibus quondam concessum fuisse docet adductus paulo ante ex Juvenale locus; & testatur Polybius *lib.* 6. in consilium militare adhibitos fuisse tribunos, & ex ordinum principibus illum qui primus lectus esset. Quod si ducibus ipsis vel eorum apparitoribus aut limitaneis aut castrorum præfectis quæstio moveretur, coram solo magistro officiorum conveniendi erant, nec aliis subjacebant judicibus: *l.* 8. *C. de divers. officiis & appar. judicum &c.* Constat autem, non ipsos duces viros specta-

stabiles obstrictos fuisse ad examinandas ac decidendas universas militum causas; sed illorum arbitrii & æstimationis fuisse, pro qualitate negotiorum, aut quantitate, quæ devotissimis militibus ab adversariis eorum ingerebatur, vel suam audientiam interponere litigiis, vel eorum discussionem dicatissimis principiis seu arbitris in locis degentibus committere: *l. fin.* §. 4. *Cod. de re milit.*

3 Moribus hodiernis eodem fere modo militum præfecti ducesque de militaribus cognoscunt negotiis, & ad judicandum admittuntur plerumque præsidii præfecti, tribuni centuriones, ipsorum vicem gerentes, ac signiferi ibidem commorantes: *instruct. mil. art.* 65. Quod si tamen ex ejusmodi præfectis pauci sint præsentes, etiam decani, & ex gregariis quandoque rerum maxime periti in definiendis controversiis adhiberi possunt: Pappus *in comment. ad d. art.* 65. *lit. b.*

4 Solebant autem præfecti penes Romanos in principiis jura dare militibus; & quamvis per principia plerumque designetur prima aciei pars seu principum ordo, quandoque tamen etiam denotatur in castris comparatus ad judicandum locus, quod adducta Livii auctoritate perspicue docet Steweclius *in comment. ad Veget. de re milit. lib.* 1. *cap.* 20. eoque facit *l.* 16. §. 2. *Cod. de erogat. milit. annonæ*, ubi Imperator Anastasius inquit: *causa apud devotissima principia secundum præfatum modum tractata utriusque partis indemnitati similiter consulatur.* Unde & per illa Macri Jurisconsulti verba, *principiis frequenter interesse* in l. 12. ff. de re milit. Wissembach nihil aliud intelligi censet, quam exercitum regentis officium esse frequenter militum audire controversias, eorumque lites enatas per sententiam sopire: *disput.* 39. *ad pandect. n.* 27. At hodie nullus certus ad judicandum locus est constitutus, nisi quod ad ducis illius, qui dignitate cæteros antecedit, ædes aut tentorium conveniant plerumque de causa aliqua sententiam dicturi. Quin & aliquando sub dio, spectantibus universis, per duces suffragia feruntur, si negotium moræ impatiens sit, uti quondam a Græcorum principibus factum in insigni illa inter Ajacem & Ulyssem de Achillis armis contentione, de qua Ovid. lib. 13. metamorphos.

Consedere duces, inquit, & vulgi stante corona,
Surgit ad hos &c.

Atque ita in patente campo de capite desertoris acta comitia me vidisse memini in Gallia, ubi in circulo constituti legionis duces eum ad mortem condemnabant, & adductum illico per commilitones sclopetis mandabant interfici.

5 Porro militarium judicum officium est, ut si quis criminis alicujus incusetur, & graves adversus accusatum militent præsumptiones, in vincula reum conjiciant. Nec tamen ad vanum quempiam, vagum, & incertum rumorem statim carceri mancipent viros cæteroquin, quantum ex anteacta vita constat, honestos & illæsæ famæ: licet enim postea quis innocentiam suam judicibus abunde probaverit, nunquam tamen adeo penes commilitones inflictam diluet carceris infamiam, quin semper adhuc aliqua existimationi macula inhæsura sit. Reo custodiæ commisso ad accusatorum attendant objectiones, testium depositiones examinent, nec ægre suscipiant rei innocentiam docere cupientis allegationes & exceptiones; ejusque preces audiant benigne; nec illum longo carceris squalore consumant, sed quamprimum, si culpa careat, absolvant; sin convincatur, condemnent, ac meritis pro personæ, temporis, loci, delicti qualitate subdant suppliciis. Novos autem ad instar Busiridis aut Phalaridis corporis cruciatus & inaudita pœnarum genera excogitare nefas; dira criminis qualitatem excedentia non infligenda supplicia; non pœnæ pœnis cumulandæ; non ultra morbum adhibenda remedia; non propter leviora crimina ignibus, rotis & tremenda machinatione ad supplicii exstructa sæviendum, nec horridus passim adhibendus mortis apparatus; sed juxta leges ac constitutiones unumquodque crimen vindicandum: *instruct. milit. art.* 65. cum in judicantis potestate facti quæstio sit, non autem juris auctoritas; adeo ut reum quidem nocentem vel insontem pronunciare possit; ast ubi nocentem declaravit, & de necessitate legis pœnam teneatur irrogare: *lib.* 15. *ff. ad municipalem*; neque enim aut severior aut clementior lege, quæ ita disponit, judex esse debet: *novell.* 82. *cap.* 10. Quod si forte militum præfecti sint juris imperiti, & ignorent plane legislatorum placita, reperiuntur jurisconsulti; ab illis consilia postulent, illorum sequantur nixam legibus, exemplis rebusque judicatis fultam sententiam non id indecorum, non vitio vertendum: si namque quondam provinciarum præsides suos habuerint assessores, ex quorum suggestione provincialibus jura reddebant; si Cæsar Augustus Trebatium aliosque divini & humani juris scientia præditos in unum convocaverit, ad deliberandum, quid justum, quid æquum, quid utile foret subjectis: *princip. instit. de codicillis*: si sæpius suggerente Triboniano novas Justinianus condiderit constitutiones: si Alexander Severus in consilium semper adhibuerit viros juris peritissimos, quibuscum de negotiis arduis disceptabat, Fabium, Sabinum, Ulpianum, Ælium Gosdianum, Paulum, Pomponium, Alphenum, Africanum, Florentinum, Martianum, Calistratum, Hermogenem, Venulejum, Triphonium, Celsum, Proclum, aliosque, e quorum commentariis luculentis præcipue conflata quinquaginta digestorum volumina; neque quicquam sanciverit, nisi adhibitis viginti legum peritis. Æl. Lamp. *in vita Alexandri*, quis parum conveniens esse dixerit, si viro militari jura suppeditet togatus?

Præsertim autem his in judicibus requiritur in judicando sincera, tranquilla, sedata, nullisque partium studiis, quibus in transversum rapiantur, obnoxia mens: si namque præposteris animi motibus & perturbationibus agitentur; non cogitatione vel consilio litem explorare, non indagare rei veritatem, nec ambigua causarum juxta legum dictamen dirimere poterunt, sed pro ratione, pro veritate, pro jure stabit & dominabitur obsessa præconceptis sinistris opinionibus voluntas. Quemadmodum igitur in duce militari quatuor præcipue virtutes esse necessarias in antecessum demonstravi; sic ex adverso militaribus judicibus ante omnia quatuor evitandos esse principales affectus existimo, quibus ceu totidem vinculis constringitur libera causas terminandi potestas,

stas, jura pervertuntur, & destruitur inviolata judiciorum sanctitas; quales sunt amor, odium, timor, & cupiditas. Amorem & amici nomen a litium diribitoribus, dum judicis partibus funguntur, ponendum esse censeo; si enim propinquis aut consanguinitatis necessitudinibusque nexu junctis faveant, & immoderato ferantur hujus affectus æstu, non amplius alienam sed propriam litem agi, propriamque causam periclitari credent, nec poterunt æqua lance producta, utrinque litigantium argumenta perpendere; sed quicquid amici patronus allegaverit, id justum, id honestum esse volent: uti enim amatores non recte de venustate, forma, gratia, vel animi dotibus amasiæ suæ judicium ferre possunt, quod oculorum sensum premat amor; sic & omnem inquirendæ veritatis occasionem judices amiserunt, quorum animum non præcepta legum, non recta ratio, sed amor regit. Interim in æquitatis & justitiæ locum summa succedet injuria, neque quicquam aliud legitimam foventi causam supererit, quam ut oleum pariter & operam perdat. Pellant deinceps e tribunalibus suis odium, & imbecillis ac enervata sit in judicum consessibus invidia; ea enim si ipsis imperitaverit animi pestis, juxta vindictæ cupiditatem potius quam scripta legislatorum placita sententiam ferent, & omnem pensabunt adversus inimicum inique decernendi occasionem, vel in scirpo nodum quæsituri, si quidem alio modo denegata fuerit ultionis exercendæ facultas.

Metum quoque removeant in judicando, necesse est; ne alioquin a recto juris & æquitatis tramite deflectant, dum hominis potentioris aut factiosi nimis perterriti, causæ justitiam curiosius investigare, vel ei convenienter sententiam ferre non audent. Nullius sane mortalis potentia, comminationes, & terriculamenta pluris sunt facienda, quam jus ipsum & præstitum a judicandi munus suscipiente jusjurandum: neque quispiam a crimine pronunciaverit immunem Pilatum, laverit coram populo manus, non ignarus, innocentem esse nostrum Salvatorem, eum nihilominus occidendum traderet, quia scilicet concitatum Judeæ gentis, Christum ad crucis supplicium postulantis, furorem metuebat. Sic ut potius illos, quibus est demandata judicandi provincia, deceat imitari Jurisconsultorum principis Papiniani candorem, qui nulla vi nullisque minis adigi potuit, ut abominandum Caracallæ fratricidium citra scelus commissum esse censeret; sed patulam maluit carnifici ferienti cervicem præbere. Quod plurimis tam Ethnicorum quam Christianorum exemplis docet p. m. parens Paulus Voet *tr. de jurisprudentia sacra cap.* 3. *sect.* 2. *n.* 8.

Denique cupiditatem & avaritiam cane pejus & angue fugiant, nec admittant pollicitationes, pretia, præmia, munera a manu, a lingua, ab obsequiis litigantium prodeuntia: uti enim inter armorum strepitum, sic & inter pecuniæ numeratæ sonum leges plerumque silent; auro quippe loquente nihil pollet quævis oratio; hoc velut ariete si concussa ac labefacta fuerit jus dicentis constantia, corruet etiam sincerus in litibus definiendis animus; & ubi in aurem judicis susurraverit pecunia, raucescet illico vel disertissimi patroni tuba, & decantata ipsius voce jura suffocantur; simul ac muneribus & donis est aperta dextra, venalis erit ignoscentium gratia, venalia jura, venalis ipsa judicum sententia. Proinde tum demum pie sancteque judices facient, si nec inimicitia nec benevolentia, nec timore, nec avaritia, nec ulla alia iniqua causa ducti, nullam adversus ea, quæ noverint, sententiam tulerint, sed conscientiæ, juri, legibusque congruam.

6 Non tamen adeo religiose judices militares ordinario procedendi modo & formulis alioquin usurpari solitis astricti sunt, nec adamussim omnes illas observare tenentur juris communis solemnitates, verum summarie coram illis causæ sunt expediendæ: *placuit ordinand. general.* 29. *Aprilis* 1589. Sic Juvenalis ultim. postquam de dilationibus & lentis causarum definitionibus conquestus fuisset:

> *Ast illis*, inquit, *quos arma tegunt, & balteus ambit,*
> *Quod placitum est ipsis præstatur tempus agendi,*
> *Nec res atteritur longo sufflamine litis.*

Præsertim in delictis militum levato velo tractandæ ac discutiendæ causæ; quapropter, si quis in flagranti fuerit flagitio deprehensus, sine mora damnandus est, & extemplo lata sententia executioni mandanda: adeo ut moribus illico ex arbore proxima suspendi soleant addicti ultimo supplicio rei, neque iis ad disponendas res suas componendosque penates ullum indulgeatur temporis intervallum.

7 Interim summa circumspectione cavendum iis est, ne jurisdictionis suæ limites excedant, neu de causis judicent ad cognitionem suam non pertinentibus; sed delicta secundum auctoritatis suæ modum castigent: *l.* 12. §. 2. *ff. de re milit.* Ac proinde paucis disquirendum, quænam ad civilium, quænam ad militarium judicum spectent jurisdictionem.

8 Duces quidem delicta militaria a militibus perpetrata coercere posse extra controversiam positum est: quid vero statuendum sit, si delictum commune miles admiserit, inter doctores non certo constat, aliis illius causæ criminalis cognitionem, discussionem ac definitionem militari, aliis civili judici tribuentibus. Qui ducum jurisdictionem non ultra militaria protendi delicta censent, varias adducunt in opinionis suæ probationem leges, præsertim *l.* 2. *l.* 5. *ff. de re militar. l. fin. ff. de accusat. lib.* 1. *Cod. ad leg. Cornel. de sicar. novell.* 8. *cap.* 12. Inferunt insuper, si negotiatoribus ademptum sit fori privilegium, multo minus delinquentes eo uti posse, quia gravius utique est delinquere quam negotiari. Probabilior tamen contraria sententia, firmo stabilita legum fundamento: lege namque nona, *ff. de custod. & exhibit. reor.* illud in militibus servari dicitur, ut ad eum remittantur, si quid deliquerint sub quo militant. Quod etiam confirmatur *l.* 1. *Cod. de exhibend. & transmitt. reis.* Quid quod Imperatores rescripserint in *l.* 1. *C. de officio magistri milit.* magistros peditum & equitum in provinciales nullam penitus habere potestatem, nec amplissimam præfecturam in militares viros. Proinde quemadmodum nullis in causis provinciales coram militum magistris, sic nec milites coram præsidibus aut præfectis prætorio conveniri queunt. His adde *l.* 6. *Cod. de jurisdict. omnium judic.* quæ militarem reum sisi a suo judice nec exhiberi, nec, si in culpa sit,

co-

coerceri posse docet. Denique in *l. 2. C. ubi quis de curiali vel coh. aliave condit. conven.* & *l. unic. C. in quib. caus. milit. fori præscriptione uti non possint*, armata disertis verbis excipitur militia.

Neque repugnant illa quæ ab opinionis contrariæ patronis in adversum diriguntur argumenta: quod enim attinet *l. 2. ff. de re militari*, ea nihil aliud dictat, quam in communi crimine a milite commisso communem esse persecutionem, hoc est, si miles commune perpetraverit delictum, velut adulterium, homicidium &c. eodem modo adversus eum ac contra paganum instituendam accusationem, eandemque decernendam esse pœnam, quod per judicem militarem fieri facillime potest, nec hic negatur. Lex autem 5. ejusdem tit. jus singulare constituit in desertore, partim in criminis enormis odium; partim etiam, quia deserens quodammodo miles esse desiit, voluntate utique propria & affectu: sic ut ei privilegium fori militare competere non debeat, & hic regulæ juris locus sit, quæ docet, exceptionem firmare & declarare regulam in casibus non exceptis, de qua August. Barbos. *axiomat. jur. n. 4.*

Non etiam obstat *l. fin. C. de accusationibus*, quæ quidem statuit, ibi puniendum esse militem, ubi crimen contractum est, si grave sit; nihil tamen de præside provinciæ vel civili judice determinat, neque negat, ibi commissum scelus plectendum esse per militares judices, ideoque hic obtinent aliarum legum constitutiones, quæ expresse ducibus tribuunt his in negotiis judicandi potestatem.

Multo minus adversatur sententiæ nostræ *l. 1. C. ad leg. Cornel. de sicar.* neque enim agit de milite criminis reo postulato; sed de tali, qui cum casu fortuito, vel saltem absque occidendi animo hominem peremisset, ne quis eum dolo homicidium admisisse suspicaretur, sponte præsidi provinciæ semet obtulit, & non accusatus ultro vocavit adversarios, ut ipsum innocentiam docentem & a sceleris suspicione se liberantem audiant, posteaque prout visum fuerit, cedant aut contendant. Hoc itaque in casu miles actor est, unde consultius, imo necesse ipsi erat rei forum sequi, ne ordinem judiciorum interverteret: *l. 2. Cod. de offic. diversor. judic.* Nullo jure ad id obligatus erat: verum id ei solummodo suadet Imperator Antoninus; *rectius fecerit*, inquit, *si se præsidi provinciæ obtulerit, qui si probaverit, non occidendi animo hominem a se percussum esse, remissa homicidii pœna secundum disciplinam militarem sententiam proferet.*

Non infringit insuper opinionem nostram argumentum a negotiante milite desumptum, scilicet, si non competat illi fori præscriptio, multo minus eam delinquenti concedendam, quia gravius est delinquere quam negotiari: illud enim si procederet, nec in militaribus delictis milites fori gauderent privilegio, (quod tamen ab adversæ sententiæ propugnatoribus statuitur) cum & militariter delinquere gravius sit quam negotiari. Verum inter negotiationem & delictum satis evidens est ac sufficiens differentiæ ratio; negotiatio enim & militia consistere simul non possunt: *l. un. C. negot. ne militent*; adeoque qui mercaturam exercet, miles amplius esse nequit, sed militia cadit simul atque de negotiatione constiterit: *l. fin. C. de jurisdict. omn. judic.* proinde nec militaribus gaudet prærogativis. At delictum non tollit militiam, utique non omne, & non ante latam sententiam; sed manent nihilominus in numeris delinquentes; quid ni ergo iis etiam tribuenda fori præscriptio?

Non obstat denique novella 8. cap. 12. §. 1. cujus ipsa verba, quia mendosa admodum est vulgata versio, exhibebo, sic ibi inquit Imperator: *επι γαρ τοις τοιουτοις και τους σρατιωτας, τους εν ταις επαρχιαις οντας αυτοις υποταττομεν, ουδε εκεινοις δεομενοις προσταξεως τινος η παρ ημων, η παρα των ημετερων αρχοντων. αλλα τω παροντι νομω χρωμενοις, και τουτον αυτοις δεικνυσιν, ωστε επαμυνοντες, χρωμενοις τε της αρχης παρρησια.* Id est; *in iis enim etiam milites in provinciis existentes ipsis subjicimus, neque ad id indigentibus proprio aliquo mandato, vel a nobis, a nostris principibus, sed præsenti lege utentibus, & hanc iis ostendentibus, ut opem ferant ipsis principali fiducia utentibus.* Unde nihil aliud probari poterit, quam, milites in eo præsidi provinciæ subjectos esse, quod exhibita hac constitutione illos cogere possit, ut ipsum adjuvent, si capitis hujus præceptum adversus provinciales executioni mandare velit; non autem quod & milites ei quoad forum competens in criminibus essent subjecti. Quod si quis dicat, verba *επι γαρ τοις τοιουτοις* ad illa crimina respicere, de quibus in initio d. c. 12. actum erat, sic ut in iis coram præside milites forent accusandi; ei necessario statuendum esset, hic correctum esse jus antiquum, & nec in communibus, nec militaribus delictis ullum jure novissimo militibus relictum esse fori privilegium, cum d. c. 12. principium de universis criminibus, & secutis inde læsionibus agat; quod absurdum; cum non constet ex Imperatoris verbis juris veteris introductam esse mutationem, cur igitur antiquum stare prohibetur? *l. 32. §. fin. C. de appell. & consult.* ideoque rectius quis fori privilegium quo uti prohibet Imperator, intellexerit de privilegio non scripto, qualia consuetudine nonnunquam contra legislatoris mentem introducuntur; non autem de eo, quod speciali lege certis personis indultum est: *gl. ad nov. 69. c. 2. verb. privilegia*; præsertim quia subjungitur, ne quis *delinquat innoxie*, cujus periculum in illo fori privilegio, quod militibus concessum est, non metuendum; cum illi neutiquam impune peccent suum allegantes privilegium, sed per judices militares rigidis plectantur suppliciis. Miles igitur, si a provinciæ præside captus fuerit, ad duces suos remittendus est.

9 Mores hodiernos quod spectat, illi in nonnullis a jure Romano divortium fecerunt. Ab Albano duce latam anno 1570. constitutionem refert Christinæus *decis. t. 5. decis. 221. n. 16.* qua cautum, ut legati militumque tribuni consilium militare constituentes, de omnibus militaribus soli cognoscerent criminibus, non autem de communibus, nisi in castris, vel expeditione, vel hibernis, vel inter commilitones essent perpetrata; extra hos casus propter delictum commune milites a civilibus judicibus condemnari possent. Cujus decreti pleraque ut æqua usu fere a nostratibus approbata sunt, postquam Hispaniæ jugum excusserunt patriæ patres: adeo ut ob commune crimen miles tam coram civili quam mi-

militari judice reus postulari possit, & eo casu præventioni locus sit: *placit. Ordin. General.* 29. *Aprilis anno* 1589. Unde si alterutrius judicis mandato fuerit apprehensus, coram eo causa peragenda & terminanda erit, altero excluso, atque ita judicatum fuisse testatur Sande *decis. Frisic. l.* 1. *tit.* 1. *definit.* 4. Groeneweg. *ad l.* 6. *C. de jurisd. omn. judic.* quod si delictum militare sit commissum, ad solos militares judices ejus pertinebit coercitio; ut tamen in gravioribus criminibus ad Consilium Status fœderati Belgii appellari possit, vel ad consilium militare superius, (cui majores ut plurimum duces velut tribuni, eorumque legati, quandoque turmæ vel cohortis præfecti adhibentur); præsertim si de flagitio per præfectum commisso mota sit coram militaribus judicibus controversia.

10 In causis civilibus etiam satis ampla judicum militarium potestas; omnium enim civilium controversiarum, quæ inter milites ventilantur, penes eos est decisio, sive commilitoni miles litem moverit: *l.* 1. *e.* §. 2. *ff. de re milit. l.* 6. *C. de jurisd. omn. judic.* sive paganus de re factove quopiam adversus milites instituerit actionem: *d. l.* 6. cum, uti supra dixi, actor rei forum sequatur: *l.* 2. *C. de jurisd. omn. judic.* At si quis, postquam coram ordinario judice civili in jus vocatus est, nomen militiæ dederit, in ea causa jus revocandi forum non habebit, quasi præventus: *l.* 7. *ff. de judiciis l. fin.* §. 1. *C. de in jus vocando;* præsertim cum & juris sit axioma, *ibi judicium accipere finem debere*, ubi semel inchoatum est: *l.* 30. *ff. de judiciis:* Radelant. *decis. cur. Ultraject. decis.* 79. atque etiam causa cadat, quicunque inchoatum coram judice judicium ad aliud ausus fuerit transferre tribunal: *l. fin.* §. *fin. C. de in jus vocando.*

11 Poterit autem sponte miles civilis judicis jurisdictioni se submittere. Unde quæsitum, si paganus, qui cum milite contrahere noluerit, nisi sub illa conditione, ut fori præscriptioni miles renunciaret, an ex pacto subsecuta renunciatione miles postmodum in jus vocatus exceptionem fori declinatoriam possit objicere? Respondit Justinianus in *l.* 29. *C. de pactis*, nemini licere adversus sua pacta venire & contrahentes decipere, adeoque militi privilegium allegantí obstituram & pacti & doli exceptionem: juxta regulam enim juris quilibet licentiam habet his, quæ pro se introducta sunt, renunciandi: *d. l.* 29. *l.* 52. §. 4. *ff. ad Senatusconsult. Vellejan.* Hodie ut in criminalibus causis, sic & in civilibus ad utrumque judicem, (civilem nempe & militarem) cognitio pertinet: Groeneweg. *ad l.* 6. *C. de offic. diversor. judic.*

CAPUT VIII.

De missione militum & pace.

1 *Quotuplex sit missio militaris?*
2 *Quæ sit honesta missio & quot stipendia requisita fuerint ad eam impetrandam tam in peditibus quam equitibus?*
3 *Quæ sit causaria missio?*
4 *An & causaria missi gaudeant veteranorum privilegiis?*
5 *Num honesta in specie missus ante legitimum tempus, privilegiis veteranorum in perpetuum fruatur?*
6 *Non temere concedenda missio causaria.*
7 *Quæ sit ignominiosa missio?*
8 *Quales ignominia mitti possint?*
9 *Quæ pœnæ comitentur ignominia missos.*
10 *De his qui ad tempus ignominia missi sunt.*
11 *Est etiam missio extraordinaria.*
12 *De pace.*

1 Diximus ante, quo pacto milites fuerint electi; superest ut dispiciamus quibus modis iidem a militiæ liberentur onere. Citra militarem missionem numeris nullus eximi potest; ea autem vel ad momentum est, quando miles eum in finem mittitur, ut in aliam referatur cohortem, & ita missus, licet hinc sit exemptus, & illo nondum pervenerit, juris tamen fictione miles manet: *l. un. ff. de bonor. possess. ex testament. milit.* Vel ad tempus, idque ratione stipendiorum emeritorum; vel senectutis, aut infirmitatis; vel delicti & calliditatis propriæ. Unde in tres species plerumque dividitur; alia enim honesta est, alia causaria, alia ignominiosa: *l.* 2. §. 2. *ff. de his qui notantur infam. l.* 13. §. 3. *ff. de re milit.* Nullus tamen dubito, quin & ad bimembrem missio commode cogi possit divisionem, qualis est in *l.* 8. §. 5. *ff. de excusat. tutor. l.* 2. *C. de his qui non implet. stipend.* iis enim in legibus sub honesta missione causaria quoque comprehenditur, quatenus nullam missio irrogat infamiam, nec ipsius lædit existimationem: *l.* 8. *C. de re milit.*

2 Et honesta quidem missio est, quæ impleto militiæ tempore datur in remunerationem fide devotionis: *l.* 2. §. 2. *ff. de his qui not. infam. l.* 13. §. 3. *ff. de re milit. l.* 8. *ff. de excusat. tutor. l.* 9. *C. quando provoc. non est necesse.* Cæterum non semper idem penes Romanos fuit militiæ tempus in peditibus: olim enim quandoque triginta vel quadraginta nonnullos stipendia fecisse legimus; at sub Octaviani Augusti Imperio prætoriani duodecim, cæteri sexdecim annis militiæ subire cogebantur incommoda: Suet. *in vita Augusti.* Tiberius denique viginti annorum stipendia milites merere jussit: Tacit. *annali l.* 1. Neque postea quicquam in eo videtur immutatum fuisse: Valtrinus *de re milit. l.* 6. *c.* 5. Equites autem post decimum, ex quo in militiam adscripti fuerant, annum, equos suos ad duumviros seu censores in forum deducebant, ibique missionem impetrabant, pro meritis vituperio vel laudibus excepti: Plutarchus *in apopht. de Pompejo.* Quicunque vero honestam consecutus fuisset ab exercitus Imperatore vel censoribus missionem, omnibus veteranorum privilegiis munitus erat: *l.* 3. *C. de his qui non implet. stipend. l.* 2. *C. de re milit.* Porro missio honesta in gregariis tantum, non in majoribus obtinebat militibus; exercitus tamen præfectis cæterisque ducibus tacite etiam honestam datam esse missionem constat, dum accepto successore domum revertentes militare desinerent: *l.* 11. *ff. de testam. milit.*

3 Missio causaria est, qua propter ætatem aut animi vel corporis vitium parum idoneus militiæ miles renunciatur: *l.* 2. §. 2. *ff. de his qui not. infam.*

fam. l. 13. §. 3. *ff. de re milit.* Bocerus *de bello c.* 16. *n.* 12. Atque etiam honesta est, quanquam ab ea distincta, quæ in specie honesta dicitur: missus enim causaria missione privilegiis veteranorum, qui pleno stipendiorum numero functi sunt, uti nequit: *l.* 2. *C. de his qui non implet. stipend.*

4 Quia tamen & causaria misso præmia præstari convenit: *l.* 13. §. 2. *ff. de re milit.* ideo quoque ratione temporis, quo militaria sustinuit onera, habebit a muneribus & honoribus vacationem: *d. l.* 2. *de his qui non implet.* ut, si post quinquennium missus fuerit, anni; si post octo annos, biennii; si post duodecim, triennii; si post sexdecim, quadriennii; si post viginti, perpetua fruiturus sit immunitate: *l.* 8. §. 3. *ff. de excus. tutor.*

5 Quod si quis non causaria sed honesta in specie missione, quam & gratiosam appellant, ex indulgentia Principis a belli muneribus liberatus fuerit ante tempus, de qua *l.* 2. §. 2. *ff. de his qui not. infam.* etiamne tempus illud, quo stipendia meruit, computabitur, ut pro illius modo veteranorum gaudeat prærogativis? Probabilior illa est opinio, quæ talem omnium privilegiorum perpetuo participem fore statuit: missionem quippe mera Principis impetravit munificentia; at certum est, beneficium, quod a divina Imperatoris proficiscitur indulgentia, plenissimam recipere interpretationem: *l.* 3. *ff. de constit. principum.*

6 Non autem facile propter morbum aut debilitatem mittuntur causaria milites: requiritur enim, ut, denunciantibus medicis, & competente judice diligenter examinante, vitium ad impetrandam missionem sufficiens contractum esse constet: *l.* 6. *C. de re milit.* Quod si per sub vel obreptionem quis missionem hanc fuerit consecutus, auri quinque librarum mulctandus incommodo: *l.* 2. *C. de divers. off. & apparit. judic.*

7 Ignominiosa missio est, cum milites propter delictum militiæ sacramento solvuntur: *l.* 2. §. 2. *ff. de his qui not. infam. l.* 13. §. 3. *ff. de re milit.* Et omnes ignominiose missi infamia notantur: *l.* 1. *ff. de his qui not. infam.* Exprimenda autem est illius causa: *l.* 3. §. 2. *d. tit.* sed si missus ignominia fuerit absque ulla infamiæ mentione, veluti, si militi arma vel equus auferatur, hastæ rumpantur, gladii diffringantur, & detrahantur insignia militaria, eum nihilominus missum famæ comitabitur jactura: *d. l.* 2. §. 2. *l.* 13. §. 3. *ff. de re mil.*

8 Nec milites solummodo gregarii ignominiose mitti possunt, verum etiam duces, tribuni, & ipsi exercituum præfecti, ac ex prætoris edicto fiunt infames, licet consularibus utantur insignibus: *d. l.* 2. *in princ. ff. de his qui not. infam.*

9 Ultra existimationis læsionem etiam variæ missos ignominia pœnæ manent, veluti quod nullis honoribus, quæ dignitatis illæsæ viris deferri solent, fungi possint: *l.* 3. *C. de re milit.* nec in sacro comitatu agere aut commorari: *l.* 13. §. 3. *eod. tit.* adeoque ab urbicis plane tutelis removeantur: *l.* 8. §. 9. *ff. de excus. tutorum;* quod de castrensi peculio testari nequeant; cum ipsis præmia non debeantur: *l.* 26. *ff. de testam. milit.* quodque, cum honesta ac causaria missi non torqueantur, hi tamen quæstionibus subjici possint: *l.* 8. *C. de quæstionib.* præterea cum veteranorum testamenta jure militari facta valeant intra annum a missione; horum non subsistat ejusmodi suprema voluntas: *l.* 5. *C. de testam. milit.* p. m. parens Paulus Voet in *comment. ad* §. 3. *instit. de testam. milit.* denique quod nulla pro militiæ laboribus commoda ferant.

10 Atque hæc quidem in ignominiosa missione locum habent si miles in perpetuum missus fuerit; quod si ad tempus tantum missio facta sit post impletum temporis constituti spatium non prorogabitur infamia: *l.* 1. *C. de his qui in exil. dat. arg. l.* 8. *ff. de postulando l.* 5. §. 1. *ff. de decurion.* ne scilicet exaggeretur, & ulterius extendatur contra sententiæ fidem pœna tempore determinata. Quicumque autem post constitutum tempus in ordinem redit, pristinam quidem recipit dignitatem, ast ad novos honores non admittitur, nisi tanto tempore his abstinuerit, quanto per fugam abfuit: *l.* 2. *C. de his qui in exil. dati l.* 15. *ff. ad municipalem.*

11 Præter has tres ordinarias missionis species est & alia extraordinaria, quæ non inhonesta recte dici posset: cum quis enim evitandorum munerum gratia nomen militiæ dedit, exauctoratur; & ejusmodi missione nullam existimationi maculam infligi sæpissime rescriptum est: *l.* 2. §. 2. *ff. de his qui notant. infam.* Pari ratione citra famæ diminutionem mittitur, qui in numeros eo animo se referri curavit, ut sub obtentu militiæ pretiosiorem adversario se faceret, & nec transigere cupit, neque litem deserere: *l.* 4. §. 8. *ff. de re milit.*

12 Cum autem non aliam ob causam adhibeatur omnis ille belli apparatus, quam pacis impetrandæ gratia, quæ belli pretium est; nullo modo negligenda Principibus ejus obtinendæ occasio, nisi videri velint omnium, ac præsertim subjectorum penitus odisse felicitatem: nihil quippe pace jucundius aut dulcius, nihil magis blandum ac salutare, nihil præstantius in hac vita mortalium generi ab immortali Deo dari potest; vel solum pacis nomen gratum civibus est & acceptum, nec unquam illi eo dementiæ perveniunt, ut bellum, quam honestam cum finitimis concordiam malint, speratæ potius victoriæ pacem certam præposituri. Scilicet utilia victis esse de belli fine fœdera, pulchra victoribus, uno omnes ore merito fatentur: in hac enim mundi compage cuncta pace florent ac consistunt: hæc est bonarum artium fœcunda mater, hæc divitiarum decora tutrix, hæc candida morum cultiorum magistra; hac bidens vomerque vigent, & inconcussus arva colit arator, hac libera nautis in altum vela dandi, libera mercatoribus ad Indos sine metu currendi concessa facultas. Quisquis proinde libertatem tranquillam & humanam societatem conservare cupit; quisquis simultates sublatas, sopitas iras, & in tuto constitutas extra periculum dignitates desiderat, quisquis quietum amat populum, Senatum concordem, & Rempublicam morum honestate vestitam; quisquis denique salvas opes, patriam optat incolumem, pacem sancte colat necesse est, & supremum almæ pacis Auctorem supplex veneretur, velit inter orbis Principes conservare pacem, eorumque sic inflectere sensus atque corda, ut armis reconditis in concordiam revertantur, & in amicitiam ac fœdera quamprimum coeant ipsorum dextræ.

JOANNIS VOET

DE

FAMILIA ERCISCUNDA

LIBER SINGULARIS

CANDIDO LECTORI

S.

Non praeter receptam consuetudinem me facturum arbitror, aequissime lector, si praefatione succincta tibi rationes instituti mei reddiderim, cum non omnibus eadem in scribendo methodus arrideat. Non me latet, plurimos reperiri, quibus prae caeteris ea placet commentandi ratio, qua singulas illius tituli, quem pertractandum sibi sumpsere, leges enodare satagunt: quorum conatus laudabiles uti in universum rejicere vel vituperare nolim; ita quoque necdum ulla potui ratione in eam adigi sententiam, ut optimum credam hunc juris elucidandi modum: præsertim si cui libuerit vel obiter confusum in pandectis considerare legum ordinem, ubi singula prudentum responsa nullis legitimis observatis artis regulis aut disciplinæ tradendae more, sic suis sub titulis redacta cernimus, uti juris compilatoribus ea colligentibus obvia fuerint. Praeterquam quod plurimis in legibus saepe eadem fastidioso inveniuntur repetita taedio, saepius ejusmodi discutiuntur controversiae, quae nullam cum inscriptione tituli communionem connexionemve ferunt. Satius proinde duxi, si certa constituerem capita, ad quae commode dividendarum haereditatum materiam collectam et adornatam reducerem, atque ita justa illustrarem methodo universum de Familia Erciscunda titulum. Multa quibus forte comptior ac ornatior posset hic in lucem prodire libellus, opera dedita praetermisi antiquitatis et historiarum monumenta, nec de flosculis oratorum ac poetarum sententiis aut elegantia stili summopere fui sollicitus, memor, in argumento prorsus juridico me versari, in quo sufficere censui, si modo priscorum interpretum liceret evitare barbarismos, et iis insistere Latinae linguae vestigiis, quae post se reliquerunt ipsi jurisprudentiae nostrae primi conditores. Haec ubi non inutilia vel ingrata fuisse animadverterim, merito mihi gratulabor, et plura dare pro ingenii modulo, si vires et vitam Deus fuerit largitus, spondeo. Vale, lector amice, mihique fave.

INDEX CAPITUM

CAPUT I.

Cur introductum familiæ erciscundæ judicium, quid sit, et quomodo ab aliis distinguatur judiciis. pag. 91

CAPUT II.

Quomodo rerum divisio per ipsum testatorem fiat inter cohæredes. 95

CAPUT III.

De conficiendo repertorio omnium bonorum hæreditariorum. 99

CAPUT IV.

De separandis defuncti bonis a patrimonio conjugis superstitis. 102

CAPUT V.

De divisione per ipsos cohæredes facienda. 107

CAPUT VI.

De divisione rerum hæreditariarum per judicem facienda. 111

CAPUT VII.

Quæ res veniant in erciscundæ familiæ judicium. 117

CAPUT VIII

Quænam in hæreditatis divisione sint conferenda. 122

CAPUT IX.

De divisione rerum feudalium emphyteuticarum et his similium. 129

CAPUT X.

De accessionibus rerum hæreditariarum et præstationibus personalibus. 132

CAPUT XI.

De iis quæ possunt aut nequeunt ad divisionem provocare. 135

CAPUT XII.

Quis sit effectus divisionis respectu creditorum hæreditariorum. 139

CAPUT XIII.

Quis sit effectus divisionis respectu cohæredum inter se. 145

CAPUT XIV.

Quando rescindi possit divisio. 150

CAPUT XV.

Quando cesset hæreditatis divisio. 155

CAPUT XVI.

Ubi judicium familiæ erciscundæ intentandum sit. 157

INDEX
SUMMARIORUM

CAPUT I.

1 *Quæ sint communionis molestiæ.*
2 *Remedia, quibus illæ evitentur.*
3 *Variæ proponuntur* Familiæ *significationes.*
4 *Quid in hac materia per familiam designetur.*
5 *Quid denotetur per verbum* Erciscere, *& quænam illius vocis sit origo.*
6 *Unde descendat, & quid sit Erciscundæ Familiæ judicium.*
7 *Est bonæ fidei.*
8 *Cur duplex appelletur, & quis in eo actor, quis reus sit.*
9 *Non est mixtum tam in rem quam in personam, nec ulla talis mixta datur actio.*
10 *Probatur, hoc judicium primariò in rem esse, per consequentiam tantum in personam.*
11 *Respondetur objectionibus eorum qui contra sentiunt.*
12 *Est judicium universale.*
13 *Datur hæredi contra cohæredem, iisque solis quotiescumque voluerint a communione discedere.*
14 *Debet esse hæreditas alicujus defuncti, ut hoc judicium possit intentari.*
15 *Locum habet sive ex testamento, sive ab intestato illa sit delata.*
16 *Quis sit finis hujus judicii.*
17 *In quibus conveniat cum actione communi dividenda.*
18 *In quibus ab ea differat.*
19 *In quibus conveniat cum petitione hæreditatis, aut ab ea distinguatur.*

CAPUT II.

1 *Quot modis dividantur res hæreditariæ? & demonstratur facultatem dividendi summa æquitate concessam esse ipsi testatori.*
2 *Omnis ea ultima voluntate testator potest res suas inter hæredes distribuere, qua eos potest instituere.*
3 *Si æquales in priori parte testamenti portiones dederit, tamen in posteriore parte vel hodie in alio testamento, potest inæquales rerum partes hæredibus assignare.*
4 *Idem potest fieri codicillis sub distinctione, & removetur objectio.*
5 *In codicillis testamento confirmatis res dividi possunt inter cohæredes.*
6 *Divisio facta in codicillis ab intestato sustinetur jure fideicommissi, hodie etiam directo.*
7 *Divisio a parente facta inter liberos servanda est, etiamsi omnibus solemnitatibus sit destituta, si modo satis de voluntate constet.*
8 *Sed jure Justinianæo requiritur subscriptio parentis aut omnium liberorum inter quos fit divisio.*
9 *Talis imperfecta patris voluntas non sustinetur respectu personæ extraneæ liberis permixtæ nisi sit admodum propinqua.*
10 *Testator non tantum commoda sed & onera potest inter hæredes dividere, veluti per solutionem æris alieni, etiam ita, ut eam uni soli jungat.*
11 *Etiam potest dividere suas res actu inter vivos.*
12 *Liberi quoque & quivis extranei consentiente vel vivente adhuc patre vel eo, de cujus bonis agitur, possunt ea inter se distribuere, & divisioni stare debent, nisi pater eam revocasset, quod potest pro libitu.*
13 *Divisio ab ipso testatore facta non rescinditur propter enormem læsionem, liberis tamen per eam salva debet esse ad minimum legitima.*
14 *Parentes non tenentur in distributione tantam servare æqualitatem, quin alteri liberorum plus, alteri minus possint relinquere.*
15 *Proponitur nova Doctoris eximii opinio.*
16 *Refutatur.*
17 *In divisione per testatorem facta cohæredes sibi invicem de evictione rerum hæreditaria-*

riarum sunt obligati juxta distinctionem in legatis adhiberi solitam.

CAPUT III.

1 Repertorium est necessarium, ut excludantur fraudes.
2 Quibus incumbit inventarii conficiendi molestia.
3 Quæ sint in inventarium referenda.
4 Quibus circumstantiis res sint describendæ, ut ab aliis distinguantur.
5 Conscribi debet a notario, testibus præsentibus.
6 Legatariorum aut creditorum hæreditariorum præsentia non requiritur, nec tempus definitum, intra quod debeat absolvi, sed ex arbitrio judicis dependet.
7 Inventarium jurejurando conficienti confirmandum, etiam a parentibus ad petitionem liberorum; sed & remitti potest ab ipsis cohæredibus.
8 Quomodo puniatur qui neglexit inventarii confectionem, cum ea ipsi fuisset injuncta.
9 Quid obtineat, si quid dolo vel sine dolo fuerit inventario omissum.
10 Unde colligatur in quarundam rerum omissione dolum adfuisse vel abfuisse.
11 Inventarii conscriptionem aut exhibitionem jure petunt omnes illi, quorum interest ex justa & probabili causa.
12 Testator potest hæredibus remittere solemnem inventarii confectionem.
13 Omnem inventarii confectionem remittere vel prohibere nequit, licet aliqui dissentiant.
14 Respondetur eorum objectionibus.

CAPUT IV.

1 Divisionem bonorum præcedere debet separatio bonorum conjugis defuncti & superstitis.
2 Quid circa eam de jure Romano obtinuerit, & præsertim in dote restituenda, ac ad quem pertinuerit damnum stante matrimonio adveniens.
3 Hodie sublata in multis jura & privilegia dotium.
4 Et introducta legalis vel bonorum omnium in matrimonium collatorum, vel saltem acquæstuum inter conjuges communio.
5 Tres proponuntur circa hanc materiam diversi casus, quibus omnia continentur.
6 Si fuerit inter conjuges omnium bonorum communio, post mortem unius æqualiter omnia dividenda, exceptis iis quæ jure præcipui conjux superstes deducit.
7 Societas conjugalis omnium bonorum durat post mortem conjugis usque ad separationem in acquæstibus, non item in legatis, hæreditatibus, donationibus, viventi post alterius obitum advenientibus.
8 Ea quæ pactis dotalibus comprehenduntur observanda sunt.
9 Si sola dos mulieri sit restituenda, impensæ ad fructus colligendos factæ non refunduntur, ad perpetuum rei usum erogatæ refundi debent ab uxore aut ejus hæredibus, habita ratione non ipsarum impensarum, sed quanto pretiosior inde sit facta res.
10 Meliorationum dotis æstimatio facienda qualis est tempore mortis & faciendæ separationis, rejecta distinguentium opinione.
11 Quid veniat appellatione lucri, quoties exclusa ipsius dotis & donationis propter nuptias communio.
12 An hæreditates, legata, donationes?
13 Quid obtineat in iis, quæ propter causam communem, per alterutrum conjugem donata sunt.
14 Eadem in damno sunt servanda, quæ in lucro communi, & tributa ac vectigalia communiter persolvenda; sed per hostes sub incendii, ruinæ comminatione exacta, ei soli nocent cujus prædium est.
15 Rerum ipsarum in matrimonium collatarum interitus non est communis, nec res alterius ex bonis communibus resarciendæ.
16 Quicquid fundo accrescit, commune non fit, sed pertinet ad eum conjugem solum, cujus est fundus.
17 Si res emphyteutica vel feudalis revertatur ad dominum directum ex aliqua justa causa, non communis erit sed ejus tantum, qui antea fuerat dominus directus.
18 Qui auctores plura de acquæstibus conjugalibus tractent.
19 Quis circa introductionem communionis bonorum locus sit spectandus, & primo, quid in rebus immobilibus obtineat?
20 Quid juris sit in immobilibus?

CAPUT V.

1 Optima est ea divisio, quæ sine strepitu judicii fit inter ipsos cohæredes.
2 Quando hæc dividendi ratio locum habeat.
3 Abesse debet ab hac divisione vis & dolus, nec quisquam potest auctoritate propria alium cohæredem, qui prius occupaverat, expellere.
4 Sed judex summarie cognoscens de violentia

tia & occupatione suum cuique jus tribuet circa possessionem.

5 *Quomodo de jure Romano facta sit inter ipsos cohæredes divisio.*

6 *Hodie in Germania inter fratres major dividit, minor eligit.*

7 *Et hoc obtinet etiam si plures quam duo fratres dividendam habeant hæreditatem.*

8 *Si fraudulenter natu major diviserit, minores a judice petunt ut emendetur iniqua divisio.*

9 *Alia dividendi methodus apud Lubenses & Hamburgenses obtinet.*

10 *Cum ea in omnibus fere conveniunt Belgarum consuetudines circa divisionem.*

11 *Alius adhuc proponitur dividendi modus ex duobus præcedentibus quodammodo conflatùs.*

12 *Quid obtineat, si frater natu major dividere perfracte nolit, vel neuter cohæres velit alteri rem æstimatam offerre.*

13 *Postquam cohæres ad cohæredes oblationem elegit, non potest iterum mutare sententiam.*

14 *Nec is, qui obtulit, electionem potest repudiare.*

15 *Si statuto cautum sit, ut intra certum tempus fiat electio, post lapsum temporis cohæres cadit jure eligendi.*

16 *Penes quem remaneant instrumenta hæreditaria.*

17 *Ut divisio possit dici perfecta, necesse non est ut scriptura interveniat.*

18 *Quandoque etiam ex longo tempore præsumitur intervenisse divisio.*

CAPUT VI.

1 *Judicis est dirimere controversias in divisione obortas.*

2 *Quænam judici incumbant facienda antequam inchoet divisionem.*

3 *Necessarium quandoque ut judicis auctoritate fiat divisio, si nonnulli cohæredes contumaces eam facere detrectent.*

4 *In rebus per testatorem non divisis judex habiturus est rationem institutionis, non autem attendet parte rerum quarundam per testatorem divisarum.*

5 *Etiam possunt officio judicis res hæreditariæ dividi, licet testator scripserit, se omnia divisisse, nec plus in bonis habere.*

6 *Nisi illud jurejurando confirmasset.*

7 *Judex res divisibiles in partes debet distribuere.*

8 *Divisionem aptam non recipientes uni adjudicabit, alterum condemnabit in certam pecuniam: & quæ res censeantur civiliter indivisibiles.*

9 *Alter hæredum invito cohærede nequit a judice impetrare ut solus præcipuas res hæreditarias facile divisibiles sibi habeat, cohæredi pro rata præstet æstimationem.*

10 *Nec etiam potest mordicus exigere, ut res divisionem non admittentes in partes scindantur, sed tunc potius illæ res æstimandæ per licitationem.*

11 *Ad hanc licitationem etiam quandoque extraneus, qui hæres non est, admittitur.*

12 *Licitando non semper censetur vicisse qui majus pretium obtulit, sed qui facilius conveniri potest.*

13 *Quid obtineat, si plures, qui singuli solvendo sunt, idem offerant.*

14 *Si aliunde judici constare nequeat, cui potissimum ex licitantibus adjudicare debeat, sorti negotium committendum.*

15 *Inviti cohæredes ad licitationem non compelluntur, sed eo casu peritos ac juratos æstimatores judex adhibet, & sic aliis alias res adjudicat.*

16 *In illa æstimatione res integræ, non in partes scissæ, æstimandæ sunt, eique tunc judex stare debet, licet ipsi cohæredes possint plus offerre.*

17 *Etiam servitutes uni prædio hæreditario in alterius commoditatem judex potest imponere, dum adjudicat.*

18 *Cui committi debeat instrumentorum hæreditariorum custodia, donec absolutum fuerit erciscundæ familiæ judicium.*

19 *Post perfectam divisionem cedunt iis quibus res cesserunt, quorum causa comparata sunt.*

20 *Nisi post divisionem adhuc æqualiter omnes concernant cohæredes.*

21 *Effectus adjudicationis est, quod plerumque tribuat dominium, si defunctus fuerit ejus rei dominus.*

22 *Post factam divisionem judex curabit mutuas interponi cautiones per cohæredes, quarum variæ enumerantur.*

23 *Quid obtineat circa cautiones, si cohæres per contumaciam absens fuerit, cum fieret divisio.*

CAPUT VII.

1 *Rerum mobilium per hostes occupatarum fieri nequit divisio, cessante jure postliminii.*

2 *Immobilium captarum divisio procedit.*

3 *Etiam eorum animalium mansuetorum, quæ a feris rapta, quamdiu consumpta non sunt.*
4 *Dividuntur & res, quæ per defunctum fuerunt bona fide possessæ.*
5 *Res quoque per defunctum empta & hæredibus tradita; non item per unum cohæredem empta ex pecunia hæreditaria.*
6 *Venit etiam res, quæ per judicium communi dividundo tota hæredibus est adjudicata, cum tantum pro parte dimidia defuncti fuisset.*
7 *Res itidem litigiosa in hoc judicium deducitur.*
8 *Ut & illæ res, quas testator sub conditione legavit.*
9 *Quid obtineat in thesauro in fundo hæreditario per cohæredem aut extraneum reperto, demonstratur.*
10 *Quid juris sit circa res hæreditarias per unum cohæredum pro parte vel in solidum alienatas, exponitur per distinctiones.*
11 *Insuper in hoc judicium deducuntur, quæ a defuncto commodata deposita pignori data unus cohæredum recepit, nisi rei divisibilis suam solummodo partem recepisset.*
12 *Non mala medicamenta.*
13 *Non libri improbatæ lectionis magici mathematici hæretici.*
14 *Non lucra turpia.*
15 *Removentur objectiones.*
16 *Non etiam jura sepulcrorum familiarium.*
17 *Nec jura sepulcrorum hæreditariorum.*
18 *Nec jus patronatus.*
19 *Nec ea, quæ uni cohæredum juxta defuncti voluntatem conditionis implendæ causa data sunt.*
20 *Nec servitutes, sive reales fuerint sive personales.*
21 *Nisi iis in casibus, quibus servitus personalis ad hæredes transit aut hæredibus demum acquiritur.*
22 *Veniunt in hoc judicium res defuncto pignori datæ vel apud ipsum depositæ, ad id, ut earum custodia uni demandetur.*

CAPUT VIII.

1 *Collatio describitur, obtinet tantum inter fratres & sorores eorumque descendentes.*
2 *Quid juris sit, si cum iis, qui conferre debent, concurrant alii a collationis onere immunes.*
3 *Quibus modis ad collationem constringantur cohæredes.*
4 *Evitatur collationis necessitas, si abstineatur hæreditate.*
5 *Non conferuntur prælegata, sed tantum ea, quæ quis ab ipso defuncto, dum is adhuc viveret, recepit.*
6 *Non etiam illud, quod liberis demum post obitum patris, licet ejus contemplatione, acquisitum est.*
7 *Jure Romano dos & donatio propter nuptias semper tota fuit conferenda.*
8 *Hodie quandoque tota, quandoque solummodo pro parte dimidia.*
9 *Conferendum etiam peculium profectitium & omne illud quod ejus occasione filius lucratus est, nisi id ei concedatur in peculium adventitium.*
10 *Etiam conferendum quod uni donatum a susceptore seu patre spiritali.*
11 *Erogatum a patre in dignitatem filii, quæ emptionem recipit, conferendum; non item, si vendi nequeat.*
12 *Nec conferendum quod expensum in redemptionem filii captivi.*
13 *Quid juris sit circa sumptus in filium studiis incumbentem factos.*
14 *Non conferendi sumptus a patre in convivium nuptiale filii facti, nisi de contraria constet voluntate.*
15 *Vel nisi tales sint sumptus, e quibus etiam post nuptias penes sponsum aut sponsam residet utilitas.*
16 *Libri studiosorum non conferendi.*
17 *Fratres aut sorores natu minores petere nequeunt a fratribus majoribus, qui studiis operam dederunt aut contraxerunt nuptias, ut etiam post parentis obitum ex communi hæreditate sumptus fiant in ipsorum nuptias aut studia.*
18 *Nec tum quidem sumptus in studia unius fratris post parentis obitum erogati omnes onerabunt, cum in hæreditatis paternæ communione fratres persistunt.*
19 *Quid obtineat in donatione simplici a parente uni liberorum facta.*
20 *Conferendum omnino quicquid pater mulctæ nomine pro uno filio delinquente erogavit.*
21 *Variis modis fieri potest collatio.*
22 *Et in conferentis est arbitrio, quo velit uti modo conferendi.*
23 *Si rem retinere voluerit ad collationem obligatus, & tanto minus ex hæreditate percipere, æstimatio rei facienda qualis fuit tempore mortis illius unde profecta.*
24 *Nisi pater filio feudum novum emerit, quo casu ipsum solummodo conferendum est pretium persolutum.*
25 *Res ipsas non potest conferre, si illæ culpa*

vel

vel dolo conferentis deteriores factæ; secus, si casu.

26 *Præstandæ sunt usuræ ab eo, qui collatione moram fecit.*

27 *An testator possit prohibere collationem, & quando censeatur prohibuisse.*

CAPUT IX.

1 *Nonnulla jure singulari in feudi & emphyteusios divisione sunt recepta.*

2 *Non omnia feuda dividi possunt.*

3 *Feuda jure divisibilia possunt inter plures dividi cohæredes vasalli, etiam sine domini directi consensu.*

4 *Et possunt vel uni totum feudum concedere, vel singuli suam partem habere.*

5 *Nec divisionis feudi nomine laudimia præstanda, nisi extraneus ad licitationem admissus feudum accepisset.*

6 *Emphyteusis alicui & successoribus ejus concessa dividi potest, non item si concessa ut ad filium natu majorem perveniat.*

7 *Si emphyteusis sit divisa, propter moram unius hæredis in canonis solutione commissam, tota emphyteusis cadit in commissum.*

8 *Respondetur objectionibus.*

9 *Qui succedere possint in feudum vel emphyteusin remissive.*

10 *Si loci consuetudine vel lege receptum sit, ut dividi possit fundus censualis, hoc fieri poterit etiam invito eo cui census debetur.*

11 *Ejusque divisionis effectus est, quod singuli præstent partem census, sed ex mora teneantur singuli moratores ad totam pœnam.*

12 *Si lege cautum, ne fiat prædii censualis divisio, hæredes quidem dividunt quoad utilitatem, sed singuli ad totum censum præstandum conveniri possunt, & ad pœnam alter ex mora per alterum commissa.*

13 *Plures hæredes ejus, cui census debetur non possunt sine domini censualis consensu sic censum dividere, ut ille singulis exinde cogeretur census partem præstare.*

CAPUT X.

1 *Veniunt in judicium familiæ erciscundæ etiam præstationes personales.*

2 *Præcipue impensarum per unum cohæredum in rem hæreditariam factarum habenda ratio.*

3 *Si modo impensæ factæ fuerint post obitum ejus, de cujus agitur hæreditate & post eam aditam.*

4 *Et si factæ nomine hæreditario, seu ab hærede tanquam hærede.*

5 *Si denique sumptus utiliter facti sint, & quando censeantur facti utiliter.*

6 *Plures sumptuum utiliter factorum & repetendorum casus enumerantur.*

7 *Etiam damnum in re hæreditaria ab uno hærede datum resarciri debet.*

8 *Sufficit tamen, quod hæres talem in rebus hæreditariis diligentiam adhibeat, qualem in suis solet.*

9 *Damni dati reparandi exempla proponuntur.*

10 *Furti actione hæres a cohærede non convenitur, nisi manifestissime de furandi proposito constet; expilatæ hæreditatis crimen nunquam inter cohæredes intentatur.*

11 *Etiam fructus per unum hæredem percepti cæteris communicandi.*

12 *Quid obtineat in fructibus consumptis, an & illi sint communicandi.*

13 *Si unus hæredum durante lite inhabitaverit ædes hæreditarias, pensiones præstabit.*

14 *Harum omnium præstationibus personalium habetur ratio sive res ipsæ exstent sive perierint.*

15 *Quicquid emptis rebus accedit easque sequitur ut accessorium, id etiam cedit rebus per divisionem obvenientibus.*

16 *Quod plurimis exemplis demonstratur.*

CAPUT XI.

1 *Quisquis experiri vult erciscundæ familiæ judicio cohæres esse debet.*

2 *Omnes illud intentant sive civiles sive honorarii sint successores, sive directi sive fideicommissarii.*

3 *Etiam emptor hæreditatis hoc potest agere judicio contra cæteros hæredes.*

4 *Substitutus quoque contra cæteros institutos, deficiente eo cui substitutus erat.*

5 *Parum interest, hæres ad divisionem provocans rem totam, an partem ejus, an vero nihil possideat.*

6 *An & quando absentia bona inter successores ejus possint dividi, & quando habeatur absens pro mortuo.*

7 *Pupilli nequeunt ad divisionem provocare, ne tum quidem, cum tutorum accedit auctoritas, sed tutores ante debent decretum impetrare.*

8 *Quid juris sit in minoribus.*

9 *Quid in prodigis, furiosis, mente captis.*
10 *Pupilli tamen & minores & prodigi aliique possunt a cohæredibus majoribus ad divisionem provocari.*
11 *Si pupillus tutorem non habeat, cohæres divisionem exigens ei ante tutorem petet a magistratu.*
12 *Quid obtineat in fœminis cohæredibus circa provocationem ad divisionem.*
13 *Quid in ecclesia.*
14 *Hæres sub conditione institutus ante ejus eventum petere nequit divisionem.*
15 *Interim tamen hæredes cæteri pure instituti possunt hæreditatem inter se dividere, salvo manente jure conditionalis hæredis.*
16 *An illi possint dividere, qui inter se pacti sunt, se ad tempus vel in perpetuum in communione permansuros.*
17 *Si cohæredes sibi invicem substituti fuerint, nihilominus possunt hæreditatem dividere, nec eo ipso tollitur substitutio vel fideicommissum.*
18 *Si pendente judicio familiæ erciscundæ unus cohæredum moriatur, ejus successores simul unum debent constituere procuratorem.*

CAPUT XII.

1 *Regulariter creditor non tenetur admittere solutionem debiti per partes factam.*
2 *Ab hac regula exceptio est in pluribus defuncti debitoris successoribus, si modo debitum recipiat scissionem.*
3 *Et si unus hæredum factus sit non solvendo, id cæteros non onerat cohæredes, sed illi tantum pro sua parte conveniuntur.*
4 *Si debitum non sit dividuum, singuli debitoris hæredes in solidum tenentur.*
5 *Quandoque tamen debitum dividuum ab uno integrum præstandum est, idque vel causæ contemplatione.*
6 *Vel propter testatoris voluntatem expressam aut tacitam, veluti si alium mobilium alium immobilium hæredem scripserit.*
7 *Quid obtineat circa æris alieni solutionem, si miles alium castrensium alium cæterarum rerum hæredem instituerit.*
8 *Si testator uni imposuerit onus solvendi debita vel legata, an tali voluntati stare debeant creditores hæreditarii & legatarii.*
9 *Si creditor juxta voluntatem testatoris unum hæredum in solidum convenerit, & non potuerit integrum consequi, contra cæteros ad residuum nihilominus pro rata aget.*
10 *Etiam hodie ubivis fere receptum, ut hæredes singuli pro rata tantum conveniantur pro debito defuncti.*
11 *In debito per hæredes persolvendo tantum habetur ratio institutionis, non ejus quod uni prælegatum aut jure præcipui obvenit.*
12 *Quid juris sit circa debiti solutionem, si plures æqualiter vel sine partibus instituti sint, & ab ipso testatore facta sit inæqualis rerum distributio, in eodem testamento vel codicillis, aut alius Italicarum alius provincialium rerum sit hæres scriptus.*
13 *Hæres solvens partem debiti personalis quatenus eum concernit non liberat partem pignoris a defuncto dati, licèt ea per divisionem ei obvenerit, sed pro parte debiti totum pignus potest distrahi.*
14 *Rejicitur Donelli sententia, & demonstratur, hæredem debere totum debitum persolvere ut pignus liberetur.*
15 *Si totum debitum persolverit, non tamen cæterorum cohæredum partes jure pignoris sibi obligatas habet, nisi id actum, vel jus pignoris in solventem transcriptum.*
16 *Si uni cohæredum cesserit pignus in solidum, alteri imposita sit debiti præstatio potest hypothecarius creditor pro libitu vel rei possessorem in solidum vel singulos hæredes pro rata convenire.*
17 *Si is, cui incumbebat vi divisionis præstatio annui reditus, re ipsa apud alium cohæredem existente, possessor rei etiam post annorum quadraginta lapsum potest conveniri.*
18 *Creditor potest etiam obligatam rem feudalem, quæ ad unum jure præcipui pertinebat, pro debito distrahere.*
19 *Nec is, ad quem feudum pervenit, cogere potest cæteros cohæredes, ut feudum præstent liberum, si defunctus ei reditus annuos imposuerit.*
20 *Secus, si simpliciter feudum hypothecæ obligasset; nisi debitum, pro quo feudum obligatum est, contractum sit occasione feudi.*
21 *Pro qua parte sit agendum contra plures hæredes ejus, qui ratione rerum suarum personalem aut realem debebat servitutem.*
22 *Quomodo cohæredes sint conveniendi propter evictionem rei per defunctum aut per ipsos venditæ.*

CA-

CAPUT XIII.

1 *Post inchoatum erciscundæ familiæ judicium hæres invito cohærede nequit partem suam in alium extraneum transferre.*

2 *Post perfectam divisionem hæredes singuli tenentur persolvere pro rata æs alienum defuncti de novo emergens, etiam id, quod vivo patre propter filii studia vel dignitatem est conflatum.*

3 *Si unus totum debitum præstiterit, quod post demum apparuit, pro rata contra cæteros regressum habet.*

4 *Possunt & hæredes singuli post divisionem pro rata conventi a creditore eum solum hæredem substituere, cui incumbebat totius æris alieni præstatio, nisi malint solvere, & post a cohærede repetere.*

5 *Quomodo per divisionem singulis hæredibus acquiratur rerum hæreditariarum dominium.*

6 *Quomodo & quando cohæredes sibi invicem teneantur de evictione rerum, quæ per divisionem obvenerant.*

7 *Quoties locum habet actio de evictione, hæres a cohæredibus non modo rei æstimationem, verum etiam id quod interest consequitur, habito præsentis temporis respectu.*

8 *Quid in actione de evictione, quæ inter cohæredes est, veniat appellatione ejus quod interest.*

9 *Quid obtineat si res feudalis uni hæredum evicta fuerit.*

10 *Si uni hæredum assignatum sit nomen in solidum, nec impensas in ejus exactionem factas, nec id quod propter debitoris inopiam consequi non potuit a cohæredibus exigere potest, rejecta Pichardi opinione.*

11 *Repetit & post divisionem cohæres quod expendit eo quod ex mora cohæredis in pœnam incidit.*

12 *Hæres fideicommissarius contentus esse debet ea divisione, quæ per hæredem directum, cui incumbebat sub conditione restitutio, facta est, nisi is id egerit in fraudem fideicommissarii.*

CAPUT XIV.

1 *Nihil adeo firmum, quin aliquando viribus destituatur.*

2 *Rescindi potest divisio per ipsos cohæredes facta.*

3 *Justa rescindendi causa est læsio ultra dimidium.*

4 *Est in arbitrio ejus, qui plus justo consecutus est, utrum velit id quod deest cohæredi supplere, an de novo divisionem instituere.*

5 *Etiam remedium* legis 2. C. de rescind. vendit. *locum habet in divisione per judicem facta.*

6 *Quando quæritur an aliquis ultra dimidium læsus sit, inspicitur æstimatio rerum, qualis fuit tempore divisionis.*

7 *Is, qui se læsum asserit, id probare debet, rejecta opinione Anton. Fabri.*

8 *Si læsio sit infra dimidium, nunquam admittenda divisionis rescissio, sed quandoque locus est actioni de dolo.*

9 *Refutatur error Anton. Fabri.*

10 *Non rescinditur divisio propter enormem læsionem, si quis noverit pretia rerum hæreditariarum.*

11 *Quid obtineat circa rescissionem, si divisio sortis facta sit.*

12 *Rescindi potest divisio per errorem celebrata cum eo, qui hæres non erat, sive facti sive juris errore lapsus fuerit verus hæres.*

13 *Nisi divisio facta fuerit in judicio.*

14 *Vel facta fuerit transactio cum eo, de quo verus hæres dubitabat, cohæres esset nec ne.*

15 *Etiam rescinditur divisio, si celebrata sit inter pauciores hæredes ex pluribus, idque propter supervenientiam absentium & divisionis ignarorum.*

16 *Divisio non rescinditur respectu omnium hæredum, sed tantum illius qui læsus est.*

17 *Rescindi potest divisio etiamsi alteruter dividentium res quasdam jam alienaverit.*

18 *Minori etiam contra divisionem datur restitutio, licet infra dimidium læsus sit, nisi jusjurandum vel dolus minoris se majorem asserentis intervenerit.*

19 *Etiam hæc restitutio contra divisionem ex modica læsione datur iis, qui veniam ætatis impetrarunt.*

CAPUT XV.

1 *Præscribi non potest juri divisionem petendi longo vel longissimo tempore.*

2 *Longissimo tamen tempore cohæres solus possidens rem hæreditariam, eam præscriptione acquirit.*

3 *Cessat erciscundæ familiæ judicium, si semel eo actum fuerit; notatur opinio Gothofredi & Pichardi.*

4 *Plures tamen hæreditates pluribus delatæ etiam pluribus judiciis possunt dividi.*
5 *Cessat etiam, si testator alium in re certa alium simpliciter hæredem instituerit.*
6 *Ut &, si alius castrensium, alius cæterarum rerum, alius mobilium, alius immobilium hæres sit.*
7 *Testator ad tempus non in perpetuum in testamento suo potest prohibere divisionem.*
8 *Cessat denique propter creditorum hæreditariorum factum ac petitionem.*

CAPUT XVI.

1 *Judicium familiæ erciscundæ institui potest & in loco rei sitæ & in loco domicilii cohæredis.*
2 *Si cohæredes singuli ex privilegio diversum sortiantur judicem, actor rei forum sequi debet, nisi & beneficium haberet evocandi adversarium ad suum judicem.*
3 *Unus judex potest hæreditatis totius divisionem perficere, licet res sub diversis judicibus sitæ sint.*
4 *Etiam apud judicem non competentem divisio fieri potest, & facta subsistit.*

DE

DE

FAMILIA ERCISCUNDA

CAPUT PRIMUM.

CUR INTRODUCTUM FAMILIÆ ERCISCUNDÆ JUDICIUM, QUID SIT, ET QUOMODO AB ALIIS DISTINGUATUR SIMILIBUS JUDICIIS.

1 *Quæ sint communionis molestiæ.*
2 *Remedia, quibus illæ evitentur.*
3 *Variæ proponuntur* Familiæ *significationes.*
4 *Quid in hac materia per familiam designetur.*
5 *Quid denotetur per verbum* Erciscere *& quænam illius vocis sit origo.*
6 *Unde descendat, & quid sit Erciscundæ Familiæ judicium.*
7 *Est bonæ fidei.*
8 *Cur duplex appelletur, & quis in eo actor, quis reus sit.*
9 *Non est mixtum tam in rem quam in personam, nec ulla talis mixta datur actio.*
10 *Probatur, hoc judicium primario in rem esse, per consequentiam tantum in personam.*
11 *Respondetur objectionibus eorum qui contra sentiunt.*
12 *Est judicium universale.*
13 *Datur hæredi contra cohæredem, iisque solis quotiescumque voluerint a communione discedere.*
14 *Debet esse hæreditas alicujus defuncti, ut hoc judicium possit intentari.*
15 *Locum habet sive ex testamento, sive ab intestato illa sit delata.*
16 *Quis sit finis hujus judicii.*
17 *In quibus conveniat cum actione communi dividendæ.*
18 *In quibus ab ea differat.*
19 *In quibus conveniat cum petitione hæreditatis, aut ab ea distinguatur.*

1 Communionem esse maximum discordiarum fomentum, non sine ratione censuit illustre juris asylum & legalis Doctrinæ thesaurus Papinianus *in l. cum pater* 77. §. *dulcissimis* 20. *ff. de legatis* 2. Id quod vel ipse sacer Codex (ut luculenta nunc silentio transeam aliorum spectatæ fidei auctorum testimonia) memorabili confirmat exemplo Lothi & Abrahami: vix illi simul inceperant indivisa possidere prædia, vix in communia pascua promiscue suos pecorum & armentorum greges immiserant, quin illico gravis suboriretur inter utriusque pastores contentio: *Genesios cap.* 13. *vers.* 7. Nec minus eam esse negligentiæ matrem abunde sæculorum omnium experientia comprobavit: quicquid enim plurium industriæ commissum est, id a singulis ut plurimum neglectum videas, dum quisque consortis sui diligentiæ confisus operam ac curam propriam in re communi prorsus inutilem existimat ac supervacaneam; *naturale quippe vitium est*, uti id disertis verbis Theodosius & Valentinianus Imperatores testantur, *negligi quod communiter possidetur utque nihil se habere, qui non totum habeat, arbitretur, denique suam quoque partem corrumpi patiatur, dum invidet alienæ: l. meminimus*, 2. *C. quando & quibus quart. pars deb. ex bonis decurion.*

2 Ad declinandas autem immensas illas, quæ metuuntur ex communione, rixas & desidiæ vitia, solere plerumque ad divisionem res pervenire, auctor est Paulus JCtus *in l. in re communi* 26. *ff. de servitut. præd. urbanor.* Hinc necessum fuit, ut multiplicato mortalium numero jure gentium introduceretur Dominiorum distinctio. Hinc utilissimum usque credidere prudentes si & ipsa, quantum quidem fieri potest, evitaretur communis ac indivisa rerum administratio, ne quid detrimenti caperent illi, quorum negotia per plures simul alioquin expedienda forent. Si duo pluresve pupillo dati essent tutores, vel uni demandandam voluerunt universam pupillarium rerum regendarum provinciam, vel ita dividendam inter plures tutelam, ut unusquisque certa habeat gerenda impuberis negotia, cætera contutoris sui arbitrio ac curæ relinquat: *l. si plures* 3. §. 1. 2. 6. 7. *ff. de administrat. tutor.* Hinc denique prudenter admodum velut unanimi Jurisconsultorum suffragio receptum est, & imperatoriis sancitum constitutionibus, neminem esse juris aut judicis auctoritate compellendum ad ineundam rerum communionem: *l. si*

non

non sortem 26. §. *si centum*, 4. *ff. de condict. indebiti*; multoque minus constringendum ut invitus in contracta cum alio communione remaneat; verum omni tempore posse divisionem impetrare judiciali sententia, etiamsi maxime reluctare voluerit ejusdem rei consors: *l. in communione* 5. *C. communi dividund.* Eum in finem comparata potissimum tria divisoria judicia, familiæ erciscundæ, communi dividundo, finium regundorum; quibus singulis tributus in Pandectis & Codice peculiaris titulus. Principem sibi locum vindicat, ceu cæteris illustrior, erciscundæ familiæ materia, quam si paulo latiore commentario pro ingenii viribus illustrare tentavero, non prorsus inutilem aut alienam a professione mea operam me navaturum sperare ausim.

3 Et ut in propatulo constituatur ipsa tituli inscriptio, prætereundum non est, familiæ nomen multiplicem in jure nostro significationem admittere aliis quoque probatis scriptoribus non prorsus ignoratam: quandoque enim designat servitium seu famulitium servorum & ancillarum eorumque, qui, licet ingenui sint, bona tamen fide serviunt: *l. ædiles* 25. §. *familiæ*, 2. *ff. de ædil. edict.* Nec alio sensu furtum aut rapinam familia fecisse dicitur, nisi quod plures servi ejusdem Domini potestati subjecti simul extraneo alicui res quasdam fraudulenter abstulerint: *l. prætor ait* 2. §. *hæc actio* 14. *ff. de vi bonorum rapt. l.* 1. *in princ. l.* 4. *l.* 5. *l.* 6. *ff. si familia furtum fecisse dic. l. pronunciatio*, 195. §. *servitium* 3. *ff. de verb. signif.* Atque ita quoque per familiam prætoris album corruptum Paulus asserit, cum plures conservi tabulam jurisdictionis perpetuæ causa propositam vitiarunt: *l. si familia*, 9. *ff. de jurisdictione*. Neque hinc longe recessit Sallustius dum familiam libertis opponit, de bell. Catilin. cap. 50. *Cethegus*, inquit, *per nuncios familias atque libertos suos lectos & exercitatos in audaciam dedit &c.* Præsertim vero cum de libertate tribuenda agitur, usitatum maxime cernimus hoc *familiæ* vocabulum; nam & Cajus in fragmentis *instit. l.* 1. *tit.* 2. scripsit dominum posse servos de familia manumittere, & manumissionibus universam familiam jugo servitutis absolvere: & ipse Justinianus dominis concessit licentiam libertate donandi totam familiam: *tit. instit. de lege Fusia Canin. tollend.*

Nonnunquam etiam ad corpus seu universitatem appellatio familiæ refertur; veluti cum plures iisdem in ædibus sub eodem tecto simul commorantes familiam dicuntur constituere, sive liberi sunt sive servi, aut alias in unius opera ac ministerio pariter versantur, unde & patrisfamilias & filiifamilias desumpta denominatio: *d. l.* 195. §. 2. 3. *ff. de verb. signif. l.* 1. §. *familiæ* 5. *ff. de publican. & vect. l. quod nolit* 31. §. *idem Pedius* 15. *ff. de ædilit. edict.* Illique, qui vel rescripto Principis vel magistratus imperio adoptabantur, olim dicti in parentis adoptivi familiam transire: §. *sed hodie*, 2. *instit. de adoptionib. l. nec ei*, 17. §. *& primum*, 2. *ff. eod. tit.*

Quin imo per familiam non raro denotari generis seu gentis speciem vel partem satis expeditum est; atque ita omnes sub familia comprehendi videntur agnati qui sanguine juncti sunt & commune nomen ac nascendi principium habent: *d. l.* 195. §. 2. *in fin. &* §. 4. *ff. de verb. signif.* cujus & testis est Cicero in oratione pro Muræna: illustrium quippe antiquarum & plebejarum familiarum mentionem injicit, eique Suetonius adstipulatur in vita Augusti c. 2. *a quibus*, inquit, *duplex Octaviorum familia defluxit*; & in Galba cap. 2. *elogia universi generis exsequi grave est, familiæ breviter attingam.*

4 Denique rerum hæreditariarum vel bonorum universitatem aut rem familiarem familia significat: in lege namque duodecim tabularum hunc in modum reperitur concepta lex; *proximus agnatus familiam habeto: d. l.* 195. §. 1. nec aliud voluit ille quem Terentius in Hautontim. lepide sic loquentem introduxit; *decem dierum vix mihi erit familia:* indigitans, universum ipsius patrimonium intra decem dies consumptum iri. Quæ ratio est, quod, cum more pristino per æs & libram, imaginarias emptiones venditiones relinqueretur hæreditas, is qui successurus erat in universum defuncti jus, emptor familiæ dictus fuerit: §. 1. *instit. de testamentis ordinand. ibique DD. Theophil. in institut. eod. tit. Ulpianus in fragmentis tit.* 20. §. 2. 3. *& seqq.* quo spectat illud, quod in vita Neronis c. 4. memoriæ prodidit Suetonius, Domitium videlicet familiæ Augusti emptorem fuisse, *ex hoc*, ait, *nascitur Domitius quem emptorem familiæ pecuniæque in testamento Augusti fuisse mox vulgo notatum est.* Atque hæc propria est familiæ in hoc loco significatio.

5 Verbum autem *erciscere* jure merito inter prisca Latii vocabula recensueris olim scriptum per aspirationem, *herciscere*, idemque designans quod *dividere*. Indicat illud aperte Isidorus origin. *lib.* 5. *cap.* 25. *familia herciscunda*, inquit, *est divisio hæreditatis inter hæredes: herciscunda enim apud veteres divisio nuncupatur.* Nec dubitavit ipsius eloquentiæ Romanæ princeps Tullius aliquoties adhibito erciscundi verbo mentem exprimere: libro enim primo de Orator. sic depromptam legimus ejus sententiam; *qui, quibus verbis ercisci oporteat, nescit, idem familiæ erciscundæ causam agere non potest.* Cæterum non desunt, qui vocis hujus originem a Græcis magis quam Romanis petendam existimant, eo utique magis inclinare videtur glossa, *ad rubric. ff. famil. ercisc.* ejusque opinionis patrocinium quodammodo suscepit utriusque linguæ peritissimus Antonius Mornacius *in comm. ad l.* 12. *C. famil. erciscund.* Cujus ut magna sit penes literatos auctoritas, plus tamen Pompeii Festi sententiæ tribuendum puto, qui in libris de verborum significatione, verbo *erctum* Latinam docet esse ejus derivationem; *erctum citumque*, ait, *fit inter consortes, uti in libris legum Romanorum legitur; erctum a coercendo dictum, unde & erciscundæ & erciscí.* Ex quibus Festi verbis & illud recte deduxeris, aliis in negotiis quam divisione vix usurpare solitum fuisse Romanis hoc erciscundi vocabulum; nisi quod Cujacius Servium secutus per erciscundos etiam intelligi voluerit eos, qui inter duos dissentientes mediam quodammodo viam elegerunt: *observat. lib.* 10. *cap.* 4. *& paratitl. ff. Famil. Ercisc.*

6 Antiquissimum autem est erciscundæ familiæ judicium: descendit enim ex lege 12. tabularum: *l.* 1. *in*

in princ. ff. Famil. Ercisc. Et si quidem in ejus naturam inquirere voluerimus, advertendum est, judicium hoc esse bonæ fidei, duplex, in rem, universale quod datur hæredi a communione discedere desideranti adversus cohæredem, ad id ut omnium rerum hæreditariarum ex testamento vel ab intestato delatarum pro rata fiat divisio, & singulis sua pars in solidum tribuatur ab alterius parte separata; vel, si commoda fieri non possit divisio, adjudicationibus rerum integrarum & præstationibus personalibus expediatur negotium, atque ita sua cuique assignetur hæreditaria portio.

7 Bonæ fidei esse hanc actionem non est quod dubitemus, cum in ea judici libera concessa sit facultas æstimandi quantum actori tribuendum sit, & ipsi Imperatores eam in numero actionum bonæ fidei collocandam censuerint: *§. actionum autem 28. inst. de actionib. l. non est ambiguum, 9. C. Famil. Erciscund.*

8 Duplex est hoc Erciscundæ Familiæ judicium, idque ad exemplum interdictorum duplicium uti possidetis & utrubi: uti enim ea appellantur duplicia, quia par utriusque litigatoris in iis est conditio, nec quisquam præcipue reus vel actor intelligitur, sed unusquisque tam rei quam actoris partes sustinet: *§. tertia divisio, 7. instit. de interdictis.* Sic & hoc judicium tamen de causa merito duplex esse dixeris, cum in eo quilibet hæredum reus simul & actor esse videatur, quatenus suam quisque partem vindicat, eademque opera eam adversus cohæredem defendit: *l. 2. §. in Familiæ, 3. ff. Famil. Ercisc.* Quo sensu etiam mixtum hoc Ulpiano vocatur judicium: *l. actionis verbo, 37. §. 1. ff. de obligat. & action.* Et hinc est, quod utrique sit imposita necessitas præstandi calumniæ jusjurandum conjunctis formulis separatim alias actori & reo pronunciandis: se scilicet non calumniæ causam litem intendere, nec calumniæ causa ad inficias ire: *l. inter cohæredes 44. §. qui Familiæ 4. ff. Famil. Erciscund.* Ne tamen penitus everteretur judiciorum ordo, juxta quem ad ventilandas ac terminandas lites distinctæ tres desiderantur personæ, actor puta, reus & judex; etiam magis placuisse Jurisconsultis Gajus auctor est, ut is potissimum actoris loco habeatur, qui primus ad divisionem provocavit, qui vero provocatus est, rei munere fungi videatur: *l. in tribus, 15. ff. de judiciis: l. 2. §. 1. ff. communi dividund.* Unde si duo pluresve cohæredes simul uno eodemque tempore judicem adiverint ad impetrandam divisionem, non aliud superest, quam ut sortis arbitrio decidatur, quis eo in judicio reus, quis actor sit futurus: *l. sed cum ambo, 14. ff. de judiciis:* Gregor. Tholosanus *syntagm. juris civilis lib. 5. cap. 4. n. 3.*

9 Actionem hanc *in rem* esse dictum est: licet enim in *§. quædam actiones, 20. instit. de action.* Tribonianus asserat, reperiri quasdam actiones, quæ mixtam causam obtinere videntur, & tam in rem sunt quam in personam, atque inter eas etiam enumeretur Erciscundæ Familiæ judicium; si tamen libuerit hæc paulo altius indagare; & accuratiori subjicere legum examini, sponte manifestissimum cuivis erit, nullas plane tales in jure nostro actiones occurrere, quæ mixtam revera causam obtinerent tam in rem quam in personam, adeoque æqualiter de actionis utriusque natura participarent; verum omnes potius, nulla penitus exempta, ad bimembrem ac summam actionum divisionem esse reducendas, ut scilicet primario sint vel in rem vel in personam: *juxta §. 1. institut. de action. & l. actionum genera: 25. in princip. ff. de obligation. & action.* Quamvis negandum non videatur quin nonnullæ ex iis, quæ primario sunt in rem, per consequentiam quædam habeant cum actionibus in personam communia; aut vice versa quædam in personam condictiones quodammodo vindicationum naturam induant, indeque in rem scriptæ nuncupatæ; id quod optimorum fere Doctorum calculo confirmatum constat; hanc utique sententiam ambabus, quod ajunt ulnis amplexi sunt Harprechtus, Giphanius, Heigius, Donellus *ad §. 20. instit. de actionib.* Ant. Faber *de errorib. pragmatic. decad. 94. error. 3. 4.* quos recenset Hunnius *in suis resolut. ad institut. lib. 4. tract. de actionib. part. 2. quæst. 6.* Ut & Hænonius *ad instit. disp. 20. thes. 7. lit. E.* Mynsinger. *ad d. §. 20. n. 18. 19.* Vinnius *ibid. n. 1. & ad §. 1. eod. tit. de actionib. n. 11.* Parens p. mem. Paulus Voet *ad d. §. 20. ibique allegati.* Neque quemquam ab hac opinione jure retraxerint Triboniani verba in d. §. 20. quæ penitus considerata abunde docent, hanc non fuisse mentem legislatoris, ut tales vere mixtas actiones dari statueret, cum eas solummodo *videri* mixtam causam obtinere dicat: at vero novum in jure nostro non est, verbum *videri* quandam inferre impropriietatem & defectum; quatenus quid primo intuitu hoc vel illo modo sese creditur habere quod tamen pressius examinatum aliter postea constitutum invenitur: *arg. l. parte 4. ff. de testam. tutel.*

10 Illa itaque sola superanda restat difficultas, ad quam actionum speciem sit referendum hoc judicium, utrumne actionibus in rem, an vero iis, quæ sunt in personam, annumerandum sit? Pichardus quidem ita censet *in comment. ad tit. institut. de actionib. postl. §. 20. pag. mihi 197. n. 8. 9.* origine inspecta Familiæ Erciscundæ actionem in personam esse, oriundam ex quasi contractu; effectu vero inspecto potius esse in rem, eo quod ad rerum tendat divisionem & adjudicationem. At aliis plerisque superius allegatis ea stat sententia, hanc actionem primario in personam esse, secundario ac per consequentiam in rem; tum quia nascitur ex quasi contractu: *§. idem juris, 4. instit. de obligat. quasi ex contractu.* Quales utpote ex obligatione principium ducentes, sunt personales: *§. 1. instit. de actionib.* Tum etiam, quia præcipua hujus actionis intentio personalis est, cum cohæres agat ad id, ut aliquid fiat, ut dividantur res hæreditariæ: *d. §. 20. instit. de act.* Quæ quidem speciosæ sunt ipsorum rationes, quibus tamen tantum non esse tribuendum puto, quin potius existimem, primario in rem esse hanc Erciscundæ Familiæ actionem, per consequentiam solummodo in personam: Zoesius *ad tit. ff. finium regund. in princip.* Quamvis enim eam ex rebus & præstationibus personalibus simul constare dicat Ulpianus *in l. item Labeo 22. §. familiæ 4. ff. Famil. Ercisc.* Potissimum tamen ea rem i-

ipsam & quidem nostram persequimur ac tuemur: *arg. l. si quis* 29. *ff. communi dividund.* Tuldenus *in Cod. tit. Famil. Erciscund. n.* 2. Quod & ipse Vinnius non obscure designat, etiamsi ante voluerit opinionis contrariæ patronus videri, dum dicit, hanc esse principem hujus judicii causam, ut res hæreditariæ prius indivisæ dividantur; sed non esse solam *ad d.* §. 20. *n.* 2. Tum etiam eo satis evincitur præstationes ex accidenti esse; quod talis quandoque possit dari divisioni obnoxia hæreditas, in qua neuter cohæredi ad præstationes personales obligatus est, dum neuter quicquam de propriis nummis in rem erogavit hæreditariam, nihil etiam vicissim inde recepit; fingamus etenim solam in hæreditate reperiri pecuniam numeratam, solas auri argentique massas; commoda utique & æqualis citra præstationes personales fieri poterit harum distributio. At vero sine rerum ipsarum divisione nullum est receptum Erciscundæ Familiæ judicium; & ita demum eo posse inter cohæredes agi rescripserunt Imperatores, si corpora fuerint communia, quæ dividantur: *l. famil. erciscund.* 9. *C. commun. utrisque judic.* Usque adeo, ut si non in corporibus, sed solis nominibus ipso jure divisis consistat hæreditas, cessare hanc actionem Paulus JCtus tradiderit: *l. hæredes* 25. §. 1. *ff. Famil. Ercisc.*

11 Ex quibus abunde colligi posse censeo, non obstare huic sententiæ primum allatum pro adversa opinione argumentum: neque enim diffiteor, etiam personalem esse hanc actionem, quatenus ex quasi contractu descendit, verum id per consequentiam tantum evenire dixi: si namque nullæ personales fuerint præstationes; ad quas sibi invicem hæredes alter alteri sint obstricti, etiam ex quasi contractu descendere familiæ erciscundæ judicium, nullus unquam probabili juris ratione firmaverit: Besoldus *in delibatis juris tit. Famil. Erciscun. n.* 5. *in med.* Tuldenus *in Cod. d. tit. n.* 3. Mynsingerus *ad* §. 20. *instit. de action. n.* 3. Schneidwin, *ibid. verb. de familia excusanda n.* 3. Nec firmius est alterum ipsorum fundamentum, præcipuam videlicet hujus actionis intentionem esse personalem, quia ad id usque cohæres agit ut aliquid fiat. Quisquis enim crediderit, omnem eam actionem, qua ut aliquid fiat desideratur, inde personalem esse denominandam, hæ, hunc tandem eo devenire necesse est, ut omnes omnino actiones, quas unanimi consensu in rem esse jurisconsulti testantur, personales esse statuat: nulla quippe nota est in jure nostro in rem actio, in qua non aliquod versetur factum, non aliquid fieri postulet eam intentans; id quod uno ore asserunt, quotquot actionis definitionem in princip. institut. de actionibus propositam, realibus & personalibus applicatam cupiunt. Rem utique suam vindicans petit ejus possessionem a reo sibi restitui; idem etiam intendit, qui hypothecaria contra quoscunque pignoris possessores experitur, eodem modo, quo agens erciscundæ familiæ actione rem suam integram extra communionem sibi præstari desiderat.

12 *Universale* est hoc judicium, cum non circa res aliquas singulares versetur, neque detur contra titulo singulari possidentem: *l. hæredes* 25. §. *quod pro emptore* 7. & *seqq. l. ex hæreditate* 54. *ff. Famil. Erciscund.* Sed potius concernat bonorum universitatem, omnium puta rerum in hæreditate repertarum divisionem; unde & una judicis sententia, tota debet terminari inter cohæredes de dividenda hæreditate controversia: Cujacius *lib.* 23. *observat. in med.*

13 Dicitur & *competere hæredi contra cohæredem*, ne quis existimet, ultra hæreditatem aut hæredes hoc protendi judicium; utpote quod inter solos cohæredes sibi locum vindicat; neque quemquam admittit, nisi vel civili vel prætorio jure universalis fuerit defuncti successor, aut alio quo modo vicem hæredis sustineat, qualis est is, cui restituta ex fideicommisso hæreditas: aut adrogatus filius, cui ex constitutione Pii quarta est debita bonorum parentis adrogatoris: *l.* 1. *in fine: l.* 2. §. 1. *l. sed & ejus*, 24. §. 1. *l. si ex asse*, 40. *ff. Famil. Ercisc.* Datur autem cohæredi *volenti a communione recedere*, tum ut constaret, neminem in hæreditariarum rerum communione invitum esse detinendum, sed quandocunque posse pro libitu divisionem exigere: *l. fin. C. commun. dividund.* tum etiam, ut evidens foret, nullum in jure certum tempus esse definitum, intra quod de necessitate petenda foret divisio, sed in perpetuum inter cohæredes consentientes subsistere posse rerum communionem.

14 Additur in hujus judicii definitione, *ad id ut rerum hæreditariarum instituatur divisio*. Quo denotatur, res dividendas debere defuncti cujuspiam esse patrimonium, nec viventis facultates in hoc posse judicium deduci, cum nulla sit viventis hæreditas: *l.* 1. *in fine*, *ff. de hæredit. vel act. vendita.* Ne alioquin hæc actio cum cæteris confundatur divisoriis judiciis finium regundorum & communi dividundo, quæ quidem etiam circa res communes versari dubium non est, non tamen circa hæreditarias; unde & Jurisconsultus prodidit, generaliter eorum duntaxat hæreditatem posse dividi, quorum peti potest hæreditas: *l.* 2. *in princ. ff. Famil. Erciscund.*

15 Utrum vero res illæ fuerint ex testamento an ab intestato ad cohæredes delatæ, parum refert: *d. l.* 2. Quamvis enim lex aut testator singulis succedentibus suas assignaverit portiones hæreditarias, non tamen ita satis est cohæredum concordiæ prospectum, cum illa portionum assignatio tantum pro partibus fiat indivisis, adeoque non tollat sed potius introducat discordiarum matrem communionem.

16 Postremis autem definitionis propositæ verbis solummodo finem hujus judicii complector: neque enim alia de causa fuit adinventa familiæ erciscundæ actio, quam ut cohæredes a communione recedere & exigere divisionem, adeoque res suas sibi solis singuli habere possent: *l.* 1. *ff. Fam. Erciscundæ.*

17 Summam hoc judicium cum actione communi dividundo convenientiam habet & affinitatem, adeo ut integer de communibus utriusque judicii titulus in Justiniani Codice reperiatur, quorum aliqua exempli causa exhibuisse suffecerit; veluti quod utraque primario sit in rem, per consequentiam in personam, & mixta videatur, ac in utraque quilibet actoris & rei partes quodammodo sustineat; quod ii-

iidem fere utramque instituant, ad eundem ferme finem tendat utraque, divisionem nempe rerum communium & præstationes personales; neutra tollatur pacto de permanendo in communione perpetua, neutri præscribatur ne longissimo quidem tempore.

18 Sunt tamen etiam nonnullæ inter utramque differentiæ, quas hoc loco paucis libet annotare: actio etenim communi dividundo tendit ut plurimum solummodo ad rei singularis communis divisionem; at actio familiæ erciscundæ datur ad dividendam hæreditariarum rerum universitatem: *l. per hoc judicium*, 4. *ff. commun. dividund.* Illa sæpius intentari potest; hæc non nisi semel, & si quid post finitum erciscundæ familiæ judicium remanserit indivisum, ad id dividendum actione communi dividundo agendum est: *d. l.* 4. *l. si filia*, 20. §. *Familiæ*, 4. *ff. Famil. Erciscund.* In illam ea tantum deducuntur, quæ dominii jure pertinent ad eum, qui divisionem desiderat: *d. l.* 4. In hanc veniunt & alia, quæ cohæredibus propria non sunt, nec in ipsius defuncti fuerunt dominio; veluti pignora: *l. si pignori*, 29. *ff. Famil. Erciscund.*

19 Convenit etiam in multis hoc Familiæ Erciscundæ judicium cum hæreditatis petitione: utraque enim actio in rem est, universalis, qua eædem fere res exiguntur; licet dubium non sit, quin hæreditatis petitione etiam aliquando contendatur ad rem singularem, eaque quis experiri possit etiam sæpius & adversus eos, qui nec civili nec prætorio jure hæredes sunt: *l. si a te hæreditatem* 9. *ff. de exception. rei judicat. l.* 9. *l.* 10. *l.* 11. *l.* 12. *l.* 13. *ff. de petit. hæreditat.* Brunemannus *ad l.* 1. *C. Famil. Ercisc.* Sichardus *ibid. n.* 3. Schneidwinus *ad* §. 20. *instit. de actionib. de familia erciscunda n.* 16.

CAPUT II.

Quomodo rerum divisio per ipsum testatorem fiat inter cohæredes.

1 *Quot modis dividantur res hæreditariæ; & demonstratur facultatem dividendi summa æquitate concessam esse ipsi testatori.*
2 *Omni ea ultima voluntate testator potest res suas inter hæredes distribuere, qua eos potest instituere.*
3 *Si æquales in priori parte testamenti portiones dederit, tamen in posteriore parte, vel hodie in alio testamento, potest inæquales rerum partes hæredibus assignare.*
4 *Idem potest fieri codicillis sub distinctione, & renovatur objectio.*
5 *In codicillis testamento confirmatis res dividi possunt inter cohæredes.*
6 *Divisio facta in codicillis ab intestato sustinetur jure fideicommissi, hodie etiam directo.*
7 *Divisio a parente facta inter liberos servanda est, etiamsi omnibus solemnitatibus sit destituta, si modo satis de voluntate constet.*
8 *Sed jure Justinianæo requiritur subscriptio parentis aut omnium liberorum inter quos fit divisio.*
9 *Talis imperfecta patris voluntas non sustinetur respectu personæ extraneæ liberis permixtæ nisi sit admodum propinqua.*
10 *Testator non tantum commoda sed & onera potest inter hæredes dividere, veluti per solutionem æris alieni, etiam ita, ut eam uni soli jungat.*
11 *Etiam potest dividere suas res actu inter vivos.*
12 *Liberi quoque & quivis extranei consentiente vel vivente adhuc patre vel eo, de cujus bonis agitur, possunt ea inter se distribuere, & divisioni stare debent, nisi pater eam revocasset, quod potest pro libitu.*
13 *Divisio ab ipso testatore facta non rescinditur propter enormem læsionem, liberis tamen per eam salva debet esse ad minimum legitima.*
14 *Parentes non tenentur in distributione tantam servare æqualitatem, quin alteri liberorum plus, alteri minus possint relinquere.*
15 *Proponitur nova Doctoris eximii opinio.*
16 *Refutatur.*
17 *In divisione per testatorem facta cohæredes sibi invicem de evictione rerum hæreditariarum sunt obligati juxta distinctionem in legatis adhiberi solitam.*

1 Non una est in jure nostro prodita rerum inter cohæredes dividendarum ratio; perfici namque solet divisio vel ab ipso testatore, vel a cohæredibus, vel denique judicis officio. Per ipsum testatorem eam posse fieri, satis explorati juris est; liberum enim est cuique rerum suarum arbitrium, nisi id lege, conventione, decreto judicis, aut testamento fuerit ademptum, sic ut extra hos casus plenissima sit omnibus concessa facultas res proprias arbitratu suo alienandi non modo inter vivos sed præsertim ultima voluntate: *tit. institut. de Lege Fusia Cantollend.* Cum libera potissimum esse debeant morientium judicia, nec quicquam magis debeatur hominibus, quam ut supremæ voluntatis, postquam jam aliud velle non possunt, liber sit stilus, & licitum quod iterum non redit arbitrium: *l.* 1. *C. de sacrosanct. eccles.* Neque cassum aut frustraneum sed firmum esse ultimum ipsorum elogium, & ad instar legis aut sententiæ judicialis observari ac defendi quicquid eo cautum fuerit: unde & Justinianus *in novell.* 48. *in princ.* unam se hanc habere intentionem profitetur, ut firma sint morientium placita, nisi resultent legi, & aperte contrariæ sint iis, quæ ipsi placent. Quæ omnia non modo locum sibi vindicant, si plures testator hæredes scripserit, certas hæreditatis uncias singulis assignans, ipsamque bonorum divisionem hæredibus aut judici relinquens perficiendam; verum etiam, si cuivis hæredi integras supremo judicio dederit res hæreditarias: nam & hanc ipsius dispositionem, quatenus per leges licet & æquum est, judices & ipsi cohæredes approbare ac sequi tenentur: *l. si pater fam.* 33. *l. ex parte* 39. §. *ult. ff. Famil. Ercisc. l. quoties* 10. *C. eod.* Gudelinus *de jure noviss. lib.* 2. *c.* 19. *in fine Princ.* Treutlerus *vol.* 1. *disp.* 19. *th.* 12. *ibique* Bachovius *in animadv. lit. a.* Christinæus *vol.* 2. *decis.* 179. *n.* 5.

2

2 Quia vero non omnis ultima voluntas jure subsistit, si suis sit destituta solemnibus, nec quovis elogio promiscue deferri potest hæreditas; commodum videtur, ut hic investigemus, quale requisitum sit supremum morientis elogium, quibus suffultum probationibus, quibus solemnitatibus munitum id esse debeat, ut in eo facta divisio servanda sit, eique acquiescendum. Nullus, uti puto, inficias iverit, hanc universalem posse regulam constitui; videlicet, unicuique competere facultatem inter hæredes suos distribuendi res hæreditarias omni ea ultima voluntate, qua eos potest hæredes instituere, adeoque testamento solemni tam nuncupativo quam scripto, ac minus solemni militari; etiam si nulla fuerit præmissa generalis eorum hæredum inter quos suum divisit patrimonium, institutio.

3 Quid si tamen in anteriori tabularum parte testator tres hæredes in æquales instituerit portiones, hac forma: *Titius Mœvius & Sempronius hæredes sunto*. Poteritne inter eos in interiore testamenti parte sic distribuere res hæreditarias, ut ex illa divisione inæquales plane portiones ad hæredes perveniant? Contentos eos esse debere assignatis, & voluntati testatoris obtemperandum jubet lex *quotiens* 10. *C. Famil. Erciscund.* si modo salva sit legis Falcidiæ ratio: Schneidwinus *ad §. 20. instit. de actionib. de familia erciscunda num.* 11. Si namque testatori licitum sit legata relicta eodem in testamento adimere, quo data sunt: *princip. institut. de adem. legat.* quidni posset & æquales portiones per subsequentem in iisdem tabulis divisionem ad inæqualitatem redigere? Brunemannus *ad d. l. quoties*, 10. *C. famil. ercisc.* Id quod multo magis erit tolerandum, si factum fuerit alio posteriore testamento; cum hoc, si jus Romanum spectemus, (quo nemo poterat pluribus relictis testamentis decedere, & unius hominis una tantum erat voluntas) omnino rumpat ipso jure testamentum prius: *§. 2. & 5. instit. quib. modis testam. infirm. l. sancimus*, 27. *C. de testamentis*. Si consuetudines hodiernas, infirmet eatenus, quatenus priori adversatur: Parens p. mem. Paulus Voet, *ad d. §. 5. instit. quib. mod. testam. infirm. n. 2. & ad §. fin. instit. de Codicillis, num. 2. ibique plures citati*.

4 De codicillis vero magis intricata & difficilis est controversia, an & iis ita quis suum possit inter hæredes dividere patrimonium, ut divisioni standum omnino sit? Eam morienti facultatem in codicillis non esse concedendam, suadere videntur ea quæ de codicillorum jure nos prima docent legum elementa, iis nempe directo neque dari nec adimi posse hæreditatem: *§. 2. instit. de codicill.* Hoc tamen eventurum esse, si possent iis ipsæ singulis dari res hæreditariæ, dum alicui vel minimam rem testator in codicillis forsan tribueret. Verum enim vero, non tanti sunt hæc ponderis, quo minus aliud in codicillis statuendum & distinctione negotium explicandum censeam: aut enim codicillis est facta divisio a parente inter liberos, aut ab alio quo inter extraneos, idque vel ex testamento, vel ab intestato: utroque enim modo eos posse relinqui dubio caret: *§. 1. instit. de codicillis*, *l. conficiuntur* 8. *in princ. l. ab intestato* 16. *ff. de codicillis l. fin. §. 1. C. eod.*

5 Quod si conditum sit testamentum, in quo nonnulli sine portionibus sunt hæredes instituti, denegando non videtur testatori potestas dandi codicillis velut appendice ac sequela testamenti singulis hæredibus certas ac determinatas res hæreditarias: licet enim hæreditatem ex jure Quiritum codicillis directo deferri non posse per testatorem in codicillis attribui monet Ulpianus *in l. si quis ita scripserit*, 56. *ff. de hæredib. instituend.* Sichardus *ad l.* 10. *C. Famil. Erciscund. n.* 6.

6 Sin autem soli sine testamento relicti fuerint a defuncto codicilli; non aliter effectum sortietur in iis facta bonorum hæreditariorum inter hæredes distributio, nisi quatenus directa voluntas codicillis comprehensa flectitur ac sustinetur jure fideicommissi, si modo suis sit corroborata requisitis solemnitatibus: *arg. §. 2. instit. de codicillis*. Id quod hodiernis plerarumque regionum moribus extra omnem est constitutum disceptationis aleam; cum sublata sit omnis fere inter codicillos & aliam quamvis solemnem defuncti voluntatem differentia; adeo ut quæcunque fieri possunt in testamentis, etiam in codicillis fieri non sint prohibita; & vice versa, quicquid omittendum olim erat in codicillis, hæredis videlicet institutio, illud & in testamento citra vitium hodie negligatur: Antonius Matthæus *tractat. de successionib. disput. fin. num.* 45. Groenewegen *de legib. abrogat. ad §. fin. institut. de codicillis*: Leeuwen *censur. forens. lib.* 3. *cap.* 2. *n.* 2. Parens p. mem. Paulus Voet *ad d. §. ult. de codicill. n.* 2.

7 Si vero pater ex testamento vel ab intestato codicillos conscripserit, iisque suum dispertierit inter liberos patrimonium; firma ac illæsa servari debebit ejus ultima voluntas, talibus expressa codicillis, non modo si adhibita fuerint in illis omnia desiderata in ejusmodi dispositione solennia; sed & si legum solemnitatibus penitus destituta sint: *l. filii* 16. *l. si cogitatione* 21. *l. inter omnes* 26. *C. Famil. Erciscund.* Sufficit etenim, si de parentis voluntate per scripturam aliave signa & judicia evidentia quocunque modo possit abunde liberis constare: *d. l. inter omnes* 26. Andreas Gayl. *lib.* 2. *observ. n.* 6. Matth. Wesembecius *consil.* 155. *n.* 39. Mornacius *ad l.* 20. *§. si pater ff. Famil. Erciscund.* Cujus rei rationem si libeat inquirere, disertis verbis eam nobis Imperator Constantinus suppeditat in *l.* 1. *Cod. Theodos. de Famil. Erciscund. lib.* 2. *tit.* 24. Dum illic probandam sancivit talem divisionem, *ut & memoria defuncti non violetur parentis, & occasiones litium dirimantur*. Eximium utique & dignum maximis laudum præconiis, liberos inter se tueri & admittere supremam, licet minus perfectam, parentis voluntatem; pulchrum, illos ultimum ipsius illæsum ac illibatum observare elogium; neque quicquam liberis unquam, si ulla ducantur in paternos manes pietate, sacratius aut inviolabilius esse debet, quam justum patris in extremo vitæ articulo constituti desiderium: unde & illico paternam ejusmodi scripturam imperfectam juvat ac sustinet æquissima juris præsumptio, patrem optimum pro liberis suis cepisse consilium, & satis justam pro patria in liberos pietate & affectu, quem alius non superat, inter eos instituisse divisionem: *arg. l. nec in ea le-*

se

ge 22. §. *ult. ff. ad leg. Jul. de adulteriis*, *l. si plures* 5. §. 1. *ff. de administr. tutor. l. isti quidem*, 8. §. *ult. ff. quod metus causa l. cum furiosus* 7. *in princ. de curatore furiosi*.

8 Jure tamen novissimo Justinianus æquum censuit, non aliter liberis imponendam esse necessitatem obtemperandi supremæ patris imperfecta prorsus scriptura res hæreditarias inter ipsos distribuentis voluntati, quam si huic scripturæ subjecta inveniatur ipsius parentis, vel omnium, inter quos partitio facta, liberorum subscriptio, nec amplius in posterum sigla vel notas, sed integra verba vulgaribus expressa literis esse adhibenda, ut ita tolleretur omnis ambiguitas, & fraudis ac contentionis occasio: *auth. si modo*, *C. Famil. Erciscund. novell.* 18. *cap.* & *quod sæpe* 7. *novell.* 107. Tuldenus *ad tit. C. Famil. Erciscund. num.* 5. Gudelinus *de jure noviss. lib.* 2. *cap.* 19. *in fine princip.* de requisitis hisce plura, si vacet, invenies apud Rittershusium *ad novell. part.* 6. *c.* 2. Petrum Franciscum Linglois *ad quinquaginta decis.* Justiniani *decis.* 24. *quæst.* 8. Hieronym. Pantschmanum, *quæst. juris contror. lib.* 2. *quæst.* 1. & 4.

9 Sed si mixta liberis fuerit extranea persona, inter ipsos quidem liberos servanda erit hæc dispositio; extraneo vero nullam poterit utilitatem aut emolumentum adferre ejusque contemplatione omnibus erit destituta viribus, sic ut ad legata vel fidei commissa tali scriptura relicta extraneo persolvenda nullus jure constringi possit: *d. l. ult. C. Famil. Erc. isc. l. hac consultissima* 21. §. *ex imperfecto* 1. *C. de Testamentis*, Gregor. Tholosan. *syntagm. juris civilis lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 9. Nisi propinquis pater eo modo quid forte legasset, velut uxori, alumno, aliisve quibus verisimile est testatorem omnino voluisse præstari relicta: ea namque debebuntur ad instar fideicommissi: *d. novell.* 107. *cap.* 1. *arg. l.* 38. *ff. de fideicomm. libertat.* Rittershusius *ad novell. d. p.* 6. *cap.* 2. *n.* 1. *in fine*.

10 Cæterum non ipsas solummodo res hæreditarias & universum hæreditatis commodum testator inter suos potest hæredes distribuere, sed & onera hæreditaria rite inter eos ad amputandam omnem litium occasionem dividit, dum alii aliam æris alieni partem persolvendam injungit: quin imo nihil in recepta jura commisisse videbitur, si vel uni cohæredum imponere voluerit; ut is ex portione hæreditatis sibi delata solus omnia creditoribus præstet hæreditaria debita, atque ita cæteros omnes oneribus hæreditariis exemerit, eodem modo quo uni posset omnium legatorum mandare solutionem: *l. si filia* 20. §. *si pater* 3. & §. *Papinianus*, 5. *ff. famil. erciscund.* Et huic qualicumque debitorum distributioni nequeunt hæredes adversari, si quidem aliquod sperare velint ex hæreditate commodum: quisquis enim in uno approbat defuncti judicium, in aliis illud reprobare vel impugnare minime potest: §. 2. *institut. de singul. reb. per fideicommiss. relictis*.

11 Illud omittendum non videtur, etiam actu inter vivos per parentem inter liberos admissam esse bonorum divisionem, sive illa postmodum testamento vel codicillis a patre confirmata fuerit, sive nullam in ultimo elogio fecerit ejus rei mentionem: Wamesius *centur.* 2. *consil.* 41. *num.* 1. Petrus Zaus *de divis. bonorum lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 1. Jacobus Gothofredus *in notis ad l.* 1. *Cod. Theodos. de famil. erci sc. lib.* 2. *tit.* 24. Neque necessum est, ut intervenerit divisarum rerum traditio, quasi absque ea viribus destituta foret distributio; sed & nuda sufficit parentis dividentis voluntas; eoque casu, licet vere dici possit actus inter vivos, non tamen sustinebitur, nisi in vim ultimæ voluntatis, ejusque naturam & effectus imitabitur, sic ut quandocunque possit a parente pro libitu revocari, non minus quam alia quælibet testamentaria dispositio, propter ambulatoriam hominis voluntatem usque ad extremum vitæ spiritum: *arg. d. l. si filia* 20. §. 5. *ff. famil. erciscund.* Rittershusius *ad novell. d. part.* 6. *cap.* 2. *n.* 15. Francisc. Vivius *lib.* 3. *decis.* 507. *n.* 11. vide Antonium Fabrum *in Cod. Sabaudiæ lib.* 3. *tit.* 25. *definit.* 4. Quod si tamen pater non modo diviserit, sed & divisum liberis tradiderit patrimonium, non levis inter juris interpretes est controversia, utrum & ea supremi judicii naturam induat, & revocari possit, quam late discussam vide apud eundem Petrum Zaus *d. lib.* 4. *cap.* 3. post Menochium *de præsumption. l.* 4. *præsum.* 196. *n.* 12. 13. Gomezium *ad leg.* 17. *Tauri n.* 21.

12 Quin imo ipsis quoque liberis per leges ea videtur indulta licentia, ut & ipsi possint inter se bona parentis sui etiamnum viventis dispertire, si modo pater eam præceperit divisionem, aut alias in eam consenserit, & hæc quidem non adeo firma est, quamdiu pater hac fruitur lucis usura, quin ad ipsius nutum, imperium revocari ac rescindi possit, eo quod necdum proprie sit hæreditas, quippe quæ viventis non est: si tamen ratam eam esse voluerit, & doceatur ad extremum usque vitæ momentum in eadem perseverasse voluntate seu ratihabitione, omnifariam post obitum ipsius illam durare eique standum esse Constantinus rescripsit, sic ut filii, forsan ea parum contenti, neutiquam possint eam postmodum evertere, vel repetitam exigere rerum jam vere hæreditariarum divisionem: *l.* 2. *Cod. Theodos. de famil. erci sc.* quod & in aliis quibuscunque hæredibus extraneis eodem modo videtur admittendum: *arg. l. fin. in med. Cod. de pactis:* Wamesius *d. cent.* 2. *consil.* 41. *n.* 2. 3. Jacobus Gothofredus *in not. ad d. l.* 2. *C. Theod. in fin.*

13 Hæc itaque rerum assignatio per defunctum ipsum facta, vel inter vivos, vel ultima voluntate, plenissimum sortitur inter cohæredes eventum, & omnium est firmissima, minimeque obnoxia rescissioni, cum de læsione ultra dimidium hic nullus hæredum possit jure conqueri, dum quilibet eo solo, quod datum est, contentus esse jubetur: *l. quoties* 10. *Cod. famil. erciscund.* Quod quidem hæredum extraneorum intuitu penitus indubitati juris est: at vero longe dispar cernitur ratio in liberis aliisque, quibus in omnem eventum salva saltem debet esse legitima portio portionis ab intestato debitæ, ut quiescat inofficiosi testamenti querela, vel ad legitimæ supplementum actio: illam enim ipsis per suam divisionem testator nequit absque justa causa minuere vel prorsus adimere: §. *igitur quartam* 6. *ff. instit. de inoffic. testam. novell.* 18. *nov.* 115. Proinde, si non-

nonnullis ejusmodi distributione ne legitima quidem integra data fuerit, horum contemplatione non erit toleranda, quatenus læsis ad supplementum actione succurritur; licet inter cæteros, quibus salva obvenit ex divisione legitima, ac firmum esse debeat defuncti judicium: §. 3. *instit. de inoff. testam.* Pichardus in *comment. post instit. de action. pag. mihi* 202. *n.* 64.

14 Sed si omnibus tantum bonorum fuerit attributum, quod constituat aut excedat legitimam; non est quod de divisionis iniquitate quispiam conqueratur, cum per illam adeptus sit debitam legibus portionem: *l. fin. Cod. de famil. erciscund.* Andreas Gayl. *l.* 2. *observ.* 116. *n.* 5. Nulla quippe constitutione parentibus injunctum est, ut æquales omnibus liberis relinquant hæreditarias portiones: quod si enim parentibus sit data potestas prælegato gratificandi uni liberis: *l. qui filiabus* 17. §. *ult. ff. de legatis l.* 1. *l. cum pater* 77. §. *evictis* 8. *ff. de legatis* 2. nullam equidem animadverto repugnare rationem, quominus etiam ipsis concessum foret inæqualem inter liberos facere bonorum distributionem; præsertim cum expressa lege constituerit Alexander Imperator, adimendum non esse parentibus hæreditatis inter liberos dividundæ arbitrium, dummodo non minus is, qui pietatis sibi conscius est, partis, quæ intestato defuncto potuit ad eum pertinere, quartam ex judicio parentis obtineat: *l. parentibus* 8. *Cod. de inoff. testam.* Nimiam solummodo jura coercuerunt inæqualitatem, legitimam velut jure naturæ debitam liberis tribuentia: Hieronymus Schurpf. *cent.* 1. *consil.* 71. *n.* 4. *& seqq.* Tuldenus *in Cod. tit. famil. ercisc. n.* 5. *in fin.:* Christinæus *vol.* 2. *decis.* 179. *n.* 5. 6. Brunemannus *ad l. fin. Cod. famil. ercisc.* Idque rerum judicatarum auctoritate confirmatam ivit Monacius ad *l.* 10. *Cod. eod. tit.*

15 Sic ut hic reprobanda veniat Doctoris cujusdam haud inglorii opinio, qua contra omnes ad unum doctores se disputare profitetur, censens, jure novissimo liberis æquales ex hæreditate paterna vel materna portiones deberi; alioquin ob modicam inæqualitatem illos jure posse desiderare testamenti rescissionem; isto demum in casu eos legitima debere contentos esse, quo convicti fuerint in parentes ingrati exstitisse propter unam ex quatuordecim ingratitudinis causis; in cujus rei confirmationem adducit novellam 115. *cap.* 3. *in princip.* Eique hanc superaddit rationem, injustitiæ committendæ facultatem non esse patri concedendam, qui inter liberos hunc magis quam illum amore paterno prosecutus, longe minorem ei portionem tribuit sine causa, nec solam legitimam, sed totam parentum hæreditatem jure naturæ liberis esse debitam: *l. cum ratio naturalis* 7. *ff. de bonis damnat.*

16 Verum (quod viri magni pace dictum) infirmius est & in lege & in ratione quæsitum hujus placiti fundamentum, quam ut a communi opinione quemquam dimoveat: quod enim spectat *nov.* 115. *cap.* 3. ea non aliud cautum invenio, quam, parentes debere liberis suis relinquere legitimam institutionis titulo, utpote liberis utiliore propter juris accrescendi spem, si cohæres forsan defecerit; id quod Imperator indicat, dum dicit, *parentes non posse ullo modo liberos suos præterire aut in testamento exhæredes facere;* cui consequens erat, ut omnes alios removeret titulos, (quibus liberi potuissent videri legitimam esse consecuti) ut non sufficientes ad excludendam inofficiosi querelam; idque præstitit abunde verbis immediate sequentibus, *nec, si per quamlibet donationem vel legatum vel fideicommissum vel alium quemcunque modum iis dederint debitam legibus portionem;* quæ quondam quarta, jure novo triens vel semis pro numero liberorum. Hunc genuinum esse puto *Justiniani in d.* novella sensum. Nec majus est in subjuncta ratione præsidium: quamvis enim in *d. l.* 7. *ff. de bon. damnat.* Paulus asserat, hæreditatem liberis naturali ratione quasi lege tacita deberi; ea tamen lex tacita per expressam aliam everti potest, uti illud in eadem *l.* 7. in fine principii manifesto demonstrat idem JCtus, dum liberis damnati parentis non totam sed legibus debitam partem relinquendam statuit; quæ definita est dimidia bonorum portio: *l. quando quis* 10. *Cod. de bonis proscriptorum.* At vero ipsa quoque parentis dispositio legis expressæ vicem obtinet: nam & lege duodecim tabularum ita cautum videmus; *pater fam. uti legassit suæ rei, ita jus esto: l. verbis legis* 120. *ff. de verb. signif.* & quamdiu reperitur suprema defuncti voluntas, tamdiu cessat scriptæ legis dispositio: *l. quamdiu* 89. *ff. de reg. juris, l. in plurium* 70. *ff. de acquirend. hæredit. l. antequam* 8. *Cod. commun. de succession.* Quod verissimum esse, & in hoc utique Jurisconsulti responso debere subintelligi nemo negaverit, cui placuerit ad Pauli d. legis auctoris tempora respicere; tunc etenim viguisse jus antiquum, adeoque legitimam parentis judicio datam usque sufficisse ad exclusionem querelæ, dubio caret: §. 3. *inst. de inoff. test.*

Illud leve est, quod leges indulgere non debeant parenti inter liberos æquales inæqualem facienti bonorum distributionem: eo etenim admisso, parentibus erepta foret omnis testamenti factio, frustranea foret illorum ultima voluntas, lege omnia illa sic disponente, quæ possent postremo parentum judicio ordinari; præsertim cum eadem ratio suasura sit, ut nulli extraneo pater possit in testamento legata relinquere: alioquin enim periniquum esset, si parenti liberum foret inferre liberis præjudicium extraneis gratificando, idem licitum non esset volenti majore portione nonnullos liberos præ cæteris honorare. Quibus & hoc merito addideris, ex hac opinione, si usu recepta foret, non exiguum parentibus imminere incommodum, & miseram in multis futuram eorum conditionem: cum enim solummodo quatuordecim inveniantur enumeratæ causæ in *nov.* 115. propter quas liberi legitima debeant esse contenti juxta novæ sententiæ auctorem, eveniet, ut eas tantum liberi sedulo sint evitaturi, de minoribus ac levioribus causis ibidem non expressis, aut reprobatis ut minus sufficientibus parum solliciti; adeoque nec amplius obsequiis & obedientia conabuntur sibi patrium affectum & amorem conciliare, vel parare spem successionis paternæ, dum obsequiis suis se nil profecturos esse cogitant, cæteris parum morigeris æqualem hæreditatis portionem auferentibus. Quæ

omnia cum æquitati repugnent, abunde stabilitam puto communem sententiam.

17 Quia vero dictum aliquoties unumquemque hæredem assignatis a testatore debere contentum esse; hinc sæpius a juris interpretibus non contemnenda fuit ventilata de evictione controversia, utrumne cohæredes cæteri de evictione suo teneantur cohæredi, cui res aliqua hæreditaria per ipsius testatoris divisionem acquisita evincitur? in eam quidem frequentius itum est sententiam, omnem cessare debere de evictione actionem, quoties unusquisque defuncti judicio partes habet: *tom.* 2. *variar. resolut. cap.* 2. *n.* 34. *in med.* Andreas Gayl. *l.* 2. *obser.* 116. *n.* 2. Petrus Zans *tract. de divis. bonorum l.* 1. *cap.* 8. *n.* 13. Christinæus *vol.* 2. *decis.* 179. *n.* 14. *in fin. & ad consuetud. Mechliniens. tit.* 16. *art.* 48. *n.* 5. Verum cum neque lex neque ratio satis horum patrocinetur opinioni; rectius hic illam existimo distinctionem adhibendam, quam post alios ipse Justinianus in legatis per testatorem relictis approbare non dubitavit, cum eam & in nostro casu suggerat eadem, quæ in legatis, æquitatis ratio; inquirendum videlicet esse, defunctusne rem evictam divisione dederit personæ proximæ sanguine junctæ vel uxori, an vero extraneo nullo proximitatis nexu juncto. Et personæ quidem propinquæ cognationis vinculo propter evictam rem assignatam a defuncto dandum esse contra cohæredes regressum; cum in omnem eventum ea, quæ proximis relicta sunt cognatis, salva lis esse debere jusserit Imperator in *l. cum alienam* 10. *C. de legatis*. Si vero hæredi extraneo res aliena obvenerit testatoris distributione, dispiciendum puto, utrum defunctus eam rem alienam esse sciverit, an ignoraverit; quod si compertum habuerit illam esse alienam, cæteros cohæredes pro rata de evictione obligatos esse verius est; cum & in casu rei alienæ legatæ hæredes ad eam redimendam, aut persolvendum ejus pretium obligatos esse appareat ex *d. l.* 10. *Cod. de legatis & §. non solum autem* 4. *inst. de legatis*. Sin eam alienam esse nesciverit, cæteros cohæredes de rei uni per defunctum datæ evictione non teneri censeo; cum nec rem legatam eo casu præstare legatario cogantur: *d. §.* 4. *d. l.* 10. Neque quispiam miretur a re legata ad hæreditariam rem institutionis titulo relictam argumentum deduci: nam & Ulpianus in *l. ex facto* 35. *ff. de hæred. instituend.* non obscure demonstrat, divisionem rerum inter hæredes a testatore factam legati specialis vim obtinere; easque sic datas velut prælegatas esse statuit Andreas Gayl. *d. loco*. Unde & Menochius, quamvis communem maluerit approbare Doctorum sententiam, sua tamen limitatione nostram adjuvat, dum iis in casibus actioni de evictione locum esse dicit, quibus pro legato speciali hæres de evictione tenetur: *de præsumpt. l.* 3. *præsumpt.* 18. *n.* 9. vide Johan. Sande *decis. Frisic. l.* 4. *tit.* 111. *defin.* 2. *in med.* Fachinæum *l.* 6. *contr. cap.* 68. *concl.* 2. & præsertim Bachovium ad Treutlerum *vol.* 1. *disput.* 19. *thes.* 12. *lit. D.* Struvium ad *pand. exercit.* 15. *n.* 2.

CAPUT III.

De conficiendo repertorio omnium bonorum hæreditariorum.

1 *Repertorium est necessarium, ut excludantur fraudes.*
2 *Quibus incumbit inventarii conficiendi molestia.*
3 *Quæ sint in inventarium referenda.*
4 *Quibus circumstantiis res sint describendæ, ut ab aliis distinguantur.*
5 *Conscribi debet a notario, testibus præsentibus.*
6 *Legatariorum aut creditorum hæreditariorum præsentia non requiritur, nec tempus definitum, intra quod debeat absolvi, sed ex arbitrio judicis dependet.*
7 *Inventarium jurejurando conficienti confirmandum, etiam a parentibus ad petitionem liberorum; sed & remitti potest ab ipsis cohæredibus.*
8 *Quomodo puniatur qui neglexit inventarii confectionem, cum ea ipsi fuisset injuncta.*
9 *Quid obtineat, si quid dolo vel sine dolo fuerit inventario omissum.*
10 *Unde colligatur in quarundam rerum omissione dolum adfuisse vel abfuisse.*
11 *Inventarii conscriptionem aut exhibitionem jure petunt omnes illi, quorum interest ex justa & probabili causa.*
12 *Testator potest hæredibus remittere solemnem inventarii confectionem.*
13 *Omnem inventarii confectionem remittere vel prohibere nequit, licet aliqui dissentiant.*
14 *Respondetur eorum objectionibus.*

1 Ut de hæreditatis dividendæ quantitate certo constare possit, & omnis excludatur cohæredum fraus, omnis calliditas ac machinatio, quam nonnunquam alii ad alios circumveniendos adhibere consueverunt, non tutius aliud suppetit remedium, quam ut conficiatur repertorium omnium bonorum, quæ reperiuntur in hæreditate defuncti: Pichardus *in comment. post §.* 20. *instit. de actionib. pag. mihi* 200. *n.* 36. Circa quod hæc potissimum paucis perstringenda, quinam illud conficiant, quæ in illud referri debeant, quæ ejus solemnia requisita, quid juris sit in omissis, quæ denique pœna sit eorum qui dolo malo nonnulla celarunt credita vel res hæreditarias.

2 Inventarii conficiendi onus vel ipsis incumbit hæredibus, vel iis, quos testamentorum executores appellare solent constitutos a testatore vel a magistratu, ut curent, ne quodammodo pereat ultima defuncti voluntas: Grassus *sentent. lib.* 1. *art. execut. quæst.* 7. *n.* 1. 2. Ab hæredibus quidem omnibus simul conscribi debet, si modo res hæreditarias pro indiviso singuli possideant, aut alii alia detineant integra hæreditatis corpora; sin autem unus cohæredum solus universo defuncti patrimonio manus injecerit, etiam ceteri cohæredes non possidentes optimo jure desiderabunt, ut hic omnium bonorum communu-

munium, quæ solus occupavit, inventarium edat: Wamesius, *cent.* 2. *consil.* 38. *n.* 5. Idque non propriis expensis, nec etiam sumptibus eorum qui repertorium exegerunt, sed potius communibus hæreditatis impendiis; cum æqualiter hæredum omnium concernat utilitatem, uti hoc post alios allegatos docet Christinæus *ad Mechlin. tit.* 16. *art.* 40. *n.* 5. 6.

3 In hoc referenda sunt omnia defuncti bona mobilia & immobilia, corporalia & incorporalia, fructus, si qui sint a solo separati, debita & credita universa illius, de cujus hæreditate dividenda laboratur: *l. fin.* §. *sin autem dubius* 2. *C. de jure deliberand.* Etiam illud, quod defuncto sub conditione debetur, quodve testator ipse alteri sub conditione legavit: *l. & post litem* 12. §. *fin. ff. famil. erciscund.* Ut & ea, quæ defuncto pignori vel commodato data sunt, aut penes eum custodiæ causa deposita: Grassus *sentent. lib.* 2. *art. inventarium hæreditatis*, *quæst.* 11. *n.* 1. *in fine*. Nec modo res ipsæ sunt in inventario exprimendæ, sed & ipsa rerum gratia comparata documenta & instrumenta publica vel privata: *l. tutores vel curatores*, 24. *C. de administrat. tutorum*.

4 Ea autem circumspectione ac cura, iisque circumstantiis expressis describendæ res quælibet hæreditariæ, ut accurate possint a se invicem & ab aliis distingui aliorum bonis, ne alioquin ex obscuritate incertitudo nascatur & confusio, neve quibusdam libera videatur relicta facultas melioribus deteriora, minora majoribus fraudulenter substituendi. Una & usu fere quotidiano comprobata Doctorum sententia statuentium, adjiciendum in inventario rerum describendarum situm, cohærentias, vicina prædia, quantitates & qualitates; horum omnium si quid omissum fuerit, contra conficientem posset in litem jurari: *arg. l. forma censuali*, 4. *ff. de censibus*, late Paulus Montanus *tract. de tutelis*, *cap.* 32. *regul.* 5. *n.* 75. *& seqq.* Eodem modo describendum auri & argenti facti vel infecti pondus, pecuniæ signatæ numerus, exprimenda frugum mensura: acervum frumenti, massam auri vel argenti dixisse non sufficiet; cum talia nullis certis ac limitatis circumscribantur naturæ terminis, quin facile quid inde demi posset, eodem massæ vel acervi nomine remanente: Argentræus *ad consuetud. Britan. art.* 514. *gloss.* 5. *n.* 2.

5 Cæterum, ut sua constet auctoritate repertorium, & extra omnem collocetur fraudis suspicionem, non qualescumque debent in eo conscribendo promiscue adhiberi; sed, si id exegerint cohæredes, componendum erit per Secretarium aut tabellionem publicum, viros, quorum est in omnibus publice privatimque probata fides: *arg. d. l. tutores vel curatores*, 24. *C. de administrat. tutor.* Zoesius *ad tit. ff. de jure deliberand. n.* 7. Schneidwinus *ad instit. de legitima agnat. tutela n.* 16. Chassanæus *ad consuetud. Burgund. rubric.* 6. §. 6. *verb. per inventarium n.* 1. 2. Argentræus *ad consuetud. Britan. art.* 477. *gloss.* 2. *n.* 6. Præsentibus integræ famæ & existimationis illæsæ testibus; ita tamen ut ab hoc testimonii perhibendi genere non omnino videatur removenda mulier; cum nullo jure exclusa reperiatur, nisi aliud consuetudine vel lege loci receptum esset: Grassus *recept. sentent. lib.* 2. *art. inventarium*, *q.* 7. *n.* 3.

6 Legatarios autem & fidei commissarios aut creditores ad hujus inventarii confectionem convocari non est necesse: utpote quorum tum demum desiderata videtur præsentia, cum per repertorii confectionem ipsis iniqua posset inferri conditio; dum hæredes, impetrato inventarii beneficio eum in finem universas publice describi curant res hæreditarias, ne ultra vires patrimonii relicti obligentur defuncti creditoribus ac legatariis, *juxta* §. *sed nostra benevolentia* 6. *instit. de hæredum qualitat. & differen. l. fin. C. de jure deliberandi nov.* 1. *cap. hinc nobis* 2. Perezius *ad tit. C. de administr. tutor. n.* 4. At vero in hoc nostro casu, quo solummodo propter rerum hæreditariarum custodiam & faciendam divisionem requiritur repertorium, nullum ejusmodi creditoribus aut legatariis imminet præjudicium, quippe quibus hæredes jam ante per ipsam hæreditatis aditionem ad integra debita & legata præstanda se obstrinxerunt, etiamsi forsan postmodum apparuerit, non eo usque defuncti patrimonium sese porrigere: *d.* §. 6. *in fine d. l. fin.* §. 14. *d. nov.* 1. *cap.* 2. §. 2. Cui consequens est, ut nec præcise debeat intra triginta dies ab hæreditatis delatæ scientia computandos inchoari, & absolvi intra proximos sexaginta; sed potius arbitrio judicis id plane relinquendum sit, qui pro modo facultatum definiet, intra quantum temporis spatium perficiendum sit repertorium, argumento eorum quæ tradit Paulus Montanus *tract. de tutelis cap.* 32. *regul.* 5. *n.* 21. Menochius *de arbitrar. judic. lib.* 2. *casu* 174. Wamesius *cent.* 2. *consil.* 38. *n.* 6.

7 Postquam rite redacta sunt in inventarium hæreditaria bona, confirmandum illud est solemni jurejurando per eum præstando, cui repertorii conficiendi cura fuit demandata; se videlicet omnia bona hæreditaria, quantum quidem hactenus rescire potuit, in inventarium bona fide retulisse, neque quicquam eorum fraudulenter aut intervertendi animo celasse vel omisisse: *arg. l.* 2. *fere in princ. C. quando & quib. quarta pars debetur ex bon. decur.* Quale jusjurandum non usque quidem de facto præstari solet, dum hæredes cæteri satis aliunde perspectam habentes fidem & integritatem illius, qui repertorio conficiendo præfuit nonnumquam ipsi remittunt jurandi necessitatem; qualis remissio nulla lege cernitur inhibita, nec contraria bonis moribus, cum jurisjurandi religio adjiciatur in securitatem utilitatem ac favorem cohæredum, cui unumquemque pro libitu posse renunciare certissimi juris est: *l. pactum inter hæredem* 46. *ff. de pactis*, *l. sed & si quis*, 4. §. *quæsitum* 4. *ff. si quis cautionib. in judic. sistend. caus. factis non obtemp. l. si judex*, 41. *ff. de minorib.* 25. *annis*, *l. si quis in conscr.* 29. *C. de pactis*. Christinæus *ad Mechliniens. consuet. tit.* 16. *art.* 42. *n.* 2. Si tamen perfracte jusjurandum urgeant, suoque velint uti jure, frustra quis illud detrectaverit, usque adeo, ut ne pater quidem aut mater ab illius præstatione, liberis id exigentibus, immunis sit: quamvis enim summopere parcendum sit parentibus, & de iis bene præsumatur, multumque paternæ deferatur reverentiæ; æquissimum tamen est, ut per religiosam ejusmo-

modi veritatis assertionem omnis etiam excludatur fraudis, si non suspicio, saltem occasio: Mævius *ad jus Lubecens. part. 2. tit. 2. art. 21. n. 10. & seqq.* Cui sententiæ non exiguum momentum adfert, quod jure novissimo nec calumniæ jusjurandum, quod in pletisque huic nostro simillimum esse constat, parentibus ac patronis sit remissum; dum Justinianus hanc communem jurandi legem adversus omnem personam posuit, & modis omnibus hanc sacramenti necessitatem nulli voluit concedere: *nov. 49. cap. 3.* Amputata omni dubitatione, quam de antiquo jure quis movere sibi posset, *ex l. jusjurandum 34. §. qui jusjurandum 4. ff. de jurejurando & l. licet famosæ §. nec deferentes 3. ff. de obsequiis parent. & patron. præstandis.*

8 Quod si is cui injuncta fuit judicis aut testatoris voluntate repertorii conficiendi molestia, parum fideliter parumque diligenter in eo conscribendo versatus fuerit, certis sui doli & negligentiæ pœnis subjicitur, nisi justissimas possit allegare excusationis rationes; alioquin enim, si nullum penitus conscripserit, cæteris cohæredibus adversus eum dabitur regressus in id quod interest æstimandum adhibito in litem jurejurando: dolo namque creditur ejus omisisse confectionem, quo liberiorem haberet rerum intervertendarum occasionem: *arg. l. tutor qui repertorium 7. in princ. ff. de administrat. tutor.* propter quam fraudem præsumptam in litem jurari receptum est: *l. penult. C. de in litem jurand.* Paulus Montanus *d. tract. de tutelis cap. 31. regul. 5. n. 43 & seqq. & regul. 6. per tot.* Schneidwinus ad *tit. institut. de legitim. agnat. tutela n. 16.* Christinæus *ad Mechliniens. tit. 9. art. 13. in additionib. n. 1.* Petrus Zans *tract. de divis. bonorum lib. 1. c. 1. n. 51.*

9 Si vero nonnulla fuerint omissa, citra dolum tamen & malevolum conscribentis propositum, nullum inde præjudicium infertur cohæredibus, nec etiam ullam ideo pœnam subit ipse conficiens, sed solummodo prætermissa subjungit: at si sciens prudens opera debita animoque fraudulento quædam in inventarium non retulerit, non modo partem suam in rebus iis celatis amittit, ut a Principe rescriptum fuisse Marcellus asserit: *l. rescriptum 6. ff. de his quæ ut indignis auferunt.* Et Ultrajectino cautum est statuto: *rubric. 23. art. 10.* Verum insuper jure novissimo Justiniani duplum ejus, quod prætermisit, restituere compellitur: *l. fin. §. licentia, 10. C. de jure delib.* ibique Raguellus *in comment. ad leges Justiniani.* Quin imo talem universo successionis emolumento privandum esse nonnulli statuunt: Chassanæus *ad consuetud. Burgund. rubr. 4. §. 21. verb. subtraxerunt & celarunt n. 7.* Sex diversas circa rei hæreditariæ celatæ pœnam opiniones enumerat Grassus *sentent. lib. 2. art. inventarium hæreditat. q. 12.*

10 Ex conjecturis autem potissimum & indiciis plerumque colligitur dolosus in occultandis defuncti rebus animus; unde & si post perfectum inventarium aliunde resciverit, plures superesse res hæreditarias, quarum necdum facta mentio, nec eas illico curaverit addi repertorio, fraudandi voluntatem habuisse merito præsumitur.

11 Cæterum ad hanc inventarii compositionem solemnem non hi modo possunt contendere, quos cohæredes esse manifestum est; verum etiam illi, qui una cum aliis, per quos jam adita defuncti hæreditas, in partem ejus admitti desiderant, eumque in finem controversiam ipsis moverunt, interim pendente lite repertorii confessionem ejusve conscripti exhibitionem jure postulant; dummodo probabiles aliquæ subsint præsumptiones, quibus saltem prima facie videntur una cum cæteris ad hæreditatem ejusque divisionem concursuri, ut judicatum testatur Christinæus *ad consuet. Mechliniens. tit. 16. art. 40. in additionib.* Imo, quod magis est, omnibus iis, quorum interest ex causa justa ac legitima, petentibus recusari nequit inventarii conscripti editio: Wamesius *centur. 2. consil. 58. n. 7.*

12 Illud hoc loco superest examinandum, num in suo testamento testator prohibere vel remittere possit futuris hæredibus aut ultimæ voluntatis executoribus, quo minus omnium bonorum conscribant inventarium? Ipsos quidem cohæredes communi consensu posse sibi invicem hanc condonare necessitatem non est quod ambigamus, cum unusquisque possit sui juris persecutionem aut spem futuræ perceptionis deteriorem constituere, suoque renunciare juri quæsito, uti ante dictum. At in ipso testatore non idem per omnia statuendum est: cum etenim solemnem quidem inventarii confectionem remittere vel vetare posse nullatenus dubito; eamque prohibitionem illud operaturam, ne quisquam cohæredum possit alterum compellere, ut in eo conscribendo tabellionem publicum, aliasque juris solemnitates adhibeat; tum quia tali remissione necdum hæredibus impune peccandi vel hæreditatem expilandi præbetur ansa; tum quia magnopere nonnunquam ipsius testatoris & quorundam ejus hæredum interesse potest palam non confici bonorum repertorium, ne divulgentur ita in populum patrimonii facultates, adeoque vel paupertatis detegatur vilitas, vel invidiæ plebis exponantur ingentes divitiæ, quod durum ac prorsus inhumanum fore censuerunt Imperatores in *l. 2. C. quand. & quib. quart. pars debetur ex bon. decurion.*

13 Omnem vero inventarii conficiendi necessitatem quod spectat, hanc etiam a testatore remitti posse testamenti executoribus, aut hæredi, contemplatione alterius cohæredis, existimant plurimi non infimæ notæ jurisconsulti, Julius Clarus *sentent. lib. 3. §. testamentum q. 66. n. 2. in fine, ibique citati:* Augustinus Barbosa in *collectan. ad l. fin. C. arbitrium tutel. n. 14. in fine:* Chassanæus *ad consuetud. Burgund. rubric. 6. §. 6. verb. per inventarium n. 23.* Quos duplex potissimum visa est movere ratio, Justiniani puta rescriptum in *l. fin. C. arbitrium tutel.* quod decidit, testatorem ei, quem supremo judicio constituit impuberis sui filii tutorem, remittere posse repertorii conficiendi onus; tum etiam quod, sicuti potuit iis hæredibus omnino nihil relinquere, ita multo magis in iis, quæ dare voluit, debeat posse præjudicare. Quibus tamen non repugnantibus rectius concludendum censeo, non eo usque testatori indulgendum esse, ut in præjudicium quorundam hæredum omnem remittere vel prohibe-

re

re posset inventarii confectionem: illud etenim si concederetur, maximus cuivis improbo pateret ad malitiam exercendam campus, & optima grassandi in defuncti patrimonium occasio; pessima tunc foret integerrimi cujusque cohæredis conditio, dum alius ad rem avidior, & rapaces prædæ libidine nesciens cohibere manus, ubi lucri bonus odor irrepsit in sensus, & spes est secreti, pro libitu cuncta passim interverteret, nihil aut parum utique suo relinqueret cohæredi: id quod in republica bene constituta neutiquam est tolerandum, sed rejicienda potius ejusmodi testatoris iniqua voluntas velut hominis parum mente valentis: Argentræus ad *consuet. Britan. art.* 477. *gloss.* 2. *n.* 5. quo conferunt ea quæ tradidit Peckius *tract. de testament. conjugum lib.* 5. *c.* 24. *n.* 3. *in fin.* Paulus Montanus *tract. de tutelis c.* 32. *regul.* 5. *n.* 26. Wissembach *ad pand. vol.* 1. *disp.* 51. *n.* 1. *sub fin.* earumque sententiam etiam tacite comprobare suo calculo videtur Petrus Zans in pari causa asserens, testatorem non posse suorum liberorum tutoribus remittere rationum redditionem, quod si hoc egerit, scrupulosam tantam & solemnem videri condonatam: *arg. l. si servus* 119. *ff. de legatis* 1. Zans *tract. de bonorum divis. l.* 1. *c.* 1. *n.* 48.

14 Nec difficultates hasce paulo ante recensitas tollunt argumenta pro communiori Doctorum opinione facientia: ut enim a posteriori incipiam, testatori debere liberum esse rerum suarum arbitrium, eumque posse plurimas honorato parum utiles inserere suo testamento conditiones, libens concesserim: hanc tamen libertatem non ulterius porrigendam esse vicissim largietur (uti puto) cui sana placet jurisprudentia, quam quatenus eam honestas bonique mores ferunt, & in quantum nullam alicui præbet delinquendi fiduciam; quam ubi dederit, minime probanda: *l.* 29. *l.* 30. *C. de pactis*. Eam autem induci per omnem inventarii remissionem abunde ex antedictis evincitur. Justiniani vero legem quod spectat, ea tantum remissa solemnis inventarii confectio; nihilominus enim accuratam esse habendam omnium notitiam & descriptionem in libro rationum (quæ inventarii minus solemnis vim & effectum habet) statuit post alios Brunemannus ad *d. l. fin. Cod. arbitr. tutelæ*. Quid quod ea sit optimorum plerorumque juris interpretum sententia, judicem posse vi suæ jurisdictionis compellere tutorem, non obstante defuncti prohibitione, ad conficiendum solemne pupillarium facultatum inventarium, quamprimum aliqua subesse cœperit fraudis & doli suspicio: arg. *l. si plures curatores* 3. §. *quamvis* 3. *ff. de administrat. & peric. tutor.* Chassanæus *d. rub.* 6. §. 6. *verb. per inventarium n.* 26. Covarruvias *lib.* 2. *variar. resolut. cap.* 14. *n.* 4. Durenus *ad tit. de legat. & fideicomm. in fin.* Clarus *d. quæst.* 66. *n.* 66. *ibique plurimi ab Harprechto in marg. citati:* Zoesius *ad tit. ff. de administrat. tutor. n.* 9. Perezius *C. eod. tit. n.* 3.

CAPUT IV.

De separandis defuncti bonis a patrimonio conjugis superstitis.

1 *Divisionem bonorum præcedere debet separatio bonorum conjugis defuncti & superstitis.*
2 *Quid circa eam de jure Romano obtinuerit, & præsertim in dote restituenda, ac ad quem pertinuerit damnum stante matrimonio adveniens.*
3 *Hodie sublata in multis jura & privilegia dotium.*
4 *Et introducta legalis vel bonorum omnium in matrimonium collatorum, vel saltem acquæstuum inter conjuges communio.*
5 *Tres proponuntur circa hanc materiam diversi casus, quibus omnia continentur.*
6 *Si fuerit inter conjuges omnium bonorum communio, post mortem unius æqualiter omnia dividenda, exceptis iis quæ jure præcipui conjux superstes deducit.*
7 *Societas conjugalis omnium bonorum durat post mortem conjugis usque ad separationem in acquæstibus, non item in legatis, hæreditatibus, donationibus, viventi post alterius obitum advenientibus.*
8 *Ea quæ pactis dotalibus comprehenduntur observanda sunt.*
9 *Si sola dos mulieri sit restituenda, impensæ ad fructus colligendos factæ non refunduntur, ad perpetuum rei usum erogatæ refundi debent ab uxore aut ejus hæredibus, habita ratione non ipsarum impensarum, sed quanto pretiosior inde sit facta res.*
10 *Meliorationum dotis æstimatio facienda qualis est tempore mortis & faciendæ separationis, rejecta distinguentium opinione.*
11 *Quid veniat appellatione lucri, quoties exclusa ipsius dotis & donationis propter nuptias communio.*
12 *An hæreditates, legata, donationes?*
13 *Quid obtineat in iis, quæ propter causam communem, per alterutrum conjugem donata sunt.*
14 *Eadem in damno sunt servanda, quæ in lucro communi, & tributa ac vectigalia communiter persolvenda; sed per hostes sub incendii, ruinæ comminatione exacta, ei soli nocent cujus prædium est.*
15 *Rerum ipsarum in matrimonium collatarum interitus non est communis, nec res alterius ex bonis communibus resarciendæ.*
16 *Quicquid fundo accrescit, commune non fit, sed pertinet ad eum conjugem solum, cujus est fundus.*
17 *Si res emphyteutica vel feudalis revertatur ad dominum directum ex aliqua justa causa, non communis erit, sed ejus tantum, qui antea fuerat dominus directus.*
18 *Qui auctores plura de acquæstibus conjugalibus tractent.*
19 *Quis circa introductionem communionis bonorum*

rum locus sit spectandus, & primo, quid in rebus immobilibus obtineat?
20 *Quid juris sit in immobilibus?*

1 Antequam ad ipsam procedatur hæreditatis divisionem, dispiciendum est, utrum defunctus aut defuncta thori consortem vinculo matrimonii junctum junctamve reliquerit: si enim alter conjugum superstes sit sciri nullo modo poterit, quidnam inter plures defuncti cohæredes sit dividendum, nisi demum postquam ipsius bona fuerint a conjugis superstitis patrimonio separata: quo in negotio moribus aliud, aliud Romanis legibus obtinet.

2 Quiritum jure non tanta fuit in separandis conjugum facultatibus obvia difficultas: dirempto enim per mortem alterutrius vinculo conjugii, vel ipsa uxor vel hæredes ejus aut is qui dotem dederat, & de ea post mortem mulieris restituenda fuerat stipulatus, adversus maritum ejusve successores instituebant ex stipulatu actionem ad recuperandas eas res, quas mulier aliusve ipsius nomine marito in dotem dedisset, aut earum æstimationem, si æstimata dos fuisset constituta: *§. fuerat* 29. *institut. de actionib. l. unic. Cod. de rei uxor. actione in ex stipulatu actionem transfusa, ibique DD.* Maritus vice versa recuperabat donationem propter nuptias, quæ in plerisque pari passu cum dote ambulabat, ejusdemque fere censebatur esse naturæ ac conditionis: *§.* 3. *institut. de donationib.* Damnum autem omne ac vicissim lucrum universum stante matrimonio sive ex fructibus dotis aut donationis propter nuptias sive aliunde quæsitum penes maritum aut hæredes ejus remanebant, quippe cui omnia incumbebant onera matrimonii, quem uxoris nutritio, quem educatio liberorum gravabat ac sequebatur, ignota omni legali bonorum inter conjuges communione: *l. si is qui* 56. *§.* 1. 2. *ff. de jure dotium l. ubi adhuc* 29. *in med. C. eod. tit.*

3 At hæc omnia sic civili jure constituta penes plerasque gentes in desuetudinem abierunt: dum penitus antiquata sunt nonnullis in locis jura dotium; alibi vero eum in modum mutata ac transformata, ut vix ullam reservaverint cum privilegiatis Romanorum dotibus similitudinem, uti id testantur Gudelinus, *de jure noviss. lib.* 4. *cap.* 18. *vers. præter jus in med.* Argentræus *ad consuetud. Britan. art.* 409. *n.* 1. Mævius *ad jus Lubecens. part.* 2. *tit.* 2. *artic.* 12. *n.* 54. Antonius Matthæus *tract. de actionib. lib.* 1. *Cap.* 11. *n.* 40. *& tractat. de judiciis disputat. finali n.* 97. Groenewegen *de legib. abrogat. ad rubric. & lib.* 30. *Cod. de jure dotium:* Parens p. mem. Paulus Voet *ad §. fuerat antea* 29. *institut. de actionib. n.* 2. Simon van Leeuwen *censur. forens. lib.* 1. *cap.* 12. *n.* 1.

4 Cum autem nuptiæ, definiente Modestino, sint consortium omnis vitæ, divini & humani juris communicatio, indeque conjugalis dicatur societas: *l.* 1. *ff. de ritu nuptiar.* non aliud æquius potuit a multis statutorum ac consuetudinum auctoribus jus constitui, quam ut ipsa matrimonii coitione statutaria contrahatur eorum omnium communio, quæ vel a marito vel ab uxore fuerunt possessa nuptiarum tempore, quæve postmodum stante matrimonio quacunque ex causa forsan ad alterutrum conjugum sunt revolvenda; nisi aliud dotalium pactorum tabulis inter futuros conjuges actum fuerit: Lambertus Goris, *adversar. tract.* 1. *cap.* 4. *num.* 1. Mævius *ad jus Lubecense part.* 2. *tit.* 2. *art.* 2. *n.* 1. 2. *& seqq.* Anton. Matthæus *parœm. Belgarum Ictorum parœm.* 2. *n.* 2. Christian. Rodemburch *tractat. de jure conjugum in prælegom. n.* 3. D. Someren *tractat. de jure novercarum cap.* 12. *n.* 3.

Etiamsi quibusdam locorum legibus receptum sit, per nuptias non ipsorum bonorum in matrimonium collatorum, sed solummodo damni lucrique seu acquæstuum communionem introduci, vide Jo. a Sande *decis. Frisicar. l.* 2. *tit.* 5. *definit.* 1. Christinæum, *vol.* 2. *decis.* 182. *n.* 4. & *ad consuet. Mechliniens. tit.* 16. *art.* 18. 19. Lambertum Goris *d. tract.* 1. *cap.* 1. *n.* 13. *& seqq.* piæ mem. Parentem Paulum Voet *tractat. de natura mobil. & immobilium cap.* 17. *n.* 24.

5 Ut igitur apertius constare queat, quomodo post dissoluta jugalis thori vincula sit instituenda hæc bonorum separatio inter conjugem superstitem & defuncti hæredes, recte atque ordine facturum me confido, si tribus positis distinctis casibus rem universam paucis concludam. Aut igitur in contrahendo matrimonio nulla intervenerunt pacta antenuptialia statutariam excludentia bonorum omnium communionem, ubi illa viget; aut contra id factum fuit instrumentis dotalibus, ut uxor ea, quæ in matrimonium contulit, soluto matrimonio sola salva habeat, penes maritum resideat omne lucrum, damnum omne durante matrimonio adveniens; aut denique media quodammodo electa via, qua pro parte recepta, pro parte reprobata conjugalis communio: quod accidit, dum vel loci consuetudo impedit rerum utrimque ad onera matrimonii sustentanda collatarum communionem, non ultra lucrum & damnum adveniens, illam inducens: vel ipsi conjuges pactis antenuptialibus excluderint vigentem eo loci bonorum omnium communionem, in acquæstibus solummodo eam admittentes: neque enim plerisque in regionibus adeo tenax est perpetuumque statuti vinculum, quin dotalium tabularum pactionibus dissolvi possit.

6 Quod si remanserit inter conjuges legalis bonorum omnium communio, dubium non est, quin æqualis fieri debeat universa rerum inter conjugem & alterius conjugis hæredes divisio, nullo penitus observato discrimine, unde illa fuerunt profecta, donatione, legato, successione, an alio quocunque modo alteri conjugum obvenerint ante vel post contractas nuptias: adeo ut conjux dimidiam percipiat communis patrimonii partem, altera pars omnibus cedat defuncti cohæredibus postmodum inter eos dividenda: nisi quod recepto quarundam regionum more nonnulla deducat jure præcipui conjux superstes ex bonis communibus ante separationem; uti id manifestum est statuto Ultrajectino *rubric.* 24. Mechliniensium *tit.* 16. *art.* 15. 16. ibique Christinæus similes aliorum locorum leges recensens, Lubecensium *part.* 2. *tit.* 2. *art.* 2. & 3. ibique fusius Mævius, idem Austriacis Bremensibus Hamburgensibus Lu-

Luneburgensibus aliisque consuetudinibus cautum asserens. De legitimo ac justo horum deducendorum modo vide late tractantem Pichardum *in comment. post* §. 20. *institut. de actionib. pag. mihi* 202. *n.* 54. *& seqq.* Argentræum *ad consuet. Britann. art.* 518. 519.

7 Circa conjugalem autem hanc bonorum omnium communionem merito dubitatum, eane duret & post obitum alterutrius conjugis usque ad ipsam separationem; adeo ut ea, quæ superstiti quæsita sunt ante divisionem ex donatione, legato, successione, aliove modo legitimo obvenerunt, vi illius communionis æqualiter sint dividenda; an vero in universum penes solum superstitem, cui relicta, remaneant? Commodum hoc in negotio temperamentum adhibere videtur Zypæus *notit. juris Belgici tit. de jure dotium post Busium ad l.* 59. *ff. pro socio*, distinguendum censens inter acquæstus, & ea, quæ ex hæreditate, donatione, legato quæruntur; ita ut in lucro quidem ex operis, industria aut ipsis rebus communibus obveniente continetur communio usque ad divisionem, hæreditates vero, legata, & donationes superstites ad quem devoluta, integra conserventur divisioni non obnoxia. Quæ sententia sua non destituitur ratione vel æquitate, neque enim quemquam latet, morte perimi conjugalem societatem, eodem modo quo quævis alia privata tollitur unius socii obitu: §. 5. *instit. de societate l.* 3. *adeo morte* 59. *cum l. seqq. l. actione*, 65. §. *morte unius ff. pro socio*. Durum proinde foret & iniquum, viventem etiamnum post dissolutam societatem ad rerum ita delatarum communicationem obstringi, dum vicissim ex defuncti persona vix quicquam tale posset acquiri. Quia tamen hæc omnium bonorum communio quantum ad faciendam separationem sustinet quodammodo vicem hæreditatis sociorum, quam augent ipso jure fructus & accessiones: *l. item veniunt* 20. §. *item non solum ea*, 3. *ff. de petit. hæreditat. l. non est ambiguum*, 9. *C. famil. erciscund.* non immerito acquæstus rerum communium naturam sortientur, æqualiter dividendi, etiamsi forsan non ex rebus ipsis sed sola superstitis industria percepti fuerint, imputet sibi conjux, quod non statim defuncti conjugis hæredes ad separationem provocaverit: Petrus Zans *tract. de divis. bon. lib.* 2. *cap.* 15. *n.* 1. Mævius *ad jus Lubec. part.* 2. *tit.* 2. *art.* 12. *n.* 301. Christinæus *ad Mechliniens. tit.* 16. *art.* 32. *n.* 2. *& artic.* 34. Unde & Trajectensium scriptis consuetudinibus receptum est, hæredes defuncti conjugis intra annum & diem debere bonorum omnium repertorium a conjuge superstite exigere, aut ipsum viventem oblato hæredibus inventario petere separationem; hoc si non fuerit actum, anno præterlapso per superstitem ea omnia in inventarium esse referenda, ac dividenda, quæ præsenti tempore reperiuntur, sive interim auctum sive diminutum fuerit patrimonium: *Statut. Ultraject. rubr.* 23. *art.* 8. 9. Wassenaar *pract. judic. cap.* 11. *n.* 10.

8 Si vero pactis dotalibus cautum inveniatur, ut dos solummodo salva sit mulieri, cætera omnia maritum spectent sive lucra sive damna; conventionibus ejusmodi expressis standum est; neque quicquam per uxorem aut hæredes ejus a marito ejusque successoribus exigi poterit ultra id, quod ad matrimonii subsidium prohabitur per ipsam fuisse collatum: Schepliz. *ad consuetud. Brandeburg. part.* 3. *tit.* 2. §. 5. Andreas Gayl. *l.* 2. *obser.* 78. *n.* 7. 8. Mynsingerus *centur.* 2. *observ.* 33. *n. fin.* Lambertus Goris *adver. part.* 1. *cap.* 1. *n.* 27.

9 Quæ omnia parum in se continent difficultatis, nisi quod forsan super iis impensis, quibus melior effecta res mulieris, suboriri posset contentio: cum enim uxor solam debeat juxta pacta recuperare dotem, recusare jure nequit illorum sumptuum restitutionem, quos ad meliorandam rem dotalem maritus impendit; dubium autem est, num illos integros mulier aut hæredes ejus refundere debeat, an potius eatenus tantum, quatenus auxerunt justum dotis valorem? Illud expeditum est, ea non posse repeti impendia, quæ quotannis fructuum colligendorum causa fiunt, sed potius cum utilitate fructuum esse compensanda: *l. vel si vites* 3. §. 1. *l. neque stipendium* 13. *ff. de jure dotium:* Pinellus *ad l.* 1. *C. de bonis maternis part.* 2. *num.* 72. *ampliat.* 1. At ubi ad perpetuam rei commoditatem sumptus fuerint erogati, jure quidem civili fuit accurate observata inter triplicem impensarum speciem differentia; sic ut necessariæ fuerint omnino restituendæ, sive melior inde res effecta fuisset, sive neutiquam crevisset ejus æstimatio; utiles eatenus repeti potuerint, quatenus domino commodum attulissent, dum iis auctum esset rei pretium; voluptuariarum nulla penitus fuerit exactio, sed solummodo ei, qui quid voluptatis gratia impendisset, ejus tollendi facultas competierit, dummodo id absque rei ipsius detrimento fieret: *l.* 1. *l.* 2. *l.* 3. *& passim tot. ff. de impens. in rem dotal. factis*. Verum vix est ut hodierna morum simplicitas scrupulosas hasce ferat legum Romanarum distinctiones, universali fere rerum aliter perpetuo judicatarum serie abrogatas; sic ut nulla nunc in impensarum restitutione sit habenda pecuniæ erogatæ ratio, sed ipsius meliorationis, quanto scilicet pretiosior inde sit facta res: quod summa nititur æquitate, quam & aliis in casibus jus civile satis aperte comprobavit, dum definiit, dominos rem suam vindicantes a bonæ fidei possessoribus eo usque dumtaxat refusuros impensam, quo pretiosior res est facta: *l. in fundo alieno* 38. *ff. de rei vindicat. l. Paulus respondit* 29. §. *domus* 2. *ff. de pignorib. & hypothecis*.

10 Quodnam vero tempus circa meliorationum æstimationem inspiciendum sit, non usque adeo certo constat Doctoribus. Distinctione rem posse terminari post plures alios eum in finem allegatos censuit Johannes a Sande; vult enim, inquirendum esse, utrum impensæ superent meliorationes, an contra hæ illas; primo casu faciendam esse meliorationum æstimationem, uti illæ sunt quantique valent tempore restitutionis; sin meliorationes superent expensas, temporis illius, quo factæ sunt, habendam in æstimatione rationem, adeoque sola restituenda impendia, non verum meliorationis valorem: *per d. l. in fundo alieno* 58. *ff. de rei vindicat.* Sande *decis. Frisic. l.* 3. *tit.* 15. *definit.* 4. Quæ opinio quamvis non destituatur legis præsidio; aliud tamen esse statuendum naturalis suadet æquitas, suadet ipsa juris Romani ratio:

tio: si enim penes eum, qui sumptus in rem fecit, resideat eorum periculum, ut scilicet non omne forsan quod erogavit recuperet, sed tanto minus consequatur, quanto minoris fuerit æstimata restitutionis tempore melioratio; iniquum sane foret, si non pari modo lucrum, quod posset e nummis in rem impensis postmodum redundare, ipsum respiceret eique soli prodesset: durum quippe, ac si non injustum, utique injustitiæ proximum esse nemo facile negaverit, aliquem citra conventionem expressam citraque culpam suam damni periculo futurum obnoxium, lucrum ex eadem causa non percepturum; contra vero secundum naturam, commoda cujusque rei eum sequi, quem incommoda sequuntur, ei lucri spem acquiri cui damni metus imminet: *l. secundum naturam* 10. *ff. de reg. jur.* §. 8. *instit. de contrahend. emption.* late August. Barbosa *axiom. juris usu frequent.* 63. *n.* 2. Sic ut hic magis sit eorum probanda sententia, qui superioribus ducti rationibus existimant, nunquam ineundum ipsarum impensarum calculum, sed solummodo præsentis temporis, id est dissoluti vinculi conjugalis & exinde faciendæ divisionis seu restitutionis æstimationem in rebus dotalibus instituendam esse, sive melioratio sumptus excesserit, sive minor apparuerit valor ejus: cui convenienter etiam aliquoties judicatum esse testis est Nobiliss. & Amplissimus D. Someren *tract. de jure novercar. cap.* 12. *n.* 5. Menochius *de recuperand. possessione remed.* 15. *n.* 557. Andreas Gayl. *lib.* 2. *observat.* 121. *n.* 12. Molinæus *ad consuetud. Parisiens. tit.* 1. §. 1. *gloss.* 5. *n.* 97. Garsias *de impensis & meliorration. cap.* 22. *n.* 9. Choppinus *de moribus Parisiens. lib.* 2. *tit.* 1. *n.* 29. Anton. Matthæus *in parœmiis Belg. Jurisc. parœm.* 2. *n.* 32. *& seqq.*

11 Plures & magis intricatæ occurrunt controversiæ iis in casibus, quibus exclusa bonorum utrinque collatorum, id est dotis & donationis propter nuptias communio, reservata damni lucrique seu acquæstus in ipso matrimonio supervenientis communione. Præmittenda præcipue nonnulla ipsam lucri & damni significationem concernentia, quid videlicet eorum veniat appellatione, quid contra excludatur, & ita conjugum alterutri cedat in solidum. Extra omnem videtur esse positum dubitationis aleam, acquæstuum nomine non alia contineri, quam quæ quotidiana conjugum industria labore negotiatione vel ex fructibus dotis & donationis propter nuptias sunt acquisita; eoque etiam referenda si quæ ex ipsis acquæstibus velut in sortem conversis profecta fuerint, fundo videlicet aut ædibus aliisque rebus naturaliter aut civiliter fructum ferentibus ex pecunia communi stante matrimonio comparatis: Christinæus ad *cons. Mechlin. tit.* 16. *art.* 34. *n.* 4. *& seqq.*

Ea vero, quæ ex aliena provenerunt liberalitate, quæstus aut lucri nomine comprehensa non esse verius est, cum in societatem simpliciter contractam venire nequeant: *l.* 7. *l.* 8. *l.* 9. *& seq. ff. pro socio:* Paulus Barbosa *ad l.* 11. §. *ult. ff. soluto matrim. n.* 67. 68. Chassanæus ad *consuet. Burgund. rubric.* 4. §. 2. *vers. & acquisitorum n.* 4. Christinæus *ad Mechliniens. tit.* 16. *art.* 18. *n.* 2. Zypæus *notit. juris Belgic. tit. de jure dotium vers. plerumque de acquisitis.* Cui consequens est, ut nec ea veniant in communionem, quæ ad alterutrum conjugem stante matrimonio delata sunt hæreditatis legati donationisve titulo, verum ad eum, cujus contemplatione relicta, solum pertineant, sive immobilia fuerint sive mobilia vel supellectilis appellatione contineantur: *arg. l.* 9. *&* 11. *ff. pro socio:* Sande *decis. Frisic. l.* 2. *tit.* 5. *defin.* 5. *vers. porro:* Fontanella *de pactis dotal. clausul.* 11. *gloss. unic. n.* 7. Mævius *ad jus Lubec. part.* 2. *tit.* 2. *artic.* 12. *n.* 59. Ut tamen e communione excludendæ non videantur illæ res, quæ marito vel uxori propter operas præstitas ab extraneo sunt donatæ, eo quod hæ potius per conjugis industriam acquisitæ dici debeant; veluti, si causarum patrono propter accuratam litis alicujus ventilationem ultra debitum salarium in signum gratitudinis offerantur munuscula, vel militi propter rem in acie vel oppugnatione strenue gestam militaria præmia assignentur: Sande *d. l.* 2. *tit.* 5. *defin.* 3. *v. at in conjugalem:* Gothofred. *in notis ad l.* 60. *in fin. pro socio:* Petrus Zans *tract. de division. bonor. l.* 2. *c.* 11. *n.* 58. *& seqq. usque ad finem.*

13 Quemadmodum vice versa commune damnum erit, si alter conjux remunerandi causa quid extraneo dono dederit, qui forsan communia curaverat negotia, aliudve quid præstiterat in utriusque conjugis honorem primario redundans; veluti si communium liberorum causa pater in præceptores eorum propter adhibitam in erudiendo sedulitatem ac fidelitatem modicum aliquod dederit honorarium, etiamsi maxime noluerit in id uxor consentire: neque enim hic audiendi, qui nullam omnino donationem ab altero conjugum in tertium collatam alterius damno esse statuunt, quasi vero donare non aliud esset quam perdere: *l. filius sum ff. de donationib.* Id autem, quod ita consulto perditur ac dilapidatur in societate, nullum socio debeat inferre damnum aut præjudicium: *l. adeo morte* 59. §. 1. *ff. pro socio:* Neque enim per omnia procedit, eum qui donat perdere; non utique si pudore naturali ac honestate fuerit ad donandum velut obligatus, adeoque justa motus ratione donet: *d. l.* 7. §. 1. *ff. de donat.* Is demum perdere sua dicendus est, qui ultra modum liberalis ad prodigalitatem deflectit, solitos remuneratoriæ donationis terminos excedens.

14 In quibus autem commune lucrum est, illic vicissim commune debet esse damnum usque adeo, ut si vel statuto vel pactis ante nuptialibus solummodo supervenientis injecta fuerit damni vel lucri mentio, subintelligendum sit omissum ex parilitatis ratione & correlativi natura: *argum.* §. 3. *institut. de societate:* Christinæus *vol.* 3. *decis.* 51. *n.* 2. Simon van Leeuwen *cens. forens. l.* 1. *cap.* 12. *n.* 18. Proinde si quid in consuetam fuerit erogatum alterutrius ædium vel fundi aliarumve rerum reparationem, qua solummodo pristina conservatur earum forma, vel si ingens earum nomine præstandum sit tempore belli tributum, ultra forte, quam propter vastitatem & derelictam agriculturam Martis terrore procuratam inde posset aliquamdiu redigi; id omne damno erit utriusque conjugis; cum enim uterque simul sibi lucrum inde speret, & æquale sibi jus vindicet in nascituris fructibus, etiam conveniens est, ut æqualiter onerent utrumque conjugem illius rei

incommoda, ut ante dictum, dummodo conditionis ejusdem & naturæ sint damna, cujus sunt emolumenta sperata: *l.* 10. *ff. de reg. juris:* Anton. Faber *in Cod. Sabaud. lib.* 5. *tit.* 8. *definit.* 27. Si tamen immodica per hostes exigantur tributa, adjecta ruinæ vel incendii comminatione, satius est, ut dispendium pecuniæ, ad conservandam ab hostium furore conjugis alterius rem erogatæ, soli ei noceat, cujus est prædium; ne alioquin conjux conjugis patrimonium plane negligat, dum in ejus conservationem plurima de propriis facultatibus impendenda videt: Mævius *ad jus Lubecens. part.* 2. *tit.* 2. *artic.* 12. *n.* 186.

15 Ipsarum vero rerum utrimque in subsidium matrimonii ab initio collatarum interitus communis non est, sive in solidum sive pro parte tantum eas periisse constet, veluti si tota domus aut fundus ejusve pars aliqua incendio consumpta fuerit, aut decreverit vi fluminis, aut chasmate subsederit; neque tale damnum ex lucro communi integrum, vel bonis alterius conjugis pro portione dimidia, deficiente lucro, sarciendum erit; sed tantum eum onerabit conjugem, ad quem dominii jure res perempta pertinet; utpote quæ communis non est effecta per conjugii fœdera, sic ut nec periculum ejus debeat esse commune, verum potius secundum recepta jura res suo debeat perire domino: *l. plerumque* 10. *in princ. ff. de jure dotium: l. pignus in bonis* 9. *C. de pignor. action.* Petrus Zans *de divis. bonor. l.* 1. *c.* 9. *n.* 2.

16 Sicut ex adverso illud quod sine conjugum facto rebus alterius accessit, in communionem non redigitur, verum ipsius rei principalis, cujus est accessio, naturam dominumque sequitur; veluti si fundo quid alluvione fuerit adjectum, vel aucta sit prædiorum alterius conjugis æstimatio: Herbajus *rerum quotid.* c. 16. Sande *decis. Frisic. lib.* 2. *tit.* 5. *defin.* 8. *in fin.*: Argentræus *ad consuetud. Britan. art.* 48. *gloss.* 2. *in fine:* Mævius *ad jus Lubecens. part.* 2. *tit.* 2. *art.* 12. *n.* 168. Simon van Leeuwen *cens. forens. lib.* 1. *cap.* 12. *n.* 22. Ant. Matthæus *parœm. Belgar. Jurisconsult.* §. 3. *n.* 27.

17 Unde jure merito revocaveris in dubium, quæ prodidit Christinæus ad *Mechliniens. tit.* 16. *art.* 34. *n.* 8. existimans post alios ibidem allegatos, lucrum fore commune, si ad alterum conjugum directum feudi vel emphyteusios dominum fuerit reversa res feudalis vel emphyteutica propter feloniam aut non solutum suo tempore canonem annuum, aliamve causam legitimam: cum tamen longe probabilius sit, illud, omne, quod ex causa commissi acquiritur, in universum potius ad eum pertinere conjugem, penes quem directum fuit dominium: jus enim illud consolidationis utilis dominii cum directo nec ex operis nec industria conjugum, sed magis ex contractu seu causa antiqua matrimonium antecedente proficiscitur; sic ut ante celebratum conjugium jam dudum forte domino directo ejusve majoribus quæsitum fuerit sub conditione commissi jus, & nihil in his videatur de novo accedere, sed tantum reverti, quod ad tempus aut certo sub modo datum ante fuerat & exierat cum sua causa vel onere de conjugis aut prædecessorum ipsius dominio: Molinæus ad *consuetud. Parisiens. tit.* 1. §. 50. *n.* 175. 176. Argentræus *ad consuetud. Britan. art.* 418. *gloss.* 2. *n.* 15. 16.

18 Plura hic possent circa acquæstus lucra & damna conjugalia disquiri, si non obiter tantum ac velut in transitu separatio bonorum conjugis superstitis & defuncti libanda fuisset, quatenus nostro inservit instituto, ut ita facilior esset ad materiam propositam planiorque semita. Quisquis alia multa latius tractata desiderat, videat, si libuerit, Johannem a Sande *decis. Frisic. l.* 2. *tit.* 5. Argentræum *ad consuetud. Britann. art.* 418. Mævius *ad jus Lubecens. par.* 2. *art.* 12. *n.* 58. *& seqq.* Petrus Zans *de divis. bon. l.* 2. *cap.* 11. Lambertum Goris *adversar. part.* 1. Fontanellam *de pactis dotalib. clausul.* 11. *gloss. unic. n.* 7. Anton. Matthæum *in parœmiis Belgar. Jurisconsult. parœm.* 3. Sim. van Leeuwen *censur. for. l.* 1. *cap.* 12.

19 Unam generalem hoc loco lubet paulo plenius discutere jam a multis agitatam quæstionem, e cujus decisione plurimi circa totalis aut partialis communionis conjugalis dissolutionem ac divisionem occurrentes dependent & removentur scrupuli, qui scilicet ad omnium bonorum aut solius lucri damnique communionem introducendam aut repudiandam locus sit spectandus, anne domicilii mariti, quod fuit matrimonii celebrati tempore; an vero loci illius ubi postmodum, translato domicilio, sedem rerum fortunarumque suarum una fixere conjuges, & ad diremta usque matrimonii vincula remansere; an denique potius sit habenda loci ratio, ubi res sita est? Sunt nonnulli ab ea non alieni opinione, solummodo domicilii locum attendendum esse, sic ut bonorum omnium aut acquæstuum communionem ex illius loci lege municipali dijudicandam velint, nulla statuti rerum alibi sitarum habita consideratione; ita utique videtur sentire Choppinus de *morib. Parisiens. l.* 2. *tit.* 1. *n.* 4. *in fine:* Papon. *arrest. l.* 15. *tit.* 2. *n.* 14. Mævius *ad jus Lubecens. part.* 2. *tit.* 2. *art.* 2. *n.* 83. post allegatum ibidem Carpzovium *Jur. Saxonic. part.* 3. *cap.* 2. *defin.* 24. Rectius alii censent, distinctionis ope tollendam esse omnem hac in re difficultatem: quas cum alii alias in medium adducant, etiam mihi meam, salvo doctiorum judicio, licuerit sententiam promere: sic itaque rem planam & apertam fore crediderim, si inter mobilia & immobilia fuerit adhibita differentia. In immobilibus solummodo respiciendam puto legem loci ubi illa sita sunt: non enim alieni sed sui territorii statutis immobilia regi recepta dudum est a juris interpretibus sententia: Andreas Gayl. *l.* 2. *observ.* 124. *n.* 18. Uti enim civitas, quæ civitati non paret, alterius civitatis consuetudine non ligatur, cum par in parem non habeat imperium, ita nec statutum civitatis unius in ordine ad alteram vires exserere potest: *arg. l. ult. ff. de jurisdictione: l.* 1. *C. de summ. trinitate:* Parens p. m. Paulus Voet *tract. de statutis sect.* 4. *cap.* 2. *n.* 7. *ibique DD. citati;* quod etiam non inconcinne post plures alios allegatos hunc in modum colligit D. Wesel ad *novell. constitut. Ultr. art.* 10. *n.* 156. statuta enim, inquit, non plus virium habent, quam a lege acceperunt; lex vero nihil amplius dedit quam a legislatore ipsa accepit; nec legislator ulterius quam intra territorii sui limites. Adeo ut hic tot debeant diversæ concipi in uno conjugio communionis conjugalis species, quot sunt di-

discrepantia statuta locorum, in quæ dispersa sunt conjugum immobilia: fingamus enim, conjuges prædia possidere partim sub Frisonum jurisdictione jacentia, ubi non nisi lucri & damni ex industria vel operis conjugum constante matrimonio provenientis est statutaria communio; partim alibi, ubi per matrimonium introducitur omnium bonorum communio legalis, veint in Hollandica & Ultrajectina provincia plurimisque Germaniæ locis, teste Joachimo Schepplitz. ad *consuetud. Brandburg. par.* 3. *tit.* 2. §. 1. *n.* 2. 5. Hæc quidem inter conjuges ubicunque commorantes ipso jure statim fient communia vi statuti, ac post dissolutum conjugii nexum æquali erunt obnoxia divisioni; illa vero in cujusque remanebunt dominio, postmodum inter superstitem & hæredes defuncti nullam admittentia scissionem. Nequa hic nilo modo circumspiciendum puto, utrum in condendo statuto loci, in quem est destinatum matrimonium, seu ubi primum conjuges fixere domicilium, ea fuerit mens legislatoris, ut noluerit suam jurisdictionem ad alterius territorii bona porrigere, an vero scriptum sit, statutum sese extendere ad bona ubicunque sita; adeo ut illo quidem casu tantum esset communio bonorum in legislatoris territorio sitorum, hoc autem nasceretur omnium bonorum communio etiam illic jacentium, ubi ignota talis universi conjugum patrimonii confusio; quasi scilicet in contrahendo matrimonio id universalitar viderentur pepigisse conjuges, quod volunt & injungunt loci leges, ubi negotium gerebatur. Non inquam hæc probanda distinctio: communionem etenim respectu bonorum alibi sitorum in casu posteriori nec ipsa conjugum introducit conventio nec legum municipalium auctoritas; alia non suppetit in jure methodus. Non conjugum conventio; quotiescunque enim aliquid non est expresso dotali pacto constitutum, nulla etiam præsumi debet in conjugibus tacita paciscendi voluntas, sed potius standum erit statutis, quamdiu probatum non fuerit, conjuges ab iis, quæ statutis comprehensa sunt, resiliisse: Nobiliss. & Consultissimus D. Someren *tract. de jure noverour. c.* 12. *n.* 5. *in med. ibique alii.* Non etiam statutorum vis hanc parere potest universorum bonorum communionem: aut enim illud fieri deberet per statutum loci rei sitæ, aut domicilii conjugum: non priore modo; cum supponatur altum in lege regionis, ubi res sita, de communione conjugali silentium esse: non posteriore, licet enim legislator expresse voluerit, ut ad res alibi jacentes porrigeretur jus municipale, inutilis nihilominus hæc erit & frustranea voluntas ejus, ac impingens in ipsa juris principia desiderium; cum excedat jurisdictionis suæ terminos circa res ac negotia ad se non pertinentia leges promulgans, cui impune non paretur: *l. fin. ff. de jurisdictione:* Argentræus ad *consuetud. Britan. art.* 218. *gloss.* 6. *n.* 38. *& seqq.* Peckius *de testam. conjugum, l.* 4. *cap.* 28. *n.* 7. Mævius *ad jus Lubec. part.* 2. *tit.* 2. *art.* 10. *n.* 28. *&* 55. Parens p. m. Paulus Voet *de statutis sect.* 4. *cap.* 5. *n.* 9.

20 In rebus autem mobilibus aliud obtinet: cum enim ea non certo loco censeantur alligata, sed potius sequi sui domini domicilium: Goris *adversar. par.* 1. *cap.* 6. *n.* 11. Andr. Gayl. *l.* 2. *observat.* 124. *n.* 18. Ant. Matthæus *parœm. Belg. Juriscons. par.* 7. *n.* 8. Mævius *d. part.* 2. *tit.* 2. *art.* 10. *n.* 21. *& seqq.* Christinæus *ad Mechliniens. tit.* 16. *art.* 59. *n.* 15. *& ab eo citati*, non possunt discrepantibus variarum regionum statutis esse subjecta; verum perpetuo reguntur solis domicilii legibus illius, ad quem dominii jure pertinent, adeoque vel omnia simul communia fiunt, vel communionem pariter rejiciunt, prout lege loci, in quem domicilium contulit par conjugum, id fuerit expressum. Illud solummodo videtur ambiguum, si forsan stante matrimonio conjuges alio domicilium transtulerint, anne circa hanc mobilium communionem prioris an posterioris domicilii lex spectanda sit? verbi gratia, si quis, postquam ex tempore contracti conjugii domicilium aliquandiu fovisset ubi recepta legalis bonorum communio, alio commigraverit, ubi tantum nota acquæstuum communio statutaria, aut vice versa; an per solam domicilii mutationem mutetur, tollatur, aut inducatur quid novi circa communionem? Tutiorem existimaverim sententiam statuentium, conjuges solo migrationis actu jus suum respectu communionis nec amittere nec acquirere, sed tam diu in eodem statu perseverare ac integrum reservare statuti prioris domicilii effectum, donec expresso quo facto vel conventione posterioris domicilii legibus sese stare & a prioris jure resilire velle declaraverint. Vide latius Christian. Rodenburch *tract. de jure quod oritur ex statutor. diversit. tit.* 2. *cap.* 4. *n.* 5. Ant. Matthæum *parœm. Belg. Jurisc. parœm.* 2. *n.* 65. 66. post Lambertum Goris *advers. part.* 1. *cap.* 7. *n.* 3. Johannem a Sande *decis. Frisic. lib.* 3. *tit.* 5. *defin.* 10. *aliosque.*

CAPUT V.

De divisione per ipsos cohæredes facienda.

1 *Optima est ea divisio, quæ sine strepitu judicii fit inter ipsos cohæredes.*
2 *Quando hæc dividendi ratio locum habeat.*
3 *Abesse debet ab hac divisione vis & dolus, nec quisquam potest auctoritate propria alium cohæredem, qui prius occupaverat, expellere.*
4 *Sed judex summarie cognoscens de violentia & occupatione suum cuique jus tribuet circa possessionem.*
5 *Quomodo de jure Romano facta sit inter ipsos cohæredes divisio.*
6 *Hodie in Germania inter fratres major dividit, minor eligit.*
7 *Et hoc obtinet etiam si plures quam duo fratres dividendam habeant hæreditatem.*
8 *Si fraudulenter natu major diviserit, minores a judice petunt ut emendetur iniqua divisio.*
9 *Alia dividendi methodus apud Lubecenses & Hamburgenses obtinet.*
10 *Cum ea in omnibus fere conveniunt Belgarum consuetudines circa divisionem.*
11 *Alius adhuc proponitur dividendi modus ex duobus præcedentibus quodammodo conflatus.*
12 *Quid obtineat, si frater natu major dividere*

per-

perfracte nolit, vel neuter cohæres velit alteri rem æstimatam offerre.
13 *Postquam cohæres ad cohæredis oblationem elegit, non potest iterum mutare sententiam.*
14 *Nec is, qui obtulit, electionem potest repudiare.*
15 *Si statuto cautum sit, ut intra certum tempus fiat electio, post lapsum temporis cohæres cadit jure eligendi.*
16 *Penes quem remaneant instrumenta hæreditaria.*
17 *Ut divisio possit dici perfecta, necesse non est ut scriptura interveniat.*
18 *Quandoque etiam ex longo tempore præsumitur intervenisse divisio.*

1 Ea maxime jurisconsultis est probata rerum hæreditariarum divisio, quæ per ipsos fit cohæredes, non exspectata judicis arbitrive sententia, & eosdem, quos judicialis, sortitur effectus, hæredes ita pietatis officio fungi auctor est Papinianus in *l. final. ff. famil. erciscund.* eosque bonos ac cautos appellat Mornacius, qui præcisis inter se frustraneis impensarum judicialium necessitatibus dividunt hæreditatem, obtigerit privata scriptione citra ministerium arbitri; nec unquam ad judicem iri asserit, nisi per rixosi, molesti, irati, læsi, vitilitigatorisve cohæredis fatum: Mornacius ad *leg.* 6. *C. famil. erciscund.*

2 Huic autem divisionis methodo tum præcipue locus est, cum vel omnia vel aliqua bona testator reliquit indivisa: *l. quæ pater* 32. *ff. famil. erciscund.* Neque enim illico cohæredes compellere coguntur erciscundæ familiæ judicem, ut coram eo de dividendo defuncti patrimonio disceptent; verum inter se poterunt ea omnia communi consensu satis expedire: *l. cum putarem* 36. *ff. fam. erciscund.* Quin imo, licet aditus jam fuerit arbiter, libera nihilominus ipsis remanet facultas auctoritate privata res inter se distribuendi, neque tenentur divisoriam exspectare judicis sententiam: *d. l. fin. ff. famil. erciscund.* Nec tamen ideo quisquam jure dixerit, contemptum inde videri judicis officium, neglectam ejus auctoritatem, quasi vero privatorum pactio jussui prætoris sic anteponerent: licitum enim, usque lites cœptas & necdum judiciali decisione terminatas amicabili sopire compositione; præsertim cum nec ad alium finem tendere potuerit ipsius erciscundæ familiæ arbiter, quam ut reduceret inter cohæredes ac conservaret concordiam; quo sensu recte illud Ulpiani applicueris in *l.* 1. §. *inde quæritur* 10. *ff. de operis novi nunciat. Quid enim aliud*, inquit, *agebat prætor, quam hoc, ut controversias eorum dirimeret? a quibus si sponte recesserint, debebit id ratum habere.*

3 Quod si ergo per ipsos cohæredes dividenda sit hæreditas, non aliud magis observandum est, quam ut omnia bona fide, non vi, non clam, non doloso gerantur proposito; neque enim hic locum habere debet occupatio, qua videlicet unusquisque cohæredum aliqua sibi vindicaret per possessionem bona hæreditaria; sed potius illi, qui primi rerum hæreditariarum possessionem adepti sunt, officio judicis sunt constringendi, ut ea, quæ clandestina occupatione acquisita detinent, exhibeant, aut saltem omni priventur possessionis commodo: Andr. Gayl. *tract. de arrest. Imp. cap.* 11. *n.* 33. Mævius ad *jus Lubecens. part.* 2. *tit.* 2. *art.* 27. *n.* 29. Qui tamen posterior una cum facultate juridica Griphiswaldensi, cujus laudat auctoritatem, in eo videtur a juris ratione deflectere, quod *d. loco n.* 28. existimat, etiam cohæredes impune posse propria auctoritate occupare res illas hæreditarias, quas alii cohæredes jam ante possederant & etiamnum detinent: cum enim neuter quidem, qui plenissimo jure dominus est, lege sit indultum, ut auctoritate privata repetere ac auferre possit sua bona, licet ab iniquo & injusto detinerentur bonorum possessore, sed cadat rei suæ dominio: §. 1. *instit. de vi bonor. raptor. l.* 1. §. 1. *ff. quod vi aut clam, l. si quis* 7. *C. unde vi;* multo minus id ei debebit impune esse cohæredi, qui nondum pleno jure dominus est illarum rerum, quas ante judicialis arbitrii adventum occuparet; dum adhuc incertum est, quænam ad ipsum pro hæreditaria portione sint perventura: & hoc est quod disertis verbis vetitum ab Imperatoribus in *l.* 2. *in princ. C. quando & quib. quart. pars deberetur ex success. decurion.* quamvis enim constituissent, hæredibus extraneis decurioni defuncto succedentibus, quartam partem bonorum ad collegium decurionum successionis jure devolvi; ipsarum tamen rerum occupationem iis voluerunt interdictam; *quorum*, ajunt, *nimiam licentiam provida dispositione refrænantes, ipsis curialibus occupandi sua auctoritate res mortui copiam denegavimus.* Id quod optima nititur ratione, ne alioquin ex ejusmodi invasionibus rixæ, turbæ, seditiones, aliaque Reipublicæ calamitosa mala proveniant: innuit hoc Paulus Ictus, *l. non est* 176. *ff. de reg. jur.* singulis non esse concedendum admonens, quod per magistratum fieri publice possit, ut majoris tumultus faciendi sit occasio.

4 Cum itaque constituti sint, qui juri dicundo præsunt ad dirimenda ambigua causarum fata, non tutius superest hæredi remedium, quam ut adversus injustum violentum aut clandestinum possessorem cohæredem imploret judicis auxilium: *l. exstat enim* 13. *ff. quod metus causa.* Licet in causis dijudicandis non videantur admittendæ consuetæ in aliis litium ambages & prolixus judiciorum ordo, sed potius ad jusdicentis officium spectet ut levato velo tantum in negotium inquirat, & ita jus suum assignet hæredi læso.

5 Quis vero a cohæredibus, qui ipsi inter se citra judicis interventum instituunt divisionem, ordo sit observandus, quæ methodus, ut rite celebrata dicatur divisio, non una finitione determinari potest, eo quod a jure civili plurima locorum statuta moresque populorum recesserunt, nec minus inter se quoque variant. Romanis quippe legibus omnes cohæredes, simul in portiones æquales distribuebant res hæreditarias, quo perfecto, sortis felicitate deferebatur aliis post alios portionum ita divisarum electio: *l.* 2. *in princ. C. quando & quib. quart. pars deberetur ex success. decurion.*

6 At in Germania generali fere consuetudine rece-

ceptum esse plurimi clarissimi testantur juris interpretes, ut, si sit inter fratres instituenda divisio, natu major dividat hæreditaria bona, minor rerum divisarum portionem eligat; & hunc dividendi modum nonnulli variis veterum auctoritatibus & exemplis sacri codicis commendant ac exornant, alii justitiam ejus examinant: vide Tyraquellum de *jure primogenit. q.* 60. Andr. Gayl. *lib.* 2. *observ.* 116. *n.* 12. *& seqq.* Schneidwinum ad §. 20. *instit. de actionib. de familia erciscunda n.* 59. *& seqq.* Hieronymus Schurpf. *cent.* 1. *consil.* 71. *n.* 9. *& seqq.* Fachinæum *controvers. lib.* 6. *c.* 37. Anton. Fabrum *de errorib. pragmat. decad.* 8. *error.* 2. *n.* 1. Zobelium *de different. juris civilis & Saxon. part.* 3. *different.* 14. Perezium *tit. Cod. famil. erciscun. n. ult.* Berlichium *conclus. practicabil. part.* 5. *conclus.* 21. *n.* 1. *& seqq. ibique cit.* Et usque adeo hæc observari voluit, ut si statuto cautum alicubi fuerit, hoc modo faciendam esse divisionem, nec natu major invito minore possit aliam facere, nec minor ob invito majore possit aliam exigere a statutaria divisione diversam: Mynsingerus *cent.* 4. *observ.* 57. *n.* 8. *& seqq.*

7 Utrum autem illa divisionis faciendæ consuetudo etiam obtineat, ubi plures quam duo fratres fuerint cohæredes, inter quos est dividenda communis hæreditas, disquiritur? Probabilius existimo, inter plures quoque fratres hanc admittendam esse; ideo ut natu major tot debeat hæreditariarum rerum partes constituere, quot sunt concurrentes ad earum divisionem fratres, post hæc primus omnium electurus sit natu minimus, atque ita deinceps cæteri pro minoris ætatis prærogativa portionem ordine singuli sint oblaturi; uti id docet Sichardus *ad rubric. Cod. famil. ercisc. n. fin.* & pluribus adstruit Berlichius, *d. part.* 5. *conclus.* 21. *n.* 25. *& seqq.*

8 Si tamen eo casu frater natu major fraudulentam ac captiosam instituerit divisionem, obligatum non esse puto natu minorem, ut in iniqua eligat divisione, sed jure merito desideraturum, ut officio judicis inæqualis corrigetur, ac emendetur distributio; ne forsan alias major in quosdam natu minores odio in alios amore præter modum agitatus vel proprio cum damno tales efficiat iniquas partes, ut illi, quos impenso prosequitur affectu, præ cæteris ordine suo longe majores luculentiores per electionem essent acquisituri portiones hæreditarias: Tyraquellus, *de jure primogen. d. quæst.* 60. *n.* 8. *& seqq.* Mynsingerus *d. cent.* 4. *obs.* 57. *n.* 11.

9 Verum ab hoc recepto dividendi more municipalibus suis in legibus divortium fecere Lubecenses & Hamburgenses, teste Mævio *ad jus Lubecens. part.* 3. *tit.* 13. *art. unic. n.* 10. quibus illa tanquam aptior & commodior ac minoribus involuta difficultatibus arrisit dividendi ratio, ut scilicet, nulla habita majoris aut minoris ætatis consideratione, nulla observata inter fratres aliosque cohæredes differentia, is qui non vult amplius in communione remanere, & eum in finem ad divisionem provocat, communes æstimet res hæreditarias idoneam non admittentes scissionem, suoque cohæredi electionem offeret, utrum ille sibi res illas sic æstimatas reservare voluerit restituto pro rata pretio, an vero pretii partem maluerit pro rata recipere: earum vero rerum, quæ sine sui detrimento possunt in plures secari portiones, tot potius sint partes constituendæ, quot sunt cohæredes; atque ita sorti committendum, quæ cuique pars cessura sit; nisi forsan ipsi cohæredes aliter inter se velint de dirimenda communione convenire; huic enim statutariæ divisionis formæ non ita sunt adstricti, quin communi consensu aliam adhibeant; Mævius, *d. loc. n.* 17.

10 Nec ab hac dividendi methodo longe abeunt Hollandorum aliarumque plurimarum Belgii provinciarum consuetudines, quibus divisio & sortis adminiculum in rebus citra damnum divisibilibus admittitur, adeo ut provocans ad divisionem partes faciat, provocatus eligat; Perezius ad *tit. Cod. famil. erciscund. n. ult.* in indivisibilibus probata est æstimatio rerum, & electionis oblatio cohæredi facta: Christinæus *vol.* 3. *decis.* 116. *n.* 13. *& ad Mechliniens. tit.* 16. *art.* 47. 48. Sande *decis. Frisicar. lib.* 4. *tit.* 11. *defin.* 4. Simon van Leeuwen *cens. forens. lib.* 4. *cap.* 27. *n.* 7.

11 Tertiam, eamque novam, ut ait, methodum exhibet Gregorius Tholosanus; mediam enim quodammodo viam eligens, vult, ut natu major, qnive scientia rerum & experientia prævalet, æquales constituat portiones, & a cæteris illa divisio probetur cohæredibus, tum demum sortis arbitrio committatur, cui cedere debeat unaquæque portio: Greg. Tholosanus *Syntagm. juris lib.* 5. *c.* 4. *n.* 18. Quam & multis in locis receptam ac comprobatam esse tradit Zypæus, *notit. juris Belg. tit. famil. erciscund. pag. mihi* 99. Plures alias, ut minus usitatas, dividendi formas tradit Vincentius Carocius *decis.* 155. *quem, si vacet, vide.*

12 Circa varios autem hosce divisionum instituendarum modos nonnullæ supersunt enodandæ quæstiones; quid enim, si vel frater natu major ad minoris sui fratris desiderium perfracte noluerit in partes distribuere res hæreditarias, aut alias neuter cohæredum alteri rem æstimatam offerre voluerit, data vel ipsius rei vel pretii eligendi facultate; Fratres quidem quod spectat, quibus pro more loci prior incumbit dividendi ratio, si divisionem detrectent, sua tamen tergiversatione frustra conabuntur in communione detinere suum fratrem natu minorem: *l. fin. C. commun. dividund.* Sed potius eo casu judex majoris fratris partes subibit: quoties enim aliquis est contumax, toties Dei judicisque præsentia vices hujus suppleri posse sancivit Imperator, *in l. properandum*, 15. §. *cum autem* 4. *C. de judiciis.* Atque is post factam æqualem, quantum fieri potest, & bonæ fidei distributionem ex divisis partibus hæreditariis minori concedet optandi licentiam; altera portione superstite contentus debebit esse natu major, cui nulla competit de læsione querela, si forte damnum ex inæquali passus fuerit divisione, cum ipse causam ei præbuerit, & sibi suæque contumaciæ magis quam judici bona fide cuncta gerenti debeat imputare, non minus quam si fraudulentam ac captiosam instituisset divisionem, eamque postmodum ad minoris petitionem ex officio judex reformasset; quippe cui reformationi omnino standum esset, de qua Tyraquellus *de retract. lignag.* §. 24. *n.* 5. 6. Mynsin-

singerus *d. cent. 4. observ.* 37. *n.* 12. Si vero juxta posteriorem erciscundæ familiæ methodum uterque simul cupiat a communione recedere, nec tamen alter alteri, sed uterque vel neuter velit æstimatam offerre rem eligendam; non aliud agendum, quam ut aut ad licitationem procedatur, & ei res cedat integra, qui vicerit, cum onere refundendi pro rata pretii, aut sorti committatur, cui cohæredum concedenda sit æstimatio, cui contra rei æstimatæ vel pretii competitura sit electio: Mævius, *ad jus Lub. part.* 3. *titul.* 13. *artic. unic. n. fin.*

13 Illud deinceps in dubium vocari posset, an & post factam portionis aut pretii vel rei electionem liberum sit eligenti suam mutare sententiam? Per electionem semel rite perfectam offerenti illico ad repudiatum esse jus quæsitum, non est quod dubitemus, ex natura correlativorum; cum & eligenti statim acquiratur electæ rei exigendæ potestas, qui ex ipso tacite ac velut indubitata consequentia censetur ex alternativis alteri renunciasse: Brunnemannus, *d. l.* 8. *C. de usuris*. At vero juris est notissimi, neminem posse adversus suam venire renunciationem, aut ad id, quod semel animo deliberato repudiavit, reverti: *l.* 29. *C. de pactis*, *l. si quis jusjurandum*, 11. *C. de rebus cred.* Petrus Heigius *part.* 2. *quæst.* 4. *n.* 38. Neminem posse suum mutare consilium in alterius injuria aut detrimentum: *l. nemo potest* 75. *ff. de regul. juris*. August. Barbosa *axiomat. juris usufrequent.* 55. *n.* 3. *in fine*. Neque cuiquam jus semel quæsitum per alterum auferri posse: quibus consequens est, ut ita cohæredem sibi per electionem præjudicasse statuamus, ut non amplius ad non electum in cohæredis sui præjudicium redire queat: *l.* 2. §. 2. & 3. *l.* 4. *l. apud Aufidium* 20. *ff. de option. vel elect. legata: l. servi*, 5. *ff. de legatis*, 1. *arg. l. qui ex pluribus* 106. *l. si quis stipulatus*, 112. *l. eum qui* 138. §. 1. *ff. de verbor. obligation.* Berlichius *conclus. practicab. part.* 3. *conclus.* 21. *n.* 65.

14 Quemadmodum vice versa nec is, cui incubuit dividendi molestia, repudiare potest quod ipsi post declaratam electionis voluntatem a cohærede relictum est: cum enim alterum electo debere contentum esse dictum sit, etiamsi deteriorem partem elegisset, utique dividenti non major est concedenda pœnitentiæ libertas, ut ita inter pares conditione servetur æqualitas. Et in universum duobus his in casibus propositis hoc præsertim firmam & irrevocabilem utrimque facit electionem, quod ita potuerit institui rerum hæreditariarum divisio, ut nec eligens nec dividens justam queat habere rationem, cur de portionum inæqualitate conquerendum putaret; quod si secus factum fuerit, aut ipse dividens suæ debebit imputare temeritati, quod in rebus digerendis non satis accuratam observaverit proportionem, si forsan alter partem meliorem elegerit; aut si ex adverso eligens dividenti reliquerit eam, quæ majoris erat pretii, etiam in nullum alium poterit læsionis per optionem illatæ culpam conjicere, sed propriam tantum incusare negligentiam & in optando imprudentiam.

15 Quid ergo, si statuto cautum fuerit, ut intra certum tempus ab electione delata computandum cohæres eligat, & is nihilominus intra præfinita lege spatia suam distulerit declarare voluntatem? In eo quidem plerique consentiunt, eum in negligentiæ pœnam penitus optandi facultatem amisisse, & ad cæteros, si qui sint, quibus post ipsum electio competebat, ipso jure devolutum esse jus optionis: *arg. l. si tibi elect.* 8. *ff. de option. vel elect. legat. si quis in testamento* 16. *C. de fideicommiss. libertat.* Si vero duo tantum sint cohæredes inter quos dividenda familia; censent nonnulli, negligentiam illius, cui competebat electio, post elapsa statuta tempora id operantem, ut in adversarium adeoque dividentem ipsum optio transferatur; alii existimant hanc electionis prætermissæ pœnam, ut post tempus usque minima portione contentus esse debeat. Quamvis hæ duæ opiniones parum inter se dissidere videantur: Tyraquellus *tract. de retract. lignag.* §. 24. *n.* 6. & 10.

16 Postquam autem ipsæ res hæreditariæ divisæ sunt per cohæredes, ita ut aliis aliæ integræ obvenerint, etiam instrumenta singulas concernentia dominos illarum sequi debent, ut latius capite proximo dicetur, ea vero instrumenta, quæ omnes æque tangunt cohæredes & æqualiter omnibus post divisionem prodesse possunt, rectius penes eum remansura videntur, qui pro majore parte hæres est; aut si is in doli futuri suspicionem incidat, ipsis datum cohæredibus, ut communibus suffragiis amicum eligant, penes quem asservanda deponantur instrumenta: Simon van Leeuwen *cens. forens. l.* 4. *c.* 27. *n. fin.* Quod si nec in electione consenserint, forte dijudicandum erit negotium, eique, quem sors demonstraverit, cedet instrumentorum custodia, si modo nulla cadat in talem fraudis præsumptio: tunc enim satius est in æde sacra talia deponi: *l.* 5. *ff. famil. ercisc.* Cujus in locum hodie successit, ut apud acta publica fiat depositio: Sichardus *ad l.* 5. *C. comm. utriusque judic. n.* 2. *in med.* Groenewegen *de leg. abrogat. l.* 6. & *l.* 19. *C. de usuris.*

17 Cæterum ad id ut rata sit ac firma per cohæredes facta divisio, necessarium non est, ut aliquod publicum aut privatum interveniat instrumentum; sed & sine scriptura valide riteque distribuuntur res hæreditariæ, si modo per cohæredis confessionem aut aliunde fides rei gestæ constare possit: *l. non ideo* 12. *C. famil. ercisc. l. cum proponas*, 21. *C. de pactis*: *l. si major*, 4. *C. commun. dividund.* Wamesius, *cent.* 4. *consil. n.* 8. Habet etenim illa simplex divisio citra traditionem & stipulationem celebrata non aliam quam simplicis ac nudi pacti naturam: *l. si divisionem*, 15. *C. famil. erciscund.* quod per provinciæ præsidem custodiri debere rescriptum est, si probationibus aliis actorum veritas demonstrari possit: *l. pactum quod* 17. *C. de pactis*. Et certe, non alium in finem omnibus in negotiis, excepta literarum obligatione, solent instrumenta confici, quam ut post temporis forte longissimi lapsum testibus deficientibus faciendus doceri posset, quid inter paciscentes aut contrahentes actum sit; neutiquam vero, quasi de contractuum aut pactorum essentia foret scriptura, sic ut ea deficiente conventio quoque suis esset destituta viribus: *l. cum te transegisse* 5. *C. de transactionib.*

18 Quin imo legitimis quandoque probationibus ad

ad docendam divisionem opus non est, cum ea ex solis indiciis probabilibus aliquando præsumatur, & inde suum robur ac firmitatem acquirat: si enim plures fratres separatim alii alias hæreditatis paternæ vel maternæ partes per longum tempus possederint, fructus inde separatim perceperint, ac persolverint onera hæreditaria; non alia ex iis omnibus deduci potest conjectura, quam quod eum in modum celebrata sit familiæ divisio: nisi forsan nimia portionum inæqualitas hanc pelleret divisionis præsumptionem, ac pro rerum omnium communione conjecturas & evidentia suppeditaret indicia: quid enim si constet, hunc omnia vel pleraque diu possedisse, alterum nulla vel paucissima? frustra sane quis ex tam impari rerum hæreditariarum possessione distributionem præsumpserit, utpote quæ, etiam vere facta esset, rescindenda foret propter enormem in ea commissam alterutrius læsionem: Anton. Thesaurus *dec.* 205. Wamesius *cent.* 2. *consil.* 48. *n.* 10. Schneidwinus *ad* §. 20. *institut. de actionib. de famil. erciscunda n.* 72. Udalric. Zasius *ad eund.* §. 20. *n.* 14. *& seqq.* Boerius *decis.* 58. Menochius *de præs. lib.* 3. *præsum.* 60. *n.* 3. Pichardus *post* §. 20. *inst. de actionib. pag. mihi* 197. *n.* 12. Myusing. *cent.* 4. *observ.* 37. *n. ult.* Argentræus *ad consuetud. Brit. art.* 275. *gloss.* 1. *n.* 6. 7. Petrus Zam *de divis. bon. lib.* 1. *cap.* 12. *n.* 2. Monacius *ad l.* 12. *C. famil. erciscundæ*: Sande *decis. Frisicar. lib.* 4. *tit.* 11. *defin.* 3. Brunnemannus *ad l.* 4. *C. commun. divid.* Sichardus *ibid. n.* 4.

CAPUT VI.

De divisione rerum hæreditariarum per judicem facienda.

1 *Judicis est dirimere controversias in divisione obortas.*
2 *Quænam judici incumbant facienda antequam inchoet divisionem.*
3 *Necessarium quandoque ut judicis auctoritate fiat divisio, si nonnulli cohæredes contumaces eam facere detrectent.*
4 *In rebus per testatorem non divisis judex habiturus est rationem institutionis, non autem attendet partes rerum quarundam per testatorem divisarum.*
5 *Etiam possunt officio judicis res hæreditariæ dividi, licet testator scripserit, se omnia divisisse, nec plus in bonis habere.*
6 *Nisi illud jurejurando confirmasset.*
7 *Judex res divisibiles in partes debet distribuere.*
8 *Divisionem aptam non recipientes uni adjudicabit, alterum condemnabit in certam pecuniam: & quæ res censeantur civiliter indivisibiles.*
9 *Alter hæredum invito cohærede nequit a judice impetrare ut solus præcipuas res hæreditarias facile divisibiles sibi habeat, cohæredi pro rata præstet æstimationem.*
10 *Nec etiam potest mordicus exigere, ut res divisionem non admittentes in partes scindantur, sed tunc potius illæ res æstimandæ per licitationem.*
11 *Ad hanc licitationem etiam quandoque extraneus, qui hæres non est, admittitur.*
12 *Licitando non semper censetur vicisse qui majus pretium obtulit, sed qui facilius conveniri potest.*
13 *Quid obtineat, si plures, qui singuli solvendo sunt, idem offerant.*
14 *Si aliunde judici constare nequeat, cui potissimum ex licitantibus adjudicare debeat, sorti negotium committendum.*
15 *Inviti cohæredes ad licitationem non compelluntur, sed eo casu peritos ac juratos æstimatores judex adhibet, & sic aliis alias res adjudicat.*
16 *In illa æstimatione res integræ, non in partes scissæ, æstimandæ sunt, eique tunc judex stare debet, licet ipsi cohæredes possint plus offerre.*
17 *Etiam servitutes uni prædio hæreditario in alterius commoditatem judex potest imponere, dum adjudicat.*
18 *Cui committi debeat instrumentorum hæreditariorum custodia, donec absolutum fuerit erciscundæ familiæ judicium.*
19 *Post perfectam divisionem cedunt iis quibus res cesserunt, quorum causa comparata sunt.*
20 *Nisi post divisionem adhuc æqualiter omnes concernant cohæredes.*
21 *Effectus adjudicationis est, quod plerumque tribuat dominium, si defunctus fuerit ejus rei dominus.*
22 *Post factam divisionem judex curabit mutuas interponi cautiones per cohæredes, quarum variæ enumerantur.*
23 *Quid obtineat circa cautiones, si cohæres per contumaciam absens fuerit, cum fieret divisio.*

1 Quod si cohæredes inter se tentaverint quidem, non tamen ex consensu perficere potuerint bonorum per defunctum non distributorum divisionem, nimio forsan agitati contentionis fervore lucrive cupidine, ad officium judicis est provocandum, ibique ventilandum erciscundæ familiæ judicium: *l.* 1. *C. famil. erciscund.* ne alioquin ad rixam & arma procedant, quod in iis pati non debet prætor, quos sua potest jurisdictione componere: l. *si cujus rei* 13. §. *sed si inter* 3. *ff. de usufructu.*

2 Ut autem accuratam atque firmam judex inter cohæredes instituere possit divisionem, & suo non deesse muneri, necessum est, ut ante eam inchoatam inquirat, illine cohæredes sint, qui de hæreditate dividenda controversiam sibi mutuo moverunt, eumque, qui in probando successionis jure, quod sibi vindicabat, defecerit, ab hoc excludat judicio: *l.* 1. §. *ff. famil. erciscund.* Pichardus *post* §. 20. *institut. de actionib. pag. mihi* 200. *n.* 35. Gregorius Tholosanus *syntagm. juris civil. lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 7. Sin autem is hæredem se docuerit, judex jure cohæredibus injunget, ut omnes omnino mor-

tui

tui facultates in aperto proponant: est enim in erciscundæ familiæ judicio Judicis officium, ne quid penitus indivisum seu commune relinquat, siquidem hæredes in posterum hanc aut illam rem hæreditariam communiter possidere nolentes divisionem petierint: *l. hæredes* 25. §. *judex* 20. *ff. famil. erciscund.* Et si forsan non satis alter alteri fidat, metuens ne durante familiæ erciscundæ judicio nonnulla subtrahantur, alienentur aut corrumpantur, quarum difficilis postea foret repetitio propter cohæredis eas intervertentis inopiam nimiamve potentiam, non muneris sui metas judex excesserit, si compellatus res hæreditarias velut litigiosas pendente divisionis controversia penes sequestrum constituat, aut idoneum iis det curatorem, omnia ex utilitate gesturum, donec consummata fuerit judicialis divisio.

5 Est autem aliquando plane necessarium in distributione judicis arbitrium, ne alioquin illa de novo postmodum instituenda sit, si forsan nonnulli cohæredes offendantur contumaces, ac detrectent a communione recedere: licet enim dubitandum non esse dicat Ulpianus, quin erciscundæ familiæ judicium etiam inter pauciores hæredes ex pluribus accipi possit: *l.* 2. §. *dubitandum* 3. *ff. fam. erciscund.* Illa tamen inter pauciores instituta divisio cæteris cohæredibus absentibus nullum prorsus inferet præjudicium, quo minus illi erciscundæ familiæ actione possent experiri adversus eos, qui jam ante privatim inter se res hæreditarias diviserant: l. *inter cohæredes* 44. §. *si cohæredes* 2. *ff. famil. erciscund. l. cohæredibus* 17. *Cod. eod.* Anton. Faber *in Cod. Sabaud. lib.* 3. *tit.* 25. *definit.* 5. Proinde, si quidem illi cohæredes, qui res suas soli possidere desiderant extra communionem, semel tantum voluerint molestiis obnoxii esse distribuendi difficultatibus, & in posterum ea, quæ per divisionem obvenere, dominii jure secure sibi conservare; tutissimum erit, ut omnes omnino cohæredes ad dividendam hæreditatem coram judice competente provocent; quod si post iteratam aut tertiam citationem pro more judiciorum illius loci, ubi dividenda familia, ex his nonnulli sistere se negligant, tuo demum impune licebit præsentibus omnium bonorum facere distributionem; & vel ipse judex hæredum contumacium absentiam supplebit, vel alias suo loco curatorem substituet, qui absentis vice cum præsentibus perficiat bona fide divisionem: Petrus Zans, *de divis. bonor. lib.* 1. *c.* 2. *n.* 41. *& seqq.* Christinæus *ad Mechliniens. tit.* 16. *art.* 45. *num.* 1.

4 Cæterum si testator res quasdam in testamento vel codicillis ipse diviserit, quasdam contra reliquerit indivisas, qua de re superius judex hanc observare debet ac sequi supremam defuncti voluntatem, nec eas iteratæ potest subjicere distributioni, sed solummodo cæteris ultimo testatoris elogio intactas relictas pro rata dividere: *l. filii* 16. *l. si cogitatione*, 21. *C. famil. ercisc.* Unde non abs re quispiam quæsierit quid ergo judici sit agendum, si testator hæredes æqualiter instituerit, veluti *Titius & Mævius hæredes sunto*, & in posteriore tabularum parte res quasdam inæqualiter diviserit, (id enim uno posse dictum in præcedentibus) alias reliquerit indivisas; æqualesne juxta ipsam institutionis formulam singulis sit assignaturus portiones in rebus necdum divisis; an potius proportionem ab ipso defuncto in quibusdam testamento divisis observatam secuturus sit? æqualem nihilominus seu proportionatam ipsi institutioni divisionem rerum non divisarum a jure faciendam esse juri magis conveniens est: cum rescriptum videamus ab imperatoribus, quoties pater nonnulla divisit, pro virili portione esse dividenda ea, quæ nec generaliter nec specialiter ulli filiorum defunctus assignaverit, nulla distinctionis facta mentione, æquales an inæquales filii portiones habuerint in rebus inter ipsos a parente divisis, sed tantum addito, falcidiæ rationem in divisis a defuncto habendam; quo ipso evidentissime demonstrat, in cæterorum judiciali divisione portiones inæquales in nonnullis a testatore constitutas non esse considerandas: *d. l. si cogitatione* 21. *C. famil. ercisc. l. quæ pater* 52. *ff. eod.* Quod nemo jure miretur: ea namque quæ per defunctum inter cohæredes sunt divisa, prælegata censentur, quæ ipsam utique nequeunt institutionem immutare: l. *ex facto* 55. §. 1. *ff. de hæredib. instituend.*

5 Quin imo, etiamsi defunctus suo jusserit inseri testamento, se omnia inter hæredes bona divisisse, nec quicquam aliud superesse dividendum, veritati tamen non præjudicabit illa declaratio, nec scriptis oberit hæredibus, quominus illi possent in res alias, quarum mentionem non injecit testator, ulterius inquirere: *l. scriptura* 10. *Cod. commun. utriusque judic.* Cum facillime potuerit evenire, ut moribundus vi morbi ac corporis cruciatibus aut aliqua ingenii inconstantia pressus, vel etiam magis de rebus suis Deo conciliandis sollicitus, nonnulla omiserit memoriam præterlapsa; nam & alibi satis innuit Imperator, morientes sæpe non probe perspectum habere suum patrimonium, dum de facultatibus vel plus vel minus sperant aut præsumunt quam revera in iis est: §. 3. *institut. quib. ex causis manumitt. non licet.* Et si nonnullas alias res necdum divisas invenerint cohæredes, illas in erciscundæ familiæ judicium recte deducent, auctoritate judicis juxta methodum ante designatam distribuendas: Cujacius *epit. novell.* 48. Gregor. Tholosanus *syntagm. jur. civil. lib.* 5. *cap.* 4. *n.* 9. Tuldenus ad *tit. Cod. famil. ercis. n.* 7. Eodem modo, quo ipsi cohæredes post finitum erciscundæ familiæ judicium instrumento profitentes, omne divisum esse defuncti patrimonium, neque quicquam ex rebus hæreditariis commune remansisse, nullum ejusmodi confessione sibi præjudicium inferunt, quin nihilominus liberum ipsis sit actione communi dividundo experiri, ubi postmodum adhuc apparuerint nonnullæ res hæreditariæ, quæ, quia forsan aut latuerant, aut ab uno cohæredum fuerant suppressæ divisionis tempore, non potuerunt in erciscundæ familiæ judicium venire: *l. tres fratres* 35. *ff. de pactis.*

6 Si tamen nihil dividendum superesse scripserit testator, eamque jurejurando scripturam confirmaverit, noluit Imperator hæredibus ulteriorem indulgeri rerum hæreditariarum indagationem; verum contra jussit, ut aut repudiarent in universum hæreditatem, aut tanta essent contenti substantia, quantam testator jurans solam apud hæredes inveniri voluit,

per-

perinde ac si cætera omnia, quæ non expressit, legasset iis qui ea possident aut detinent: *nov.* 48. *cap.* 1. ibique Cujacius, Brunnemannus ad *l.* 10. *C. commun. utriusque judic.*

7 Sic autem inter cohæredes judex res dividet hæreditarias, ut ex unaquaque re singulis hæredibus aliqua pars cedat, si modo sine magno rei detrimento fieri possit talis portionum assignatio: prædia præsertim per regiones easque quantum fert rei conditio æquales sunt distribuenda: *l. item Labeo* 22. §. 1. 2. *ff. famil. erciscund.* Et si pro re nata non adeo pares fieri possint partes, quin pars alterius alteri quodammodo præponderet, is cui mejor obvenit meliorve portio vicissim in certam pecuniæ summam alteri condemnandus est: *l. Mævius* 52. §. 2. *in fin. ff. famil. erciſc.* Leeuwen *cens. forens. lib.* 4. *cap.* 27. *num.* 5.

8 Quod si satis aptam res hæreditariæ non recipiant divisionem, aut admissa scissione longe minueretur earum pretium, judicis officium potissimum in rei totius adjudicatione cernitur: quamvis enim dubium non sit, eam quoque tunc intervenire posse, cum in partes sunt divisæ res, quo firmior foret divisio, quasi judiciali confirmata sententia: Bachovius *exercit. contra Fabrum de errorib. pragmat. decad.* 98. *error.* 7. *n.* 2. Quia tamen illa minus intricata est de rerum integrarum adjudicatione potissimum hic instituenda disceptatio. Judex itaque debebit alteri cohæredum ex bono & æquo totam adjudicare rem sectionem commodam non admittentem, & vicissim illum ad certam nummorum quantitatem cohæredi præstandam condemnare: §. 4. & 5. *institut. de offic. judicis.* Sichardus *ad rubric. Cod. famil. ercis. n.* 7. Christinæus ad *Mechliniens. tit.* 16. *art.* 44. *n.* 16. Censetur autem respuere divisionem non ea modo res, quæ per naturam absque sui interitu nequit in partes scindi, sed & ea civili ratione creditur indivisibilis, cujus æstimatio per divisionem in immensum decresceret: Wamesius *cent.* 2. *consil.* 40. *n.* 7. 8. 9. 10. & *consil.* 42. *n. penult.* & *ult.*

9 Et in antecessum non inutiliter illud inquirendum, utrum cohæres quis jure desideret, aut unam aut omnes aut præcipuas adjudicari sibi res hæreditarias, quarum alioquin apta satis esset divisio? Consentiente quidem cohærede tale quid posse fieri manifestus est, quam ut probatione egeat; nec judex præter æquitatem statuere dicendus est, quoties ex voluntate divisionem petentium res integras alteri concedit ea lege, ut cohæredi justam earum æstimationem pro rata restituat: in prædiis enim aliisque rebus distribuendis id quod utilissimum omnibus est aut quod maluerint litigatores, judicem sequi convenit: *l. judicem* 21. *ff. commun. dividund.* Si vero neutiquam in adjudicationem rerum divisionem admittentium hæres consentire voluerit ad cohæredis sui desiderium, judici quoque libera non erit ad judicanda facultas, nec invitum poterit hæredem constringere, ut rerum hæreditariarum integrum dominium cohæredi cedat, earumque pretium pro ea, qua succedit, parte recipiat: injustum enim est legibusque repugnans, quod consors aut socius suam cogeretur invitus portionem vendere vel extraneo vel consorti: *l.* 1. *ff. commun. dividund. l.* 2. *l.* 3. *l.* 5. *C. de commun. rerum alienat.* Potior proinde causa erit illius qui æqualem postulat instituti divisionem rerum sectionem citra partium injuriam admittentium: Matth. Wesenbecius *consil.* 133. *num* 24.

10 Sicut ex contrario, non sunt audiendi, si qui sint ex cohæredibus mordicus petentes, suam sibi portionem tantum assignari in rebus sine detrimento scissionem non ferentibus: Anton. Faber in *Cod. Sabaud. lib.* 3. *tit.* 27. *defin.* 14. Neque enim obsecundandum esse eorum voluntati censuere Principes, qui perfracte rerum non dividendarum divisionem exigunt, & tanquam corrumpendi totius patrimonii occasione captata, uniuscujusque rei particulam sibi vindicando, sic totas postulant dilacerari facultates, ut dum participibus relictarum opum nocere cupiunt, sua quoque jura præcipitent: *l.* 2. *in princ. C. quando & quibus quart. pars debet. ex bon. decurion.* Verum eo casu necessario res illas indivisas alteri debebit adjudicare: quæ in adjudicatione non omnia penitus ex judicis arbitrio nutuque dependent, quippe cui liberum non est inire pro libitu rerum æstimationem, easque sic æstimatas ei, cui voluerit, adjudicare: sed hic alia plane servanda constituendi pretii justi methodus, dum ad indivisæ rei licitationem a judice cohæredes omnes promiscue vocantur & admittuntur: *l. item Labeo* 22. §. 1. *ff. famil. erciscund. l. arbor.* 19. §. *judex* 3. *ff. commun. dividund.* Gregor. Tholosanus *syntagm. juris civil. lib.* 5. *cap.* 4. *n.* 10. *in fin.* & *n.* 12. Althusius *Dicæolog. lib.* 1. *cap.* 94. *n.* 14. Sande *decis. Frisicar. lib.* 4. *tit.* 11. *defin.* 4. *in med.* Quibus singulis concessum est offerre certam pecuniæ quantitatem, adjicere primæ licitationi & pretium intendere quotiescunque ac quo usque voluerint: quisquis autem ita licitatione cohæredes superaverit, huic demum, non aliis, adjudicandum est hæreditariæ rei dominium, & ipse vice versa condemnandus, ut cæteris exsolvat pro rata portione nummos licitatione promissos: *d. l. arbor.* 19. §. 3. *ff. communi dividund. lib.* 1. *l.* 3. *Cod. eod. tit. arg. l. si in emptionem* 35. *ff. de minorib.* 25. *annis*, *l. penes illum* 4. *Cod. de vectigal. & commiss*, Menochius *de arbitr. judic. l.* 2. *casu* 123. *n.* 3. Wesembecius *paratitl. ff. famil. erciſc. n.* 6.

11 Quid, quod magis est, non ipsi solummodo ad licitandum admittuntur hæredes, sed nonnunquam & alii extranei: quid enim si cohæredum alter dives sit, alter inops? sane, si per hosce tantum esset perficienda licitatio, nulli dubium esse potest, quin opulentus ille facili negotio suum superaturus sit cohæredem paupertinum, quippe cujus facultates exiguæ non paterentur, ut justam offerre posset rei totius æstimationem. Hic igitur ne penitus in damno hæreat, dum inopia propria licitationi impar constringeretur infra legitimum valorem opulento cohæredi rem hæreditariam indivisam cedere; summa ratione constitutum est, ut ab ejusmodi licitatione non excludatur extraneus, si modo judici pauperior hic declaraverit, ad superandum viliue justo pretio licitantem se non sufficere præ rei familiaris tenuitate; ut ita posset in omnibus æquabilitas servari: *l. ad officium Cod. commun. dividund.* Gothofredus ad *l.*

1. *Cod. eod. tit.* Schneidwinus ad §. 20. *institut. de action. de famil. erciscund. n.* 26. Gregor. Tholosanus *Syntagm. jur. civil. l.* 5. c. 4. *num.* 11. Zypæus *notit. juris Belg. tit. famil. ercisc. pag. mihi* 99. Mævius ad *jus Lubec. pag.* 3. *tit.* 13. *art. unic. num.* 20. Groenewegen *in not. ad Grotii introduct. Jurisprud. Holland. lib.* 3. *cap.* 28. *num.* 20.

12 Quis vero licitando vicisse dicendus sit, non usque adeo explorati juris est, illene qui pretium majus obtulit, an potius is, quem facilius cohæredes convenire possunt ad consequendam pecuniam, in quam victor vicissim iis pro rata foret condemnandus? In publicis quidem auctionibus illud hodiernis plerumque gentium moribus invaluit, ut is meliorem licitando credatur attulisse conditionem, qui magis idoneus tam facultatibus quam conveniendi facilitate, adeoque præponendus alteri minus idoneo, licet æquale majusve pretium offerenti: Rebuffus *tract. de præconiis & licitat. art.* 7. *num.* 21. Christinæus ad *Mechliniens. tit.* 13. *art.* 25. *num.* 10. Antonius Matthæus *tract. de actionibus lib.* 1. *cap.* 10. *n.* 18. Quæ cum summa nitantur æquitate, nulla est in promptu ratio evidens, quo minus idem & in licitatione inter cohæredes instituta statuendum existimaverim; hæredem videlicet opibus abundantem præferendum esse cohæredi minus sufficienti, cui neque oblata pecuniæ quantitas aliunde suppetit, nec idonei accedunt fidejussores; quis enim, obsecro, non animadvertit, opulentum cohæredem, ni rem malit ultra veram æstimationem redimere, sic summis implicatum iri molestiis ac difficultatibus, dum forsan inops plus promitteret, ut posset integræ rei hæreditariæ dominium nancisci, & universum inde commodum percipere, nihil eorum, quæ se præstiturum pollicitus est, suo postmodum exsoluturus cohæredi.

13 Quod si plures offerant æquale pretium, dum singuli solvendo sunt, inquirendum judici, quis ex licitantibus proximiore sanguinis vinculo junctus sit ei, de cujus agitur hæreditate: eum enim in adjudicatione cæteris anteponendum esse suadent plurima prudentum responsa, veluti si concurrat extraneus quispiam cum eo, a cujus majoribus illa fuit profecta res, de cujus adjudicatione contentio est: *l. si in emptionem* 55. *ff. de minor.* 25. *annis*, *l. cum bona*, 16. *ff. de rebus auctorit. jud. possidend.* Mævius *ad jus Lubecens. p.* 2. *tit.* 2. *art.* 5. *num.* 27. Si vero plures æquali proximitatis gradu juncti fuerint defuncto, æquissimum erit, ut ei judex hæreditariam rem præ cæteris adjudicet, cui major est ex testamento vel ab intestato debita pars hæreditatis: *arg. d. l.* 16. *ff. de rebus auctorit. jud. poss. l. cæteræ* 4. §. *sed &* 5. *ff. famil. erciscund. l. si plures* 14. *ff. depositi.* Satius quippe magisque juxta naturam est, ut major pars ad se trahat minorem, quam ut minorem portio sequatur: *l. sancimus*, 34. §. *ne autem* 2. *C. de donationibus*, *l. juris gentium* 7. §. *ult. l.* 8. *ff. de pactis*: Tyraquellus *de jure primog. quæst.* 60. *n.* 16. *in fin.* Sichardus ad *lib.* 1. *Cod. commun. dividund. n.* 9. Matth. Wesembecius *consil.* 133. *n.* 31. Sande *decis. Frisic. l.* 4. *tit.* 11. *defin.* 4. Leeuwen *censur. forens. l.* 4. *cap.* 27. *n.* 5. Ast ubi plures aut omnes cohæredes idem offerunt, quibus singulis idoneis & in pari gradu constitutis æqualis debetur hæreditatis portio, masculos fœminis, natu majores minoribus anteponendos censeo; sic ut in concursu sororum & fratrum magis his quam illis, primogenito magis quam secundo genito res sit adjudicanda, tum ut in eadem possit remanere familia, a qua divelleretur si fœminæ cederet, utpote quæ familiæ suæ caput & finis est: *l. pronunciatio* 195. §. *ult. ff. de verbor. signific.* cum contra secundum Euripidem *Domus columnæ liberi sint masculi:* tum ut potius jure dominii transeat ad eum qui dignior est, & ante alios familiæ splendorem sustinere debet, id quod inter masculos ut plurimum natu maximos incumbit, conferunt huc ea quæ tradit Tyraquellus de *jure primog. quæst.* 60. *n. fin.*

14 Quod si ne sic quidem satis commode judex æstimare queat, cui potissimum hæredi res integra debeat adjudicari, aliis forsan impedimentis eum ambiguum & animi pendentem efficientibus, non aliud superest, quam ut universum negotium sortis arbitrio decidatur, eique res adjudicetur, quem designaverit sortis eventus: *arg. l. sed cum ambo* 14. *ff. de judiciis* §. *optionis legatum* 23. *Instit. de legatis:* Wesembecius *paratitl. ff. fam. ercisc. n.*6. *in med.* Mævius *ad jus Lubecens. par.* 2. *tit.* 2. *art.* 5. *n.* 31.

15 Hæc autem omnia non aliter recepta sunt quam si cohæredes ad licitationem prosilire voluerint: si vero consultum non duxerint ejuscemodi licitandi fervore inter se contendere, neutiquam inviti ac reluctantes ad eam compellendi, cum ad licitationem non nisi omnibus consentientibus perveniri queat: Ant. Faber *in C. Sabaud. l.* 3. *tit.* 27. *defin.* 14. Sed ipsi judici potius eo casu libera videtur competitura facultas ad hæreditariarum rerum æstimationem procedendi, convocatis eum in finem viris bonis hujusmodi negotiorum peritis & probatæ fidei, ad exemplum eorum, quos Romani publicos rerum æstimatores constituerunt: *nov.* 64. *cap.* 1. Pichardus *post* §. 20. *instit. de actionib. pag. mihi* 200. *n.* 38. Althusius *Dicæolog. l.* 1. c. 94. *n.* 11. Struvius *ad pandect. exercit.* 15. *n.* 10. Quos non nisi juratos ad æstimationem faciendam admittendos esse pluribus adstruit Petrus Zans de *divis. bonor. l.* 1. *c.* 4. Radelantius *decis. Curiæ Ultrajectinæ* 123. D. Abrah. Wesel *ad novell. constit. Ultrajectin. art.* 11. *n.* 47. *& seqq.* Atque ita rem æstimatam, si una tantum sit, uni adjudicabit: sin plures, non poterit uni cohæredum indulgere licentiam eas omnes habendi jure domini; verum uni hanc, aliam alteri rem adjudicabit, & ei, cui magis pretiosa cessit, injunget, ut tantum pro rata suo persolvat cohæredi, quanto major fuerit determinatus adjudicatæ rei valor: §. 4. *instit. de offic. judicis*, *l. si famil.* 55. *ff. famil. ercisc.* Faber *in C. lib.* 3. *tit.* 27. *defin.* 14.

16 Porro res hæ uni adjudicandæ universæ id est integræ sunt æstimandæ, non autem rerum singularum divisæ portiones: solet enim plerumque rerum in partes scissarum pretium decrescere, quæ si indivisæ considerentur longe pluris essent valituræ: *l. Mævius* 52. §. *ult. ff. famil. erciscund.* Cui æstimatio-

ni

ni hoc modo per peritos factæ judex omnino stare cogitur, nec rem ut pluris aut minoris valentem uni cohæredum jure concesserit; quamvis in ipsorum cohæredum arbitrio sit, si minus justum putaverint per illos æstimatores esse determinatum rei pretium, plus offerre, æqua methodo constringere judicem, ut ei rem adjudicet, qui plurimum valori constituto superaddiderit: Petrus Zans *l.* 1. c. 4. *n.* 16. Vel etiam quandoque nova ad hæredum petitionem ineunda rerum hæreditariarum æstimatio, qua prior inique facta corrigatur: Monacius ad *l. servus* 34. *ff. famil. ercisc.*

17 Cum autem res aliis alias integras sua sententia judex assignat, nonnullis onera vel servitutes eadem opera imponere non prohibetur; fingamus enim defunctum duo rustica vel urbana jure dominii possedisse prædia sibi mutuo contigua, singulis hæredibus unum ex iis adjudicatum fundum aut ædificium; sane non adeo angustis auctoritas judicis est coarctata limitibus, quin alteri prædio, si id e re alterius esse censuerit, certam posset imponere rusticam aut urbanam servitutem fluminis, stillicidii, luminum, prospectus, itineris, actus, viæ, aquæductus &c. ne forsan alioquin parum utile sit futurum alterutrius prædii dominium, præsertim si defunctus ipse consueverit ex uno prædio per alterum ire, agere, flumen stillicidium aliudve quid his simile illic habere commodioris habitationis aut agriculturæ causa: *l. item Labeo* 22. *§. sed etiam* 3. *ff. famil. ercisc.* Quin imo, etiamsi unum solummodo prædium inter cohæredes in duas pluresve partes fuerit divisum, hæc judici concessa est licentia, ut singulis partibus certas constituat servitutes, perinde ac si tot integra defunctus prædia reliquisset, quot sunt unius prædii partes: *l. communi* 7. *§.* 1. *ff. communi dividund.* Ut tamen rite servitus adjudicetur, necesse est, ut utrumque prædium aut utraque prædii pars sit hæreditaria: si namque prædium hæreditarium uni fuisset adjudicatum, cui vicinum erat alterius hæredis prædium non hæreditarium, non utique posset huic ulla per judicem imponi rustica vel urbana servitus: utpote cujus potestas sese tantum exserit ad res hæreditarias in judicium deductas, ad alias nullo modo protenditur: *l. ut fundus* 18. *ff. commun. dividund.* Donellus *comment. jur. civil. lib.* 11. *cap.* 9. *vers. sed ut non nisi:* Parens p. m. Paulus Voet *ad §. ult. instit. de servit. urban. & rustic. n.* 5.

18 Nec tantum res hæreditariæ sed & instrumenta in hæreditate reperta sunt adjudicanda, judexque debebit æstimare penes quem illa collocari debeant: *l. de instrumentis* 5. *Cod. commun. utriusque judic.* nam neque divisionem per rerum naturam recipiunt, neque etiam prudentibus ea placuit sententia, ad licitationem instrumenta esse deducenda, adeo ut is qui licitatione vinceret, ea esset asservaturus: *l. nam ad licitationem* 6. *ff. fam. ercisc.* Fit autem hujusmodi instrumentorum adjudicatio vel ante rerum ipsarum divisionem vel post; si fiat antequam per judicem divisæ sunt res hæreditariæ, animadvertendum est, illa non in perpetuum, sed tantum ad tempus adjudicari, nec ullam ei, cui adjudicata sunt, acquiri eorum proprietatem, sed nudam custodiam & detentionem; adeo ut illa cæterorum omnium cohæredum nomine possideat. Et circa hanc temporalem custodiam sic definiere Jurisconsulti, ut ei tradi debeant asservanda, qui majore ex parte hæres est, majoremque percepturus ex hæreditate portionem, dummodo frugi homo sit & illæsæ famæ: quo casu hic cæteris cohæredibus illud exigentibus exemplum instrumentorum exhibere cogitur: *l.* 4. *§. ultim. ff. famil. ercisc.* Wesembecius *paratitl. ff. eod. tit. n.* 6. Quod si æquales omnibus sint debitæ partes, aut alias ejus, cui maxima portio tribuenda, non sit probata fides; seniorem juniori, digniorem minus digno, marem fœminæ præferendum voluit Ulpianus in *l. fin. ff. de fide instrument.* vel etiam decerni potest, ut in æde sacra deponantur aut penes sequestrum, usque dum celebrata fuerit ipsarum distributio: *d. l.* 4. *in fine ff. famil. erciscund.*

19 Ast cum post divisionem est facienda instrumentorum adjudicatio, tali plerumque fit intentione, ut in perpetuum penes eum, cui per judicis sententiam tributa sunt, remaneant: in eaque constituenda est differentia inter instrumenta, quæ etiam post perfectam & consummatam divisionem omnes & singulos æqualiter concernunt cohæredes, & alia quæ solummodo rem quampiam singularem spectant. Illa quidem instrumenta, quæ rei tantum unius gratia sunt comparata, eum procul dubio sequi debebunt cohæredem, cui res ipsa cessit, quippe cujus accessoria censentur: nam, ut rem exemplo illustrem, si assignatum sit alicui prædium hæreditarium, æquissimum erit, ut simul ei soli tribuantur instrumenta emptionalia vel alia quæcunque, quibus is justum defuncti titulum contemplatione prædii illius docere posset, & adversus omnes esse munitus, qui forsan ei postmodum dominii quæstionem movere vellent; vel etiam, si nomen alicui fuerit adjudicatum, juris rationi congruum est, ut & instrumentum seu scriptura, qua debitum probatur, aliaque quibus cautiones pro debito continentur, si pignora vel fidejussores in nominis securitatem intervenerint, ei cedant: *arg. l. si quis ex argentariis* 6. *§. unde apparet* 5. *ff. de edendo.* Non obest nostræ sententiæ rescriptum Imperatorum in *l. instrumenta* 24. *Cod. de fideicommissis*, quod nonnullos ad opinionem contrariam amplectendam impulit, dum illic cautum observant, hæredem obligatum non esse, ut legatariis aut fideicommissariis tradat instrumenta rei legatæ: penitus enim consideranti patebit, aliam plane ac diversam illius esse constitutionis rationem: hæres scilicet ideo legatariis instrumenta non tradit, cum ejus intersit illa sibi servare, si forsan alius conaretur rem legatam evincere, cujus evictionis nomine legatario obstrictus esset: at vero hæc inter cohæredes sibi locum vindicare nequeunt, cum eorum omnium ante rerum divisionem par causa fuerit instrumenti contemplatione, & potior postea fiat ejus conditio, cui soli res adjudicata, cujus causa proditum est instrumentum: Tuldenus ad *tit. C. commun. utriusque judicii num.* 3. *in fin.*

20 Si vero talia reperiantur in hæreditate instrumenta, quæ ne post divisionem quidem accessorii vice cedunt uni ratione rei ipsi adjudicatæ, qualia

sunt

sunt nobilitatis stemmatis diplomata aliæque splendorem familiæ concernentes scripturæ, testamenti tabulæ, libri rationum & his similia; hæc omnia rectius ejus hæredis perenni sunt committenda custodiæ, qui natu major est, cujusve potissimum interest ea salva esse, si forsan ex majori parte sit hæres: *arg. l. si qua sunt* 5. *ff. fam. erciscund.* Tyraquellus *de jure primogenit. in præfat. num.* 126. *& seqq.* Mynsingerus *cent.* 4. *observ.* 37. *n.* 14. Tuldenus *d. tit. C. commun. utriusq. judic. n.* 3. Andr. Gayl. *lib.* 2. *observ.* 149. *n.* 9. *in fine:* Gregorius Tholosanus *syntag. jur. civil. lib.* 5. *cap.* 4. *n.* 13. *in princ.* Christinæus *vol.* 2. *decis.* 179. *n.* 4. Sichardus *ad l.* 5. *C. commun. utriusque judic. num.* 2. Azo *ibid. n.* 2.

21 Cæterum adjudicationum harum effectus est (quod obiter hoc loco inserendum) quod dominium acquiratur illico ei, cui adjudicata est res hæreditaria: sic ut adjudicationem inter acquirendi dominii modos optimo jure recensueris; cum disertis verbis Imperator asserat, illud omne, quod judiciis istis divisoriis, de quibus ante sermonem instituerat, adjudicatum fuerit, statim ejus fieri, cui obvenit: *§. fin. instit. de offic. judicis.* Quibus nullo modo refragatur, quod adjudicatio videatur esse judicis sententia, quam inter acquirendi dominii modos nuspiam in jure relatam offendimus, præsertim cum expeditum sit nec prætorem nec judicem posse dominum efficere eum, qui jure civili dominus non est. Non inquam hæc obstant; simpliciter enim, rejectis supervacaneis ac inutilibus interpretum quorundam ambagibus, statuendum existimo, in judiciis divisoriis illud esse singulare: Schneidwinus *ad d. §. fin. instit. de offic. judicis*: Pichardus *ibid. n.* 7. parens p. m. Paulus Voet *ibid. n.* 1. *ibique citati.* Præterquam quod in his non immediate per judicis sententiam acquiratur dominium: neque enim accurate loquendo ipsa adjudicatio est judicis sententia, sed potius per sententiam fit adjudicatio, & per hanc adjudicationem adjuvante lege, proprietas rerum adjudicatarum acquiritur: Vinnius *in comment. ad d. §. ult.* unde &, si destituta fuerit legum præsidio, dominium nulli tribuet; quod vel inde manifestum est, quod reprobata non sit rerum adjudicatarum evictio: si namque nonnullæ res in hæreditate fuerint repertæ, quarum dominium defuncto nec dum acquisitum erat, frustra judex per adjudicationem talis rei proprietatem uni cohæredum voluerit tributam; quia non fert legum æquitas, quemquam sine facto suo dominio rei suæ privari: *l. id quod nostrum* 11. *ff. de regul. jur.* Nisi longi temporis possessio cæteraque ad usucapionem implendam necessaria concurrant: eo itaque casu cohæres per adjudicationem solummodo nanciscitur usucapiendi facultatem, post longi temporis lapsum demum acquisiturus dominium: *l. si per errorem* 17. *ff. de usurpat. & usucap.* Mynsingerus *ad d. §. fin. instit. de offic. jud. in fine.* Quamvis Bachovius addubitet, & in eam proclivior videatur esse sententiam, præter adjudicationem insuper corporalem requiri rei adjudicatæ possessionem, ut usucapi posset: Bachovius *in exercitat. ad Anton. Fabrum de erronib. pragmat. decad.* 98. *error.* 7. *n.* 2. *sub fin.*

22 Postquam omnia jam divisa vel singula singulis adjudicata sunt, in eo quoque judicis consistit officium, ut sufficientes curet interponi cautiones, si forte periculum aliquod immineat, aut etiamnum supersit hæreditarii lucelli spes. Ita præcipue de evictione jubebit iis caveri, quibus adjudicat: *l. hæredes* 25. *§. item curare* 21. *famil. erciscund. l. item quamvis §. ult. ff. commun. dividund.* Leeuwen *censur. forens. lib.* 4. *c.* 27. *n.* 5. nisi consenserint inter se cohæredes, ut unusquisque rerum per divisionem aut adjudicationem obvenientium periculum, quod ex evictione posset imminere, solus subeat. Pari modo cautiones præstandæ de rebus in hostium potestate existentibus, quæ jure postliminii pristinos ad dominos sperantur reversuræ: uti & de iis quæ defuncto sub conditione vel ex die debita sunt aut alias hæreditario jure creduntur adventura; videlicet de iis omnibus communicandis quamprimum ad aliquem cohæredum redierint: *l. item ex diverso* 19. *in fin. l. item Labeo* 22. *§. ult. & l. seq. ff. famil. erciscund. l. cum socii* 16. *ff. commun. dividund.* Et, si quidem inter plures cohæredes ita divisus fuerit ususfructus, ut vice mutua vel alternis annis singuli fruantur, cautiones exiget a singulis, se non aliter aut alio tempore quam constitutum est, usuros fruituros esse: *l. & puto* 16. *ff. famil. ercisc. l. si cujus rei* 13. *sed si inter* 3. *ff. de usufruct.* Si communia penes unum e cohæredibus instrumenta fuerint deposita, vel arbitri erciscundæ familiæ sententia vel voluntate suprema defuncti; hunc eo judex adiget, ut cæteris caveat cohæredibus, se non tantum exemplum eorum sed ipsa instrumenta, ubi desiderata fuerint, & exegerit necessitas, exhibiturum esse; cum agentibus aut defendentibus ut plurimum authentica necessaria sint instrumenta, ad instruenda ea, quæ postmodum emergunt ad hæredis unius notitiam spectantia: *l. si quæ sunt* 5. *l. Pomponius scribit* 8. *famil. erciscund.* Tuldenus *ad tit. C. commun. utriusque judic. n.* 3. Grotius *introduct. ad jurisprud. Holland. lib.* 3. *cap.* 28. *n.* 26. Leeuwen. *cens. forens. lib.* 4. *cap.* 27. *n. fin. in fine.* Si testator aut judex uni injunxerit æris alieni onus, is simul judicis auctoritate compellendus, ut cautiones interponat, se ceteros cohæredes indemnes præstiturum: *l. si filia* 20. *§. Papinianus* 5. *ff. famil. erciscund.* Quin &, si sub conditione vel intra certum diem pecunia fuerit a defuncto promissa, cujus obligationis dies divisionis tempore necdum cessit aut cedit; mutuis erit prospiciendum cautionibus de indemnitate præstanda per eum, per quem factum fuerit quo minus omnes nummi debiti soluti sint, aut de restituenda parte ei qui solidum solverit: *l. omne æs alienum* 27. *ff. pro socio.* Cujus ea ratio est, quod pœnam evitare nequeant cohæredes, etiamsi pro rata debitum præstiterint, sed ex unius mora adversus omnes illa committatur: *l. hæredes* 25. *§. idem juris est* 13. *ff. famil. erciscundæ.* Id quod ita in cæteris omnibus obtinet factis & obligationibus individuis, ut scilicet eorum nomine sibi invicem de indemnitate caveant cohæredes: *d. l.* 25. *§.* 10. *& seqq.* Denique si res litigiosa, de qua sub judice controversia est, uni fuerit adjudicata, cæteri cavebunt, huic sese restituturos esse quicquid

ex

ex illa lite pendente recepturi sunt, & quicquid interim litis causa fuerit expensum: *lib. in judicio* 47. *ff. famil. ercisc.*

23 Quod si quis cohæredum per contumaciam absens sit, adeo ut judex in divisione facienda debuerit ipsius supplere vices, nulli dubium esse debet, quin & ejus nomine exigendæ sint a ceteris cohæredibus hæ cautiones; nec etiam ante contumaci & absenti cohæredi suas curabit præstari res hæreditarias per divisionem assignatas, quam is vicissim idonee cohæredibus evictionis aliorumque causa caverit; interim vel curator portionis ejus constituendus, apud quem refecta pecunia collocetur: *arg. l.* 1. §. *si frater* 10. & 13. *ff. de collationib.* Althusius *Dicæolog. lib.* 1. *c.* 94. *n.* 15. vel etiam cæteri cohæredes illam bonorum hæreditariorum partem ipsi capient, præstita cautione de iis restituendis, postquam per absentem idonee securitas promissa fuerit: *arg. l.* 2. §. *ult. ff. de collationib.* Berlichius *conclus. practicabil. part.* 3. *conclus.* 21. *n.* 74. & *seqq. ibique citati.* Quo faciunt ea, quæ in simili fere contumaciæ causa tradit Anton. Faber *in suo C. Sabaud. lib.* 5. *tit.* 25. *defin.* 7. & Mornacius *ad l.* 25. *ff. famil. erciscund.*

CAPUT VII.

Quæ res veniant in erciscundæ familiæ judicium.

1 *Rerum mobilium per hostes occupatarum fieri nequit divisio, cessante jure postliminii.*
2 *Immobilium captarum divisio procedit.*
3 *Etiam eorum animalium mansuetorum, quæ a feris rapta, quamdiu consumpta non sunt.*
4 *Dividuntur & res, quæ per defunctum fuerunt bona fide possessæ.*
5 *Res quoque per defunctum empta & hæredibus tradita; non item per unum cohæredem empta ex pecunia hæreditaria.*
6 *Venit etiam res, quæ per judicium communi dividundo tota hæredibus est adjudicata, cum tantum pro parte dimidia defuncti fuisset.*
7 *Res itidem litigiosa in hoc judicium deducitur.*
8 *Ut & illæ res, quas testator sub conditione legavit.*
9 *Quid obtineat in thesauro in fundo hæreditario per cohæredem aut extraneum reperto, demonstratur.*
10 *Quid juris sit circa res hæreditarias per unum cohæredum pro parte vel in solidum alienatas, exponitur per distinctiones.*
11 *Insuper in hoc judicium deducuntur, quæ a defuncto commodata deposita pignori data unus cohæredum recepit, nisi rei divisibilis suam solummodo partem recepisset.*
12 *Non mala medicamenta.*
13 *Non libri improbatæ lectionis magici mathematici hæretici.*
14 *Non lucra turpia.*
15 *Removentur objectiones.*
16 *Non etiam jura sepulcrorum familiarium.*
17 *Nec jura sepulcrorum hæreditariorum.*
18 *Nec jus patronatus.*
19 *Nec ea, quæ uni cohæredum juxta defuncti voluntatem conditionis implendæ causa data sunt.*
20 *Nec servitutes, sive reales fuerint sive personales.*
21 *Nisi iis in casibus, quibus servitus personalis ad hæredes transit aut hæredibus demum acquiritur.*
22 *Veniunt in hoc judicium res defuncto pignori datæ commodatæ vel apud ipsum depositæ, ad id, ut earum custodia uni demandetur.*

1 Cum notissimum unicuique sit, hæreditatem nihil aliud esse quam successionem in universum jus quod defunctus habuit: *l. nihil est* 24. *ff. de verb. signif.* sic ut hæredes personam ejus repræsentent, usque per hæreditatis aditionem acquirantur quæcunque fuerunt in defuncti patrimonio; etiam hæc omnia in erciscundæ familiæ judicium deduci posse dicendum est. Quia tamen de nonnullis suboriri posset disputatio, & in medium adduci dubitandi rationes, paucis hoc capite præcipua discutiam. Et primo quidem circa rem per hostes captam & etiamnum penes eos existentem disceptatum est: pene posset inter cohæredes hoc dividi judicio? Frustraneam forte quis censuerit & ridiculam prorsus esse talis rei distributionem, quippe quæ eo ipso, quo capta est, transit in inimicorum potestatem, & in dominio defuncti esse desinit: est enim occupatio rerum hostilium in bello justus ac legitimus ex jure gentium acquirendi dominii modus: §. *item cui* 17. *instit. de rer. division. l. naturalem* 5. §. *ult. l. transfugam* 51. §. 1. *ff. de acquir. rer. domin.* Hæc tamen non impediunt, quo minus inter res mobiles & immobiles captas distinguendum existimem: mobiles quod spectat, quæ in hostium potestate sunt, eas in hoc judicium venire non posse verius est; cum ita per hostilem occupationem exierint e defuncti bonis, ut nulla probabilis spes supersit, eas unquam ad pristinum dominium esse reversuras, eo quod in rebus mobilibus captis omnia conticescant postliminii jura: quo fit, ut, etiamsi maxime per alios fuissent recuperatæ, nullum tamen de novo jus in iis domino priori quæratur: *l. si quid bello* 28. *ff. de captiv. & postlim.* Proinde non magis harum procedet divisio, quam aliarum quarumcumque, quæ jam perierunt ac esse desierunt in rerum natura.

2 Sin autem res immobiles occupatæ ac possessæ fuerint ab hostibus, utilis instituetur inter cohæredes earundem divisio, utpote quæ non in universum excessisse videntur ex defuncti patrimonio propter dubium & incertum recuperationis eventum: *l. item Labeo* 2. §. *ult.* & *l. seq. ff. famil. ercisc.* In immobilibus namque probatum postliminii jus, quo postmodum receptæ solent ad pristinum redire dominium, & perinde habentur atque si nunquam iis adversarii potiti fuissent: *l. si captivus* 20. §. 1. *ff. de captiv. & postlim.* Si nihilominus ab hostibus captæ fuerint ejusmodi res mobiles, quæ præter receptas juris regulas postliminio recuperantur, & eatenus

nus reguntur immobilium jure, quales enumeratæ *in l. 2. ff. de captiv.* equi videlicet & equæ fræni patientes, & inservientes belli usui longæ naves onerariæ; merito harum quoque divisionem inter hæredes fieri posse dicemus *arg. d. l. 22. §. ult. l. 25. ff. fam. erc*isc.

3 Quemadmodum etiam illud animal mansuetum in judicium erciscundæ familiæ deducendum esse post Pomponium Ulpianus asserit, quod a fera e pecoribus aut armentis est ereptum: magis enim est, ut non desinat nostrum esse, quamdiu consumptum non est: *l. Pomponius* 8. *§. ult. ff. famil. erciscund.* quamvis enim in eam sententiam multa cumulet alibi idem Ulpianus, ut probabiliter ad minimum evinceret, ejusmodi animalia rapta nostro excessisse dominio, ferarumque faucibus erepta jure dominii ad recuperatores pertinere; tandem tamen melius esse docet, id quod ereptum est, tamdiu nostrum manere, quamdiu recipi possit: *l. Pomponius 44. ff. de acquirend. rer. domin.*

4 Res autem illas, quas bona fide defunctus possedit, ut ut vere dici nequeant in ipsius fuisse patrimonio, sed potius ad alios pertineant dominos, divisioni nihilominus posse subjici responsum est: *l. item prædita* 10. *ff. famil. erciscund.* Efficit enim illa conjuncta possessioni bona fides, ut pene loco domini possessor habeatur: *l. bonæ fidei* 48. *ff. de acquir. rer. dominio, l. qui scit* 25. *§. in alieno* 1. *ff. de usuris*; &, dum animo domini possidet, usucapiendi vel præscribendi nanciscatur facultatem: quam cum possit in hæredes transmittere, nullus iniquum existimaverit, quod ipsi tales res inter se distribuant, quatenus aliquid in iis juris habent, atque ita superstite impleto post divisionem tempore per leges definito suam singuli præscribant aut usucapiant portionem: *§. diutina* 12. *institut. de usucapionib. l. nunquam* 31. *§. penul. ff. eod. tit.* vel si medio tempore casu possessionem earum amiserint, ad eam recuperandam experiantur Publiciana: *arg. l. communi dividundo 7. §. qui rem 2. ff. communi dividund.*

5 Pari ratione, licet res empta per defunctum, & interveniente morte nondum ei tradita, recenseri nequeat inter ejus facultates, quippe cui personalis tantum ex empto actio ad traditionem impetrandam nata, nullum in ipsa re jus quæsitum erat: *l. si pater tuus* 8. *C. de actionib. empti;* si tamen ea defuncti cohæredibus tradita fuerit, divisioni inter ipsos faciendæ non erit exempta: *l. veniunt*, 9. *ff. fam. ercisc.* Secus quam obtineret, si unus hæredum ex pecunia forsan hæreditaria sibi rem aliquam proprio nomine comparasset titulo singulari, ejusque nactus esset possessionem: utpote quæ in hoc nostrum non foret ducenda judicium: *l. hæredes* 25. *§. quod pro emptore* 7. *ff. famil. ercisc.* Quicquid enim quisque sibi comparat, etiamsi ex aliena pecunia pretium persolverit, tamen, si res tradita sit, non ei cujus erant nummi, sed sibi potius acquirit: *l. si patruus* 4. *C. commun. utriusque judic.* adeo ut injuriosum esse Gordianus rescripserit, res tales in pecuniæ dominum ab emptore invito transferri: *l. si ex ea* 6. *C. de rei vindicat.* In dubio autem hæres ex hæreditaria pecunia quid comparans, proprio magis quam hæreditario nomine comparasse præsumitur: Mantica *de tacit. & ambig. convention. lib. 4. tit. 22. n.* 2. Sichardus *ad l. 4. C. commun. utriusq. judic. num. fin.*

6 Illud expeditum est, si rem aliquam cum alio communem habuerit testator, hæredes adversus hunc extraneum instituere posse communi dividundo actionem, in qua etiam adjudicationes admissæ, quoties ipsa res communis non satis idoneam fert divisionem: si itaque cum eo sic plures egerint hæredes, iisque tota res fuerit adjudicata, absurdum etiam non erit, illam integram in hoc venire judicium, etiamsi pro dimidia parte tantum ad defunctum dominii jure pertinuerit: cum cohæredibus hisce quæsita fuerit totius rei proprietas ex eadem causa, quam & defunctus habuerat, rei videlicet communione: *l. Mævius* 52. *in primo ff. famil. erciscund.*

7 De litigiosis quoque rebus, super quibus mota defuncto controversia, dubitari posset: omnem enim harum alienationem constat esse prohibitam, donec vel judicis sententia vel transactione contendentium aliave qua methodo lis sopita fuerit, ne pendente lite quid innovetur, & novus obtrudatur actori adversarius; usque adeo, ut hæredes, a quibus testator rem litigiosam legavit, ejus tantum æstimationem legatario præstare, rei vero defensionem ipsi suscipere cogantur: *l. 2. l. 3. C. de litigiosis.* Nec minus certum est, alienationis quoque speciem esse divisionem; unde sponte fluere videtur, nullum circa rem litigiosam admitti posse familiæ erciscundæ judicium. Hoc tamen dubium sua substulit constitutione Justinianus, dum in divisionibus exceptionem a regula constituendam esse præcepit, litemque motam non impedire, quo minus libera foret hæredibus dividendi facultas: *l. fin. C. de litigiosis.* Cujus hanc jure rationem reddideris, quod per hæreditariæ rei divisionem inter cohæredes in extraneum illa non transferatur, sed penes eosdem remaneat dominos, ad quos & ante litem susceptam pertinuit; nisi quod postmodum incipiant pro partibus divisis possidere rem, quam ante pro portionibus habebant indivisis; sic ut hic cesset alienationis prohibitæ causa, cum novus actori non objiciatur adversarius, sed iidem remaneant post divisionem litigatores, qui & ante liti semet obtulerant.

8 Quod si testator res quasdam sub conditione legaverit extraneo, liberum interim est cohæredibus illam in erciscundæ familiæ judicium deducere: sunt enim illi pendente conditione talis rei domini, ejusque vindicandæ facultatem habent, etiamsi dominium speretur ab ipsis abiturum: *l. non ideo minus* 66. *ff. de rei vindication.* Ea quippe spes hunc solummodo producit effectum, ut inter ipsos in partes non scindatur res legata, verum adjudicetur uni cum sua causa seu onere; quo vel existente conditione adimatur ei cui adjudicata est, & præstetur legatario, vel ea deficiente revertatur ad eos cohæredes, a quibus relicta, tum demum inter ipsos pro rata dividenda: *l. & post litem* 12. *§. ult. ff. famil. erciscund.*

9 Circa thesaurum in hæreditario fundo repertum non levis est quæstio, quo usque videlicet, seu quota sui parte veniat in divisionem; qua in re ut faci-

lius nos expediamus, observandum est, thesaurum, definiente Paulo JCto, veterem quandam esse depositionem pecuniæ, cujus memoria non exstat, ita ut dominum non habeat: *l. nunquam nudæ* 31. §. 1. *ff. de acquir. rer. domin.* & siquidem ad Ulpiani verba respiciamus in *l. item Labeo* 22. *in princ. ff. famil. erciscundæ*, intuitu primo dicendum videri posset, eos non aberrare, qui secundum ea censent, thesaurum ab uno cohæredum in fundo communi hæreditario erutum in erciscundæ familiæ judicium in solidum venire, licet inventor cum extraneo conscio eum partitus esset. Verum enimvero, si juxta communia legum præcepta voluerimus omnia paulo accuratius perpendere, eo tandem nos impellet juris scripti ratio, ut eo tantum in casu thesaurum integrum divisioni obnoxium esse debeamus statuere, cum a cohærede vel extraneo dedita opera in hæreditario fundo quæsitus & inventus est; quod in inventoris pœnam ita constitutum est, cum nulli data sit licentia effodiendi aliena, & opes abditas perscrutandi, ne alioquin inde violentur & corrumpantur aliorum prædia: *§. thesauros* 40. *institut. de rerum divis. l. unic. C. de thesauris*. At si casu fortuito fuerit inventus in defuncti fundo thesaurus, in omnem eventum non nisi dimidiam ejus partem in hoc judicium deduci posse ex sequentibus manifestum puto: namque vel ab extraneo vel ab uno cohæredum repertus est ante divisionem thesaurus; quod si extraneus eum invenerit, ex Principum constitutionibus dimidium ipsi tanquam inventori cedet, altera demum pars loci dominis, quales hic sunt cohæredes, acquiretur, & pro rata inter eos erit dividenda: *d. §. 40. instit. de rer. divis. d. l. un. Cod. de thesauris*. Sin autem unus ex cohæredibus in fundo hæreditario etiamnum communi casu effoderit, dimidiam quidem partem inventoris titulo sibi retinet, altera vero pars ut loci beneficium inter hunc inventorem, ad quem hæreditario jure pars fundi pro indiviso pertinet, & cæteros cohæredes distribuenda. Quibus omnibus non contrariatur *d. lex* 22. *ff. famil. erciscund.* neque enim ille Jurisconsultus de vero tractat thesauro tali videlicet re mobili condita tempore vetustiori ab ignotis dominis, ut inquit Imp. Leo *in d. l. unic. Cod. de thesauris*, sed potius improprie thesaurum appellat ibi rem, quam reliquerat & recondiderat ipse defunctus, neque postmodum iterum in lucem protraxerat, inopino forte mortalitatis casu præventus. At vero talia, quorum dominus non ignoratur, nullo modo pro parte cedunt inventori, sed suo penitus sunt domino restituenda, cum remanserint ejus, cujus fuerunt: *l. a tutore pupilli* 67. *ff. de rei vindicat. l. thesaurus* 15. *ff. ad exhibendum*. Si quis enim metus causa propter imminentem hostilem impetum aut latronum deprædationes pecuniam aliasque res terræ visceribus commiserit, tantum abest ut earum dominium amitteret, ut potius is, qui sciens res esse depositas eas contrectaverit, furti teneatur: *l. numquam nuda* 31. *in fin. ff. de acquir. rer. domin. l. pereg.* 44. *ff. de acquir. possess. de l. thesaurus* 15. *ff. ad exhibend.* Et hoc est, quod in *d. l.* 22. dicitur, illam rem inventam in judicium erciscundæ familiæ venire: *licet inventor cum extraneo conscio partitus sit*, designare scilicet voluit Ulpianus, extraneum illum, cum sit in mala fide, sciens pecuniam a defuncto fuisse defossam aut reconditam, non posse sibi acquirere partem dimidiam inventæ rei, quam unus cohæredum, cui id indicaverat, ipsi concesserit, verum integram rem ut hæreditariam & a defuncto profectam inter cohæredes debere pro rata dividi.

10 Quod si cohæres ante divisionem inchoatam extraneo pro indiviso rei alicujus hæreditariæ partem vendiderit, quatenus illa ex testamento vel ab intestato ad eum pertinet, non modo talis subsistet venditio, rescissionis periculo non obnoxia, licet hoc maxime postulassent cohæredes, verum insuper illud operabitur, ut talis res in erciscundæ familiæ judicium neutiquam deduci queat, nec alia via cohæredibus cæteris eo casu detur a communione recedendi facultas, quam si extraneum hunc hæreditariæ rei singularis emptorem actione communi dividundo ad divisionem constrinxerint: *l. ex hæreditate* 54. *ff. famil. erciscund. l.* 5. *Cod. commun. dividund.* Gregor. Tholosanus *syntagm. juris civil. lib.* 5. *c.* 4. *n.* 5. *in fine*: Struvius *ad pandect. exercit.* 15. *n.* 9. Quamvis non idem usque foret dicendum, si cohæres rem quampiam hæreditariam seu singulare corpus in solidum alienasset: neque enim satis inter Doctores constat, utrum res, ea non obstante alienatione, veniat nihilominus in divisionem una cum cæteris rebus hæreditariis, perinde ac si nulla fuisset celebrata circa eam venditio; an vero cohæres venditor ad æstimationem rei præstandam obligatus sit; an denique hic potius cum eo, in quem res est translata cæteri cohæredes experiri debeant actione communi dividundo, ut inter ipsos & hunc extraneum emptorem cohære vices subeuntem illa dividatur? utiliter hunc posse nodum expediri censeo distinctionum ope, ita quidem, ut dispiciendum primo sit, num cohære suo cohæres hanc mandaverit venditionem, eamve celebratam postea ratam habuerit, an vero inscio & invito cohærede facta sit rei distractio. Si eam mandaverit aut factam comprobaverit, frustra conabitur actione familiæ erciscundæ pretium pro rata consequi, verum mandati vel negotiorum gestorum actionem adversus cohæredem instituet, firma manente venditione: *l. in familiæ* 20. *Cod. famil. erciscund.* Sin contra cohæredibus cæteris ignorantibus & invitis celebrata sit per unum talis rei totius alienatio, liberum utique ipsis est, ubi sic visum fuerit, adversus cohæredem venditorem agere judicio familiæ erciscundæ, ut una cum cæteris rebus hæreditariis etiam pretium ex re distracta redactum ipsius rei locum subintret, & pro rata dividatur: *l. inter cohæredes* 44. *§. si cohæredes* 2. *ff. famil. ercisc. arg. l.* 1. *Cod. de commun. rer. alienat. in fin.* Attamen ut plurimum alia quoque superesse remedia, quibus consulatur cohæredum indemnitati, negandum non est: si enim venditor non ignoraverit, alios una ad hæreditatem esse vocatos, ab ipso cæteri jure rem talem divenditam instituta hæreditatis petitione poterunt exigere, quamvis non possideat: *d. l.* 44. *§.* 4. *ff. d. l.* 20. *Cod. famil. erciscund.* Nec pretium præstando satisfaciet cohæredum desiderio, verum, ubi illi hoc urserint, ad

rem

rem ipsam exhibendam compellendus est, cum in dolo fuerit, adeoque malæ fidei possessor: *l. item veniunt* 20. *§. hæc adversus* 12. *l. sed & si lege* 25. *§. quod ut senatus* 2. *ff. de petit. hæreditat.* Cæterum si bona fide se solum hæredem existimans rem quampiam hæreditariam in alium transtulerit, pretio inde redacto contenti debebunt esse cohæredes hæreditatem petentes: *d. l.* 20. *§. ait senatus*, 17. *& seqq. ff. petit. hæred.* Nisi maluerint adversus emptorem instituere communi dividundo judicium, atque ita suas vindicare partes, neque enim aliter illa sustinetur venditio, quam quatenus eam ex æquo & bono comprobare voluerint hæredes cæteri, alioquin per se satis illicita: *l.* 1. *Cod. de commun. rer. alienat.* Christinæus *vol.* 2. *dec.* 181. *n.* 6. *& ad* Mechlin. *tit.* 16. *art.* 44. *in addit. in fine*. Unde nec sufficientem animadverto rationem, qua probabiliter defendi posset opinio Petri Zans *tractat. division. bonor. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 47. existimantis adversus ejusmodi hæredem partem suam in hæreditaria re vendita vindicantem debere securum esse emptorem: cum juris sit minime controversi, cohæredem illum venditorem in omnem eventum plus juris in alium bonæ fidei possessorem transferre non potuisse, quam ipse habebat, adeoque suam solummodo partem, cæteras vero portiones ad alium non transisse jure dominii: *l. id quod nostrum* 11. *ff. de reg. juris: l.* 1. *Cod. commun. dividund. l. cum a matre* 14. *in fin. Cod. de rei vindicat. l. cohæredibus C. famil. erciscund.* Brunemannus *ad l.* 20. *Cod. eod. tit.*

11 Quod si unus ex cohæredibus rem quampiam hæreditariam, quæ mortis tempore penes alium erat, receperit mobilem aut immobilem, quam forte pignori vel commodato dederat vel deposuerat defunctus, hanc quoque in erciscundæ familiæ judicium venire dicendum est: neque enim ille ultra suam partem in tali re potest sibi vindicare, cæteris singulis jure dominii suam quoque portionem recipientibus. Si tamen res quæpiam fuerit divisibilis, veluti si defunctus auri massam aut numeratam pecuniam deposuerit pignorive dederit, & ante susceptum erciscundæ familiæ judicium unus hæredum suam receperit ex illa re deposita portionem hæreditariam, nullo jure compelli poterit, ut eam aliis communicet hæredibus, aut exhibeat hoc divisorio judicio distribuendam, etiamsi facultatibus lapsus depositarius cæteris defuncti hæredibus suas præstare partes non potuerit: propriæ namque desidiæ & negligentiæ illi hoc imputare debent, qui si cohæredis sui exemplo moniti tempus opportunum observassent, suam quoque partem fuissent recepturi: *l. fin. Cod. depositi*.

12 Porro nonnunquam accidit in hæreditate mala reperiri medicamenta & venena, quæ non sunt inter hæredes distribuenda, sed potius per judicem innocentis bonique viri fungentem officio corrumpi debent: *l. cæteræ* 4. *§.* 1. *ff. famil. erciscund.* Quod quidem in iis omnino venenis admittendum, quæ nullo modo possunt usui nobis esse per alterius materiæ melioris adjectionem: quia tamen abunde quotidiana testatur experientia, pleraque mortalium generi perniciosissima venena sic aliis materiis posse misceri medicorum ac pharmacopolarum industria longoque rerum usu quæsita arte, ut non omnem modo deponant nocendi facultatem, verum insuper saluberrimi sæpe medicamenti vice vulneratis ac ægrotantibus inserviant: *l. qui venenum* 236. *ff. de verb. signif.* Etiam merito dicendum est talia judicis officio non esse corrumpenda, nec adimendum hominibus eorum commercium, sed perinde divisionem admittendam atque cujuslibet alterius innocuæ rei hæreditariæ: *arg. l. quod sæpe* 35. *§. veneni mali* 2. *ff. de contrahen. emption. l. ejusdem* 3. *§. adjectio* 2. *ff. ad leg. Cornel. de sicariis*.

13 Eodem modo nec erciscundæ familiæ judicio dividuntur inter cohæredes lectionis improbatæ libri, quales sunt magici, quos similiter corrumpendos esse statuit idem Ictus *in d. l.* 4. *§.* 1. *ff. famil. erciscund.* Pichardus *post §.* 20. *instit. de action. p. mihi* 197. *n.* 14. *in fine*. Cum enim hi nullum penitus humanis necessitatibus emolumentum aut utilitatem adferre queant, sed potius lectores suos in miserrima deducant, si non factorum, turbulentissimarum utique cogitationum præcipitia, & infestas non raro dæmonum tentationes proritent, non est cur eos ulla ratione quispiam ab interitu vindicandos existimet. Inter hos autem recte computaveris insulsos ac stolidos mathematicorum codices, quos & ea de causa in conspectu & sub oculis episcoporum incendio concremari mathematicis ipsis injunxerunt Honorius & Theodosius: *l. mathematicos* 20. *C. de episcopal. audient*. Nec ab hisce longe recedunt nocendi viribus hæreticorum volumina: nam & hæc sæpissime mortales in gravissimos protrudunt aut alliciunt religionis errores, quibus cæcutientes ipsorum animos in æternum infaustos perire necesse est; proinde nec inter cohærédes dispertienda sunt, sed potius abolenda perfectissimoque mancipanda interitui juxta Principum placita: impios etenim nefandi & sacrilegi Nestorii libros adversus venerabilem Orthodoxorum sectam & decreta sanctissimi cætus antistitum scriptos undique diligenti studio conquiri ac publice comburi decreverunt Theodosius & Valentinianus: *l. decere* 3. *§. quoniam* 3. *C. de summa trinitat. l. damnato* 6. *§.* 1. *C. de hæreticis & Manichæis*. Chartas etiam ac scripta funestum Eutychetis & Apollinaris dogma complectentia flammarum incendio consumi jussit idem cum Imperii collega Marciano Valentinianus; ut ita facinorosæ perversitatis vestigia flammis combusta deperirent, nec uspiam amplius asservarentur portentosa scriptorum monumenta: *l. quicunque* 8. *§. nulli insuper* 5. *C. eod. tit. de hæret. & Manich.*

14 Num etiam inter hæredes dividenda, si quæ fuerint in hæreditate reperta, quæ defunctus ex sacrilegio vel peculatu vel vi vel latrociniis aut aliis quibusdam inhonestis ac per leges improbatis acquisivit artibus: *l.* 4. *§.* 2. *ff. famil. erciscund.* Ut enim nulla lucri turpis esse potest inter socios communicatio, sic nec ejus esse debet inter cohæredes divisio, nec ullum ex negotio bonis moribus adversante factoque flagitioso defuncti lucrum successores captare vel sperare fas est: *l. quod autem* 53. *& seqq. ff. pro socio*. Sed potius ea omnia, quæ tali illicito quæsita modo, ab hæredibus quam primum restituenda sunt iis, quibus per injuriam erepta sub-

tra-

tracta vel extorta: turpia namque lucra hæredibus extorqueri debere constitutum est: *l. in hæredem* 5. *ff. de calumniatoribus arg. l. si quis* 26. *ff. ad leg. Cornel. de falsis l. si igitur* 55. *ff. pro socio:* Gregor. Tholosanus *syntagm. jur. civil. lib.* 5. *c.* 4. *n.* 5. *in med.*

15 Nec hisce refragatur quod Harmogenianus scriptum reliquit, etiam inhonestos quæstus ex hæreditate perceptos hæredi vero restituendos esse ab eo, qui hærede vel possessore detinuit hæreditatem: *l. si possessor.* 52. *ff. de petit. hæreditat.* quod tradidit Ulpianus, in petitionem hæreditatis venire quoque pansiones ex prædiis urbanis hæreditariis perceptas, licet a lupanario profectæ sint: *l. ancillarum* 27. §. 1. *ff. eod. tit. de petit. hæred.* Non, inquam, hæc evertunt ante confirmata: neque enim turpiter quæsita secundum Harmogenianum veris alium in finem reddenda sunt hæredibus, quam ne locupletior inde fiat possessor, neve honesta interpretatio non honesto quæstui lucrum possessori faciat, uti est in *d. l.* 52. quæ ratio cessat in ipsa hæreditatis divisione, eo quod turpes illi quæstus nulli possessori vel hæredi lucro sunt, verum suis restituendi dominis, adeo ut frustra divisionem reciperent nullas utilitatas allaturam. Nec major est in Ulpiani verbis dubitandi ratio in *d. l.* §. 1. si namque cum Gothofredo in not. ad d. l. 52. quis statuendum putet, Jurisconsultum in d. l. 27. de turpi tractare lucro; superior hic tantum repetenda responsio, illud videlicet non aliam ob causam in hæreditatis petitionem venire, quam ne penes bonæ vel malæ fidei possessorum remaneat emolumentum. Quamvis hic rectius statuendum existimem, in d. l. 27. non esse de lucro turpi quæstionem: neque enim illic casum proponit Ulpianus, quo is qui pensiones accipit ex Urbano prædio, lupanaria exercet; sed potius agit de merceda persoluta a tali conductore, qui in conducto prædio palam meretrices prostituere consuevit, ignaro locatore: id quod ex subjuncta ratione perquam manifestum est; *nam*, inquit, *& in multorum honestorum virorum prædiis lupanaria exercentur.* Quin imo, non in universum a juris Romani ratione, ut et forta nimium subtili, recesserit, qui & pecuniam ex ipso lupanariorum exercitio redactam lucro turpi negaverit annumerandam: turpiter quidam faciunt lenones, quod exerceant in juventutis perniciem lupanaria, non tamen inde turpiter accipiunt pecuniam, cum ea exerceant; ut in pari fere causa de meretrice proditum, *illam videlicet turpiter facere, quod sit meretrix, non turpiter accipere cum sit meretrix: l. item si ob stuprum* 4. §. *sed quod meretrici* 3. *ff. de condict. ob turp. vel injust. caus.*

16 Quid quod nec in hoc judicium deduci possint jura sepulcrorum: Gregor. Tholosanus *syntagm. jur. civ. lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 5. Illorum enim alia constat hæreditaria esse, alia familiaria: Althusius *dicæol. l.* 1. *cap.* 20. *num.* 25. Sepulcra quidam familiaria nullo modo recipere divisionem erciscundæ familiæ judicio perficiendam, omni caret dubio; eo quod illa sint, quæ quis sibi familiæque suæ constituit: *l. familiaria*, 5. *ff. de religios. & sumptib. funer.* Sic ut iis omnibus qui sunt de familia defuncti, competat ipso jure mortui illic sepeliendi facultas, etiamsi forsan eum testator exhæredasset, aut præteritione vel alio modo, si quis est, exclusisset a successione: ut nihilominus universis hæredibus institutis, sive de familia fuerint defuncti testatoris, sive prorsus extranei, pro libitu liceat inferre mortuos: *l. vel quod*, 6. *ff. de religios. l. jus sepulcri* 23. *C. eodem:* Ant. Faber *in Cod. Sabaud. lib.* 3. *tit.* 25. *definit.* 10. Iniquum proinde foret, si talia familiaria dividerentur inter cohæredes sepulcra in præjudicium eorum, qui, cum non fuerint hæredes scripti, tamen de familia defuncti sunt; utpote quibus ita mortui sepeliendi jus foret ademptum.

17 Hæreditaria vero sepulcra quod attinet, quamvis ad omnes hæredes eosque solos nulla observata inter agnatos & extraneos differentia pertineant, quippe quæ quis sibi hæredibusque suis constituit, nisi forent liberi defuncti, qui & in hæreditarium sepulcrum inferendi jus habent, etiamsi hæreditate abstinuerint: *d. l.* 5. *& 6. ff. de religiosis.* Atque insuper ipsi defuncto liberum sit ultima cavere voluntate, ne in hæreditarium sepulcrum mortuus inferatur, aut ut unus solummodo cohæredum utatur jure sepulturæ, vel adimatur uni mortui inferendi facultas, ac servandum sit tale defuncti desiderium: *l. prætor art.* 3. §. *si quis in hæreditarium* 5. *ff. de sepulcro violat.* Si tamen defunctus ipse nihil tale circa ejusmodi sepulcra supremo disposuerit elogio, concessum non est hæredibus ad eorum prosilire divisionem; verum ita remanebunt in communione, ut nulla habita portionum hæreditariarum ratione, cohæredes omnes etiam ad minimam hæreditatis partem vocati, possint, invitis cæteris, suos inferre mortuos: *d. l.* 6. *ff. de religios.* Quod satis indicat Modestini responsum, dum in judicium non deduci religiosa loca, sed jus eorum singulis in solidum competere statuit: *l. fundus mihi* 30. *in fin. ff. fam. ercisc. arg. l. si quis putans* 6. §. *si quis in communem* 6. *ff. commun. dividund.* Quod utique non fieret, si possent in partes pro rata secari sepulcra hæreditaria; vide de his Anton. Thesaurum *quæst. Forens. lib.* 1. *quæst.* 11. Garsiam *de expens. & meliorat. cap.* 8. *n.* 4. 5.

18 Eadem quæ de sepulcris hactenus in medium allata sunt, etiam fere circa jus patronatus obtinuerunt ex jure civili, quatenus libertus æqualiter omnibus patroni sui liberis obsequium & officiales operas præstare cogebatur, etiamsi maxime parens eorum in testamento suo libertum uni ex liberis assignasset: ea enim assignatio non ultra liberti bona vires exisrit, illud efficiens, ut is, cui pater assignaverit, solus liberto defuncto jure patronatus succedat, exclusis cæteris fratribus ac sororibus; cujus rei testis est Ulpianus asserens, libertum, qui alteri filiorum assignatus est, non desinere alterius filii libertum esse: *l. etiamsi jus* 3. §. *si capitis* 9. *ff. de bonis libertor.* parens p. m. Paulus Voet *ad princ. instit. de assignand. libert.* Adeo ut nec cohæredes ipsi sua possint efficere divisione, quo minus libertus omnibus defuncti patroni liberis æqualem præstet honorem & obsequium: *l. fin. ff. de jure patronat. l. quædam mulier* 41. *ff. famil. ercisc.* Et temere quid in eos committens incidat in ingratitu-

dinis legibus improbatæ notam, si forsan illos non impetrata venia in jus vocaverit: *l. quique litigandi* 4. §. 1. *l. sed si hac* 10. §. *liberos* 5. *ff. de in jus vocand.*

19 Insuper in divisionem non veniunt ea, quæ uni cohæredum juxta defuncti voluntatem conditionis implendæ causa data sunt, veluti si Titio centum ea conditione legaverit testator, ut is uni hæredum equum bovem aliamve rem quampiam præstaret: *l. si filia* 20. §. *ult. ff. fam. ercisc. arg. l. dedi tibi* §. *ult. ff. de condict. ff. caus. dat.* est enim illud quasi prælegatum, quod cæteris non communicandum cohæredibus nec inter eos dividendum: *l. si ita legatum* 42. *ff. famil. ercisc.*

20 De servitutibus quæsitum est, an & illæ possint in erciscundæ familiæ judicium deduci? Non in omnibus idem statuendum est: notum enim, duas esse servitutum species, alias reales, quæ rei penitus inhærent eique debentur; personales alias, quæ prorsus inhærent ossibus personæ, nec ab ea citra interitum separari queunt. Reales quidem servitutes, cum solummodo jura sint seu qualitates prædiorum, divisionem non recipiunt; quæ & ratio est, quod neque lex duodecim tabularum actiones pro his competentes inter cohæredes divisit: *l. hæredes* 25. §. *an ea stipulatio* 9. *ff. fam. ercisc.* Proinde si defunctus prædio suo rustico vel urbano jus itineris actus viæ prospectus, aliamve quam acquisiverit servitutem, eaque post ejus obitum uti prohibeantur hæredes per prædii servientis dominum; singulis in solidum est competitura actio confessoria, & si via, prospectus, &c. non præstetur, condemnatio pro hæreditariis facienda portionibus, quatenus ipsa litis æstimatio vel id quod interest divisionem admittit: *d. l.* 25. §. 9. Personales vero servitutes, si defuncto debitæ fuerint, inter hæredes non dividuntur, eo quod in eos nec in solidum nec pro parte transeunt, verum exstinguuntur una cum persona: §. 3. *instit. de usufruct. l. sicut in annos* §. 3. *ult. ff. quib. mod. us. amit. tit. l. si patri* 3. *l. ambiguitatem* 12. *l. corruptionem* 16. *C. de usufructu.*

21 Sunt tamen nonnulli casus, quibus ususfructus defuncto quidem fuit debitus, licet non ita substiterit in ipsius persona, quin & ad hæredem transire potuerit; veluti si cui pro se hæredibusque constitutus fuerit ususfructus: *l. repeti* 5. *ff. quibus modis ususfruct. amit. l. antiquitas* 15. *Cod. de usufructu.* Vel servo legatum fuerit utendi fruendi jus; ejus enim obligatio domino quæritur, cum in persona servili consistere nequeat, & nihilominus post domini durat obitum, quamdiu servus vivus est: *l. vel si servo* 15. *ff. fam. ercisc.* Unde & talis servitus personalis aut saltem omne, quod inde speratur, emolumentum inter cohæredes erit dividendum, quod ita per erciscundæ familiæ judicem efficietur, dum vel ipsum elocatur prædium usufructuarium, & pensiones inde redactæ pro rata cedunt cohæredibus; vel regionibus dividitur, & sua singulis tribuitur portio, de qua commoditatem & utilitatem omnem quisque solus percipiat; vel etiam decernitur, ut interpositis cautionibus singuli per certum tempus aut alternis annis utantur fruantur, & apud eos vice mutua totus sit ususfructus: *l. & puto* 16. *ff. famil. ercisc. l. communi dividundo* 7. §. *cum de usufruct.* 10. *ff. commun. dividundo.* Quin &, quod magis est, ipsarum quoque rerum hæreditariarum ususfructus nonnunquam ita poterit juxta prædictam methodum inter hæredes dividi; quoties scilicet alicui testator ultima voluntate rem quampiam legavit usufructu deducto ac penes hæredes remanente: *l. sed etsi* 14. §. 1. *ff. fam. ercisc.* Pichardus *post* §. 20. *institut. de actionib. pag.* 199. *n.* 29.

22 Præter res hactenus enumeratas, quarum nempe dominus fuit defunctus, aut domini loco habitus, sunt & aliæ quæ licet non fuerint in bonis ejus nec animo domini per ipsum possessæ, in judicium tamen nostrum deduci solent: frequens enim est, ut in hæreditate talia reperiantur, quorum solummodo nudam detentionem defunctus habuit, quorumque custodiam præstare tenentur ipsius successores: quamvis non eum in finem huic obnoxia sint judicio, ut in partes separentur, & singulis hæredibus aliqua cedat eorum portio; sed potius ut uni demandetur eorum custodia, quo possent commodius asservari, suis postmodum restituenda dominis; cujus generis præcipue sunt res in securitatem debiti defuncto pignori datæ, vel ad usum commodatæ, vel custodiæ causa penes ipsum depositæ. Circa pignora, quæ defunctus accepit, eo quo dictum est modo cohæredes hoc judicio posse inter se experiri Paulus Jctus auctor est: *l. si pignori* 29. *ff. fam. ercisc.* Idem quod in commodato dicendum ex paritatis ratione: cum expediat, & illud magis unius quam plurium custodiæ committi: *arg. l. sed mihi* 5. §. *hæres ejus* 3. *ff. commodati.* Nec quicquam in causa est, cur aliud in deposito statuendum foret, si modo non quantitas sed corpus aliquod fuerit depositum: *arg. l. si duo hæredes* 22. *ff. depositi.* Quamobrem etiam ille, cui talis res est adjudicata, per debitorem soluto debito, vel usu finito per commodantem aut deponentem in solidum actione pignoratitia commodati vel depositi conveniri potest; cum integræ rei restituendæ facultatem habet *d. l.* 22. *ff. depos. d. l.* 5. §. 3. *ff. commodat.* Mantica *de tacit. & ambiguit. conventionib. lib.* 9. *tit.* 4. *n. fin.*

CAPUT VIII.

Quænam in hæreditatis divisione sint conferenda.

1 *Collatio describitur, obtinet tantum inter fratres & sorores eorumque descendentes.*

2 *Quid juris sit, si cum iis, qui conferre debent, concurrant alii a collationis onere immunes.*

3 *Quibus modis ad collationem constringantur cohæredes.*

4 *Evitatur collationis necessitas, si abstineatur hæreditate.*

5 *Non conferuntur prælegata, sed tantum ea quæ quis ab ipso defuncto, dum is adhuc viveret, recepit.*

6 *Non etiam illud, quod liberis demum post obitum patris, licet ejus contemplatione, acquisitum est.*

7 *Jure Romano dos & donatio propter nuptias semper tota fuit conferenda.*

8 *Hodie quandoque tota, quandoque solummodo pro parte dimidia.*

9 *Conferendum etiam peculium profectitium & omne illud quod ejus occasione filius lucratus est, nisi id ei concedatur in peculium adventitium.*

10 *Etiam conferendum quod uni donatum a susceptore seu patre spirituali.*

11 *Erogatum a patre in dignitatem filii, quæ emptionem recipit, conferendum; non item, si vendi nequeat.*

12 *Nec conferendum quod expensum in redemptionem filii captivi.*

13 *Quid juris sit circa sumptus in filium studiis incumbentem factos.*

14 *Non conferendi sumptus a patre in convivium nuptiale filii facti, nisi de contraria constet voluntate.*

15 *Vel nisi tales sint sumptus, e quibus etiam post nuptias penes sponsum aut sponsam residet utilitas.*

16 *Libri studiosorum non conferendi.*

17 *Fratres aut sorores natu minores petere nequeunt a fratribus majoribus, qui studiis operam dederunt aut contraxerunt nuptias, ut etiam post parentis obitum ex communi hæreditate sumptus fiant in ipsorum nuptias aut studia.*

18 *Ne tum quidem sumptus in studia unius fratris post parentis obitum erogati omnes onerabunt, cum in hæreditatis paternæ communione fratres persistunt.*

19 *Quid obtineat in donatione simplici a parente uni liberorum facta.*

20 *Conferendum omnino quicquid pater mulctæ nomine pro uno filio delinquente erogavit.*

21 *Variis modis fieri potest collatio.*

22 *Et in conferentis est arbitrio, quo velit uti modo conferendi.*

23 *Si rem retinere voluerit ad collationem obligatus, & tanto minus ex hæreditate percipere, æstimatio rei facienda qualis fuit tempore mortis illius unde profecta.*

24 *Nisi pater filio feudum novum emerit, quo casu ipsum solummodo conferendum est pretium persolutum.*

25 *Res ipsas non potest conferre, si illæ culpa vel dolo conferentis deteriores factæ, secus, si casu.*

26 *Præstandæ sunt usuræ ab eo, qui collatione moram fecit.*

27 *An testator possit prohibere collationem, & quando censeatur prohibuisse.*

1 Non ea tantum, quæ penes defunctum ad extremum usque remanserunt vitæ spiritum, sed & quæ de ipsius etiamnum viventis exiere dominio, divisioni sunt obnoxia; juris dispositione rerum quarundam collationem exigente; quæ quidem nihil aliud est, quam rei propriæ in commune illatio seu contributio, vel confusio bonorum propriorum cum facultatibus ejus qui reliquit hæreditatem: conferunt enim propria, ut contingentem ferant portionem ex propriis & paternis, ut ait Cujacius *in paratit. ff. de collationib.* Et inter fratres tantum ac sorores obtinet eorumque descendentes, quotiescunque jure repræsentationis parentis sui locum occupantes ad hæreditatem alicujus ascendentis in linea recta vocantur; nepotes proinde conferre tenebuntur quicquid eorum parens ab avo receptum conferre debuisset, si superstes ad patris sui successionem una cum cæteris fratribus ac sororibus fuisset admissus: Thessaurus *decis.* 237. Petrus Zans *de divis. bonor. lib.* 4. *c.* 13. *n.* 44. Wamesius *centur.* 2. *consil.* 45. *n.* 2.

2 Cæteri cohæredes ea quæ ante a defuncto perceperunt donatione mortis causa vel inter vivos, in medium non conferunt: Rittershusius ad *novell. part.* 5. *c.* 6. *n.* 6. Mævius ad *jus Lubecens. part.* 1. *tit.* 2. *art.* 5. *n.* 59. & *seqq.* Hinc si contigerit ex eodem testamento plures ad unius hæreditatem concurrere, quorum alii conferre debent, alii a collatione sunt immunes, extranei quidem sua nullo modo conferunt cohæredibus ad collationem obligatis, nec hi vicissim extraneis: hi tamen ipsi, postquam cum extraneis est celebrata divisio, omnia juxta leges inter se conferre tenentur, perinde atque si nulli cohæredes extranei fuissent testamento vocati: *l. fin. C. commun. utriusque judicii:* Pichardus *post* §. 20. *instit. de actionib. pag. mihi* 177. *n.* 10. Struvius *ad pand. exercit.* 37. *n.* 25. *in fine.*

3 Et ad hanc plerumque sic adigi consueverunt, ut, quamdiu eam detrectant morasque nectunt, judex iis actiones denegaturus sit hæreditarias, & in universum eos ab hæreditatis divisione repulsurus, usque adeo, ut impediatur etiam ipsa litis contestatio: *l. filiæ* 12. *l. si maritus* 14. *C. de collationibus:* Imbertus *in enchirid. jur. Galliæ verb. collationis exceptio in princip. pag. mihi* 62. Gudelinus *de jure noviss. lib.* 2. *cap.* 19. *vers. sæpe in divisione:* Argentræus *ad consuetud. Britann.* 526. *n. fin.* Quin imo si quis errore lapsus a suo cohærede divisionis tempore non exegerit, ut in medium adferrentur ea quæ collationi erant obnoxia, judex compellatus restituere jubebit quanto plus penes alterum hæredem est ex eo quod non contulit: *l. si soror tua* 8. *Cod. de collationib.:* Perezius *Cod. eod. tit. n. fin.* August. Barbosa *in collectan. ad l.* 3. *C. famil. ercisc. n.* 3.

4 Quando autem de collatione quæritur, ante omnia necesse est, ut agatur de divisione hæreditatis illius, a quo profecta sunt ea, de quibus conferendis inter se disceptant cohæredes: *l. ut liberis* 17. *sub. fin. C. de collationib.* Chassanæus *ad consuetud. Burgund. rubric.* 7. *de successionib.* §. 5. *verb. ullam meliorem conditionem n.* 7. Thessaurus *decis.* 46. *n.* 9. Berlichius *decis. aurear. part.* 1. *decis.* 8. *n.* 2. Unde quilibet hanc facili negotio poterit evitare conferendi necessitatem, dum forsan inde magis damni metus imminet quam lucri spes; si modo a delata voluerit abstinere hæreditate, contentus iis quæ possidet: cum enim eo casu cohæres dici nequeat, etiam ad collationem minime constringen-

gen-

gendus, utpote quæ inter solos cohæredes est recepta: *l. a patre* 10. *Cod. de collationib. l. ex causa donationis* 25. *Cod. famil. ercisc. l. si pater* 4. *ff. de collation. dotis:* Choppinus *de morib. Parisiens. lib.* 2. *tit.* 5. *n.* 18. Christinæus *ad Mechliniens. tit.* 16. *art.* 5. *n.* 2. *in med.* Grassus *recept. sentent. lib.* 2. *art. collatio bonorum q.* 4. *n.* 2. Qualis abstinendi facultas eo usque vires suas exserit, ut si vel dos vel donatio propter nuptias aliudve quid alioquin conferendum, promissum solummodo fuerit a patre, necdum datum aut persolutum, illud omne tanquam æs alienum ab hæredibus exigere possit is qui abstinuit, eodem modo quo quilibet alius defuncti creditor: *l. fin. ff. de collation. notis.*

5 Illud insuper, quo locum sibi vindicare queat rerum collatio, requiritur, ut cohæres actu inter vivos ab ipso defuncto, res tales ita receperit, ut & earum dominium in conferentem fuerit translatum, viventi etiamnum eo, de cujus agitur hæreditate: *l. ea demum* 6. *l. nec emancipati* 15. *C. de collationib.* Quæ ratio est, quod in collationem non veniunt ea, quæ quis ex supremo testatoris judicio post obitum ejus demum acquisivit: proinde si defunctus uni cohæredum res quasdam prælegaverit, etiamsi verum sit, eas ex defuncti patrimonio profectas esse, cæteris tamen hæredibus ejusmodi legata non erunt conferenda: *l. rem pignori* 28. *l. si ita legatum* 42. *ff. famil. erciscund.* Brunemannus *ad l.* 7. *C. eod. tit. & ad l.* 10. *C. de collationib.* Ut ita servetur ultima testatoris voluntas, quæ prorsus inutilis esset ac frustranea circa prælegatum, si illud extra collationem constitutum non esset: *d. l.* 7. *C. famil. erciscund.* Bittershusius *ad novell. part.* 5. *c.* 6. *n.* 5. Et usque adeo hoc obtinet, ut is, cui prælegatum est, ad illud consequendum opus non habeat una ex tribus actionibus alioquin regulariter pro legato petendo concessis legatario, velut actione ex testamento, rei vindicatione, vel hypothecaria: *§.* 2. *instit. de legatis*, verum potius erciscundæ familiæ judicio prælegatum percepturus sit: *l. cæteræ* 4. *in princ. ff. famil. ercisc.*

6 Eadem de causa nec illud conferendum erit, quod uni ex liberis post obitum demum parentis, licet ipsius contemplatione, donatum fuerit, ut auctor est Ant. Faber in *C. Sabaud. lib.* 3. *tit.* 25. *defin.* 11. Quamvis imbecillis admodum sit ea, quam illic subjungit ratio: ideo etenim in hujusmodi donatis hanc servari voluit sententiam, quia, etiamsi liberi non essent sui patris hæredes, non eo minus liberalitatis accipiendæ capaces essent. Quasi vero aliis in casibus liberi non possent ea, quæ conferre tenentur, percipere, quam si parentibus suis hæredes existerent: quin potius eum esse collationis evitandæ modum paulo ante docui, ut scilicet ea, quæ quis conferre deberet si vellet hæres esse, sibi soli præcipua retinere possit nec conferre cogatur, ubi delatam repudiaverit hæreditatem.

7 Cæterum in collationem venire dotem & donationem propter nuptias, abunde constat ex *tot. tit. ff. de collatione dotis:* Cujacius *lib.* 5. *observat.* 30. Andr. Gayl. *lib.* 2. *observat.* 91. *n.* 6. utpote quæ non ad hoc datæ sunt, ut eas quispiam ex liberis reservet jure præcipui: *l. filiæ* 12. *l. illam merito* 19. *C. de collationib.* Et in universum quidem, si jus Romanum consideremus, ac integræ semper conferendæ fuerunt: juxta illud enim obtinuit, ut pater solus ad dotandam filiam aut præstandam filiæ propter nuptias donationem esset obstrictus; matri vero neutiquam illud onus incumberet, nisi ea laboraret paupertate pater, ut nullo modo posset dotem pro progenie sua de suo constituere patrimonio; quo casu receptum erat, ut in subsidium mater, etiam quandoque frater compellerentur ad dotandam pro dignitate natalium filiam aut sororem: *l. fin. in med. C. de dotis promissione l. cap.* 19. *ff. de ritu nuptiar. l. neque mater* 14. *C. de jure dotium, l. cum plures* 12. *§. cum tutor.* 3. *ff. de jure dotium.*

8 Verum cum hodie locorum plurimorum inveterata consuetudine sit introductum, ut dos & donatio propter nuptias nonnunquam ex parentis utriusque, nonnunquam ex alterutrius tantum constituatur facultatibus; duæ quoque potissimum circa dotis collationem observandæ definitiones, si namque communiter de parentis utriusque bonis ea data sit, & alterutro supremum obeunte diem, inter liberos superstites agatur de dividenda ipsius hæreditate, non integra dos & donatio, sed dimidia tantum ejus pars est conferenda: cum enim pro parte solummodo dimidia dos ex defuncti substantia profecta fuerit, iniquum foret, ut ultra id, quod a defuncto percepit, conferre quicquam cogeretur: *l. ut liberis* 17. *sub fin. & de collationib.* Si vero tantum ex parentis alterutrius facultatibus constituta sit dos aut donatio, toties eam in solidum conferendam esse dicendum est, quoties illius est dividenda hæreditas, e cujus solo data patrimonio; at contra penitus non esse conferendam, quoties, altero parente defuncto, superstes etiamnum vivit is, qui de bonis propriis dotem solus erogavit, eadem urgente allegata paulo ante ratione, qua collationi nihil ultra id, quod ex defuncti facultatibus pervenit, obnoxium esse dicitur fuit: *d. l.* 17. *C. de collation.* Christinæus *ad Mechliniens. tit.* 16. *art.* 5.

9 Pari modo post mortem patris in communionem divisionis causa revocandum est profectitium peculium: *l. certum est* 13. *Cod. famil. erciscund.* Nec ipsa solummodo conferenda profectitii substantia, verum & emolumentum per filium inde negotiando perceptum; cum illud omne veniat hujus peculii appellatione, quod ex re patris ad filium pervenit; quæ enim invidia est, inquit Imperator, quod ex patris occasione profectum est, hoc ad eum reverti: *§.* 1. *instit. per quas person. cuique acquir.* Quamvis hoc alii prorsus arbitrio judicis relinquendum existiment: Sichardus ad *l.* 13. *C. famil. erciscund.* n. 11. 12. Chassanæus ad *consuetud. Burgund. rubr.* 6. *§.* 2. *verb. non participat in bonis &c.* n. 5. *seqq.* Menochius *de arbitrar. judic. lib.* 2. *casu* 226. *n.* 5. *& seqq. ibique cit.* Quod si tamen filio parens concesserit, ut ex profectitio peculio lucrum sibi quærat ac conservet tanquam adventitium, cessabit collatio: jure namque novo juxta Justiniani constitutionem non amplius collationi sub-

jacet adventitium: *l. fin. C. de collationib.* Cujacius *lib. 3. observat. 30. in princ.* Et ita per parentem profectitii emolumentum posse filio concedi, ut in adventitio computetur, dubio caret; cum & quod magis est, mobilia recte filio det, ut rebus castrensibus annumerentur & eximantur collationi: *l. si filius familias 4. C. famil. ercisc.*

10 Quia vero donatio a patribus spiritualibus facta filiis quos de fonte baptismatis sustulerunt, potissimum parentis causa propter amicitiam ejus aut benemerita fit, merito peculio profectitio accensendum est quicquid ex tali liberalitate filio quæsitum est: *arg. l. hinc quæritur 19. §. 1. ff. de peculio d. §. 1. institut. per quas person. nobis acquir.* quamobrem etiam in divisione bonorum paternorum hoc fratribus cæteris erit conferendum: Mantica *de tacit. & ambig. convent. lib. 13. tit. 21. n. 24. 25.* Parens p. m. Paulus Voet *ad §. 1. institut. per quas person. nobis acquir. n. 4.*

11 Nec minus ea collationis necessitati subsunt, quæ pro filio pater impendit ad comparandum munus quoddam publicum, quod post parentis obitum emptionem venditionemque rursus admittit; qualis est militia quæpiam togata, tabellionum, silentiariorum &c. *l. omnimodo 30. §. imputari 2. C. de inofficios. testament. l. illud sine 20. C. de collationib.* Quisquis enim illas gerit militias, locupletior inde creditur, & per eas auctum ipsius patrimonium: Covarruvias *variar. resolut. lib. 3. c. 19. n. 4. 5. 6.* Tuldenus *ad tit. C. de collationib. in fin.* Sin autem nonnulla parens erogaverit in filii dignitatem aut honorem, velut ad impetrandum doctoratus gradum, collatio locum non est in iis habitura, sed potius ea omnia propter onera dignitati conjuncta præcipua esse oportere respondit post Papinianum Ulpianus: *l. 1. §. sed an id 17. ff. de collationib.* Præsertim quia simul cum eo, qui honorem obtinuit, exstinguitur, nec quicquam transit ad hæredes, nec venditione vel alio quo titulo oneroso potest in alium extraneum transferri: Cujacius, *d. lib. 3. observat. 30. in fin.* Raguellus *in legibus Justinian. ad l. 20. C. de collationib.* Pichardus *post §. 20. institut. de actionib. pag. mihi 18. n. 48. & seqq.* Petrus Zans *de divis. bonorum lib. 4. c. 13. n. 66.* Argentræus *ad consuetud. Britann. art. 526. n. 8.* Perezius *ad tit. Cod. de collationib. n. 13.* Brunemannus *ad l. 4. Cod. famil. erciscundæ.*

12 Quin imo si quis filiorum a barbaris captus & misera pressus servitutis calamitate per parentes præstito redemptionis pretio liberatus fuerit; iniquum fore videtur, eum post parentis obitum in divisione bonorum ad lucrum hoc conferendum compelli, ac si non durum satis aut ærumnosum ei fuisset ipsum captivitatis tædium; dissuadet scilicet talium collationem eadem quæ in dignitate ratio, cum nec hic quicquam supersit, aut superesse potuerit ex nummis persolutis penes eum, qui redemptus est: *l. liber captus 17. C. de postliminio reversis.*

13 Circa sumptus in studia factos haud immerito distinctionem adhibueris: aut enim de talibus quæritur impensis, quas quidem filii studia prosequentis gratia pater erogavit, non tamen ipsorum studiorum causa; forsan ad ejus alimenta tantum; aut contra de impensis ad ipsam institutionem suppeditatis. Sumptus ad alendum filium studiis incumbentem factos in collationem venire non posse constat; eo quod eosdem pater facturus fuisset, etiamsi literis sese filius non applicuisset, adeo ut eatenus nihil amplius in filium studiosum quam in alios artem quampiam mechanicam aut nihil addiscentes impendisse dici possit; & constitutum sit, neque patrem neque matrem a liberis alimenta posse repetere, quamvis forte declarassent se repetendi animo illa præstitisse: *l. alimenta 11. Cod. de negot. gestis:* Christinæus *ad Mechliniens. tit. 9. art. 14. n. 17.* In iis vero sumptibus, quos ultra causam alimentorum in studia filii pater præstitit, videndum est, utrum hoc animo recipiendi factum fuerit; quo casu justissimum est, divisionis tempore cæteros fratres tantum præcipere, quantum hic literis operam dando consumpsit: an potius pietatis intuitu; neque tunc patitur æquitas, illos in collationem deduci: *l. quæ pater 50. ff. famil. ercisc. arg. d. l. alimenta 11. l. si paterno 15. ff. famil. erciscund.* Garsias *de expens. & melioration. cap. 3. n. 49.* Besoldus *in delibat. juris tit. famil. erciscund. n. 3.* Ut tamen pro pietate magis quam repetendi voluntate leges in dubio præsumant, si pater simpliciter studiorum impendia suppeditaverit; neque talis videatur tolli præsumptio, nisi vel expressa declaratione de parentis constet animo, vel in librum rationum ea fuerint relata: Hartmannus Pistoris, *lib. 1. quæst. 19. n. 5.* Gomezius *ad leges Tauri leg. 29. n. 16.* Petrus Zans *de divis. bonor. lib. 4. cap. 13. n. 51. & seqq.* Quæ quidem ita procedunt, si pater hosce sumptus fecerit, cum nulla haberet filiorum bona, quorum legitimus erat administrator: ea etenim si habuerit, impensas potius de filiali quam proprio patrimonio, magisque administratorio nomine quam pietatis intuitu fecisse creditur: *l. Nesennius 34. in med. ff. de negot. gestis l. ult. ff. de petit. hæreditat. lib. cum post mortem 43. §. 1. ff. de administrat. tutor.* de his Treutlerus *volum. 2. disput. 17. thes. 5. lit. H.* Fachinæus *controvers. lib. 5. cap. 83.* Pichardus *post §. 20. instit. de actionib. pag. mihi 182. n. 52. & seqq.* Hartmannus Pistoris *d. lib. 1. quæst. 19. n. 6.* Schneidwinus ad *§. 2. institut. de donationib. n. 75. & ad §. 20. instit. de actionib. de familia erciscund. n. 42. & seqq.* Gudelinus *de jur. nov. ff. lib. 2. c. 19. vers. de lib. 2.* Argentræus *ad consuetud. Britann. art. 526. n. 6.* Hænnonius *ad institut. disput. 20. n. 7.*

14 Quod si parentes in convivium nuptiale liberorum sumptus expenderint, verior est & communior interpretum sententia, eos in divisione fratribus non esse conferendos, tum quia nullum penitus emolumentum ex iis ad filium filiamve nuptias contrahentem pervenit aut pervenire potuit, sic ut durum foret illos istiusmodi sumptibus in ipso velut conjugii vestibulo gravari; tum etiam quia plerumque lauta ejuscemodi convivia magis in parentis honorem instructa videntur, ejusque concernere splendorem, quam liberorum nuptias celebrantium, etiamsi matrimonium ipsum occasionem iis præbuerit: Sichardus, *ad l. 18. C. famil. erciscund. n. 12.*

12. Gomezius *ad leg.* 29. *Tauri n.* 15. Si nihilominus de contraria patris voluntate constet, dum disertis verbis aut signis evidentibus declaravit, animo repetendi se tale convivium parare velle, etiam collationi locus erit, eo quod tunc ejusmodi impensæ dotis partem videntur constituere: & facilius ut plurimum in iis regionibus colligi potest hic parentis circa sumptus nuptiales animus, ubi solent in numerata pecunia consistentia ab invitatis pro nuptiali convivio donaria exhiberi: ea etenim si sibi pater vindicaverit, manifestum est indicium, eum hosce sumptus repetere noluisse; quippe qui lucrando dona convivarum abunde sibi prospexit, adeo ut injustum foret, si ei vel volenti concederetur impensarum repetitio. Sin ex adverso sponsus & sponsa sibi talia reservaverint donaria, satius est, etiam ad persolvenda convivii dispendia hos obligatos esse, vel utique pati debere, ut in collationem veniant post parentum obitum: Christinæus *ad Mechliniens. tit.* 16. *art.* 3. *n.* 13. *in med.*

15 Illos autem sumptus quod attinet in nuptiarum splendorem factos, ex quibus aliqua ad sponsum vel sponsam redundat utilitas, quæ non una cum epulis finitur, veluti si coemptæ pretiosæ vestes, annuli, gemmæ, & quilibet alius mundus muliebris nuptiarum causa comparatus; æquius profecto est, ut in dubio hæc omnia statuamus esse conferenda tanquam dotis portionem constituentia, quamdiu non apparet alius parentis animus: Sichardus & Gomezius, *d. loco:* Andr. Gayl. *lib.* 2. *observ.* 91. *n.* 4. 5. Garsias *de expens. & meliorat. cap.* 4. *n.* 10. *Bachovius ad Treutlerum vol.* 2. *disput.* 17. *thes.* 5. *lit.* 1. Leeuwen *cens. for. l.* 3. *c.* 13. *n.* 13.

16 Quo posito, non abs re quæsitum, quid in libris studiorum causa comparatis obtineat? videri possent hi conferendi, cum post absolutum studiorum cursum etiamnum sint superstites & augeant literati patrimonium: verum frequentiori Doctorum calculo comprobatum est, eos neutiquam collationis necessitati obnoxios esse, sed eodem debere jure censeri quo ceteri sumptus in studia facti; præsertim cum sint velut arma studiosorum, adeoque si non evidens alia mens sit parentis, quasi castrensi annumeranda peculio, quemadmodum ipsa arma filio familias in bellum eunti data sub peculio castrensi continentur: *arg. l. castrense peculium tit. ff. de pecul. castrens.* Quod extra collationem præcipuum cuivis esse debere multis constitutionibus continetur: *l.* 1. *§. nec castrense* 11. *ff. de collationib.* atque ita censeut Gudelinus *de jure noviss. lib.* 2. *cap.* 19. *vers. de lib.* Pichardus *post §.* 20. *instit. de actionib. pag. mihi* 183. *n.* 60. Mornacius *ad l.* 4. *Cod. fam. erciscc.* Sichardus *ad d. l.* 4. *n.* 8. *& ad l.* 18. *eod. tit. n.* 3. Garsias *de expens. & meliorationib. cap.* 4. *n.* 6. 7. Gomezius *ad d. leg.* 29. *Tauri n.* 17. Argentræus *ad consuetud. Britanniæ art.* 526. *n.* 7. Perezius *ad tit. Cod. de collationib. n.* 12. dissentiunt pro parte, Petrus Zaus *de divis. bonor. lib.* 4. *cap.* 13. *n.* 60. *& seqq.* Schneidwinus *ad §.* 20. *instit. de actionib. de fam. erciscc. n.* 48. *& seqq.* Zoesius *ad tit. ff. de collationib. n.* 37. *& seqq.*

17 Cæterum, si parentes ejusmodi sumptus impenderint in quorundam liberorum studia vel nuptias aut gradum Doctoratus aliumve quem honorem commerciis exemptum; controversum est, an non saltem is, qui sua nondum ad finem usque studia perduxit, a patre tamen ad operam literis navandam jam missus, quive necdum matrimonii vinculo sese junxit, contraxit tamen ex parentis consensu sponsalia, disceptatum inquam, an non is exigere jure possit, ut e bonis communibus post parentis obitum in studiis alatur, donec legitimum perfecerit eorum cursum, aut ex indiviso patrimonio prius impensæ suppeditentur ad convivium nuptiale requisitæ, quas ipse pater, si supervixisset, procul dubio fuisset erogaturus? Quod quidem nonnullis ita visum fuit antiquioribus juris interpretibus, qui speciosis admodum prima fronte rationibus ad id evincendum usi sunt; ea videlicet, quæ vivo patre cœpta sunt, impendiis communibus perfici debere dictitantes; tum etiam parentem obstrictum esse, ut studiis liberalibus imbui filium procuret pro facultate patrimonii ac dignitate natalium, cum id ipsis quoque tutoribus injunctum sit: *l. cum plures* 12. *§. cum tutor.* 3. *ff. de administrat. tutor. l. de bonis* 6. *§. non solum* 5. *de Carbon. edicto.* Et hoc onus in parentis hæredes merito derivari. Illa tamen non efficiunt, quin contrariam magis probandam existimem sententiam, fratres nempe cæteros non ad id esse obligatos, ut in fratris aut sororis nuptias aut studia sumptus impendant; cum per mortem parentis sufficientes unusquisque liberorum facultates acquisiverit, quo sese possit pro natalium conditione sustentare: *l. & si filium* 15. *ff. de munerib. & honorib.* Et cæteri filii cohæredes a muneribus, quæ filius unus post patris obitum suscepit, soluti dicantur: *l. si filia* 20. *§. idem scribit* 6. *ff. fam. ercisc.* Atque ita cautum Principatus Nassovici legibus, *part.* 4. *c.* 1. *n. ult.* Nec ab argumentis in adversum directis hæc evertuntur: verum etenim non est, ea omnia, quæ a parente cœpta sunt, communibus impensis post mortem ejus ad finem esse perducenda, nisi duo concurrant, puta, quod ipse pater ad id, quod incepit, perficiendum compelli possit; & quod eadem hæredes constringat ratio, quæ parentem obligavit. At vero patrem ad filium in humanioribus artibus educandum lex nulla cogit, verum quotidie suos potest pro libitu liberos e studiorum palæstra domum revocare: sola pietatis & affectus paterni ratio eum ad id agendum movet & impellit: quæ etiam ipsa pietatis consideratio tanta non est in fratribus quanta quidem in parente; unde & rescriptum testatur Ulpianus, hæredes invitos ad ea facienda non esse compellendos, quæ defunctus, si adhuc in vivis esset, officio pietatis suæ daturus fuisset: *l. si quis a liberis* 5. *§. item rescriptum* 17. *ff. de agnoscend. & alendis liberis.* Sic ut optimo jure debeant & ab hoc onere soluti esse successores: Christinæus *vol.* 2. *decis.* 180. *n.* 2. Garsias *de expens. & meliorat. cap.* 3. *n.* 52. Gomezius *ad d. leg.* 29. *Tauri n.* 18. Besoldus *in delibat. juris tit. famil. ercisc. n. in fine.* Sichardus *ad lib.* 18. *Cod. famil. ercisc. n.* 10. Berlichius *decis. aurear. part.* 1. *dec.* 8. *n.* 4.

18 Quamdiu autem in communione fratres persistunt post sui parentis obitum, tamdiu sumptus in u-

unius fratris studia inchoata & etiamnum perficienda communibus ex bonis impendendos esse Wissembachius auctor est; quasi imputare sibi deberent fratres cohæredes, quod non statim post fata patris a communione recesserint erciscundæ familiæ judicio: Wissembach *ad pandect. vol.* 2. *disput.* 12. *n.* 14. *in med.* De cujus tamen opinionis justitia merito dubitaveris: talia etenim non nisi in universali bonorum omnium societate recepta sunt, in eamque veniunt; (quamvis non desint, qui etiam universali societate soluta hujusmodi impendiorum compensationem admittendam putant, uti videre licet apud Zoesium, *ad tit. ff. pro socio n.* 45. 46.) At nemo dixerit, inter fratres cohæredes contractam esse universalem bonorum omnium societatem eo ipso, quo in hæreditatis paternæ delatæ communione remanent; cui consequens est, ut ejusmodi sumptus in unius institutionem erogati potius in ipsius portionem imputandi sint, ubi de hæreditate dividenda agendum erit: *l. ex parte hæres* 39. *§. filius* 3. *ff. famil. ercisc.* Schneidwinus *ad §.* 20. *instit. de actionib. de famil. ercisc. n.* 55. 56.

19 Circa donationem simplicem a patre factam filiofamilias ardua & sæpius agitata inter Jurisconsultos est quæstio, num & ea sit conferenda, cum is una cum cæteris fratribus ad parentis sui defuncti successionem concurrere desiderat? quam ut expediant alii alios salebrosos meandros & intricata sequuntur diverticula; ego simpliciter ita statuendum censeo, in collationem non venire talem donationem: quamvis enim negandum non sit, non subsistere donationem inter patrem & filium in potestate retentum; illud nihilominus expeditum est, eam, si revocata non fuerit, juxta jus novissimum morte patris confirmari, & plenissimos sortiri rite factæ donationis effectus, eodem modo quo prohibita inter maritum & uxorem donatio per alterutrius obitum confirmari solet: *l. donationes* 25. *C. de donation. inter vir. & uxor.* Nisi tamen hanc donationi legem parens expresse dixerit, aut reliqui dotem vel propter nuptias donationem conferant, quibus in casibus simplicem quoque donationem conferri præcepit Imperator, *l. illud sine ratione* 20. *§.* 1. *Cod. de collationib.* Facta vero a parente liberis emancipatis simplex donatio suis est conferenda: *l. ut liberis* 17. *in fin. C. eod. tit. de collation.* vide Cujacium, *l.* 3. *observ.* 3u. Raguellum *ad leges Justinian. in l.* 20. *C. de collationib.* Gomezium *ad d. leg.* 29. *Tauri n.* 16. Anton. Fabrum *de errorib. pragmat. decad.* 4u. *error.* 1. 2. Pichardum *post §.* 20. *instit. de actionib. pag. mihi* 178. *n.* 4. *& seqq.* Fachinæum *lib.* 3. *controv. cap.* 80. *& lib.* 6. *cap.* 64. 65. *& lib.* 13. *cap.* 92.

20 Quod si pro filio, qui delictum admiserat, mulctam pecuniariam pater persolverit, ut ita carceris pœnæ filium eximeret; multi quidem adhibendam putant distinctionem, utrum sponte mulctam pater præstiterit, an vero invitus; hoc casu collationi locum esse volunt, illo eam existimant cessare debere: Argentræus, *ad consuetud. Britann. art.* 526. *n.* 11. Gomezius *ad d. l.* 29. *Tauri n.* 20. *ibique citati.* Sunt & qui contra statuunt, sine distinctione mulctam a patre pro filio erogatam in omnem eventum in divisione conferendam esse; quorum sententia sua æquitate commendatior est magisque probanda; ne alioquin filii ad quævis facili negotio provolent aut stimulentur flagitia, dum impune se illa perpetrare posse vident, nullum aut exiguum inde damnum in patrimonio post parentis obitum obventuro ferentes. Quin imo sic sæpius eveniret, ut non modo filius extra pœnam constitueretur, verum etiam lucrum ex delicto perciperet; cum tamen quemquam ex suo scelere vel improbitate quid lucrari leges prohibeant: *l. itaque fullo* 12. *§.* 1. *ff. de furtis.* Sic fieret ut ex alterius delicto damnum alter sentiret, & lueret criminis alieni pœnas ac innocentes non minus quam sontes oneraret exactio mulctæ; cum cæteri perderent illam partem, quam in pecunia propter unius filii scelus erogata fuissent post mortem patris habituri, siquidem illa in ipsius patrimonio permansisset: quæ sane periniqua forent jurisque præceptis in universum repugnantia: Zoesius *ad tit. ff. de collationibus n.* 41.

21 Variis autem modis in erciscundæ familiæ judicio fieri potest ejusmodi collatio: vel enim fit ipso facto, dum res conferenda in medium exhibetur, ut inter cohæredes instituatur ejus perinde atque rerum aliarum hæreditariarum pro rata distributio, aut in solidum uni adjudicetur, si commodam non admittat divisionem; vel etiam fit, dum cohæres eam quidem rem conferendam sibi retinet, interim tanto minus percipit ex parentis defuncti facultatibus: Schneidwinus, *ad §.* 20. *institut. de actionib. de famil. ercisc. n.* 59. Christinæus *ad Mechliniens. tit.* 16. *artic.* 5. *n.* 2. *in med.* vel denique sola fit cautione, si necdum satis constet, quid ad eum pervenit qui conferre debet, dum promittit datis fidejussoribus aut pignoribus collaturum esse res, quæ conferendæ quam primum apparuerit, eas in bonis ipsius esse: *lib.* 1. *§. quamvis autem* 11. *ff. de collat. lib.* 1. *§. si sub conditione* 7. *ff. de collat. dotis.*

22 Qua in re dubium est, utrum in ejus, qui ad collationem obstrictus est, arbitrio sit quam velit observare conferendi methodum, rem ipsam conferre, vel ea retenta tanto minus ex hæreditate percipere? Eum ad ipsius rei collationem præcise non teneri probabilius est, sed posse rei æstimationem pro rata præstando suis satisfacere cohæredibus tametsi invitis; vel etiam in bonis defuncti tantum remittendo, quantum ex collatione cohæres esset habiturus, satis contulisse videri: *l.* 1. *§. sed & si* 12. *ff. de collationib.* Pichardus *post §.* 20. *instit. de actionib. pag. mihi* 185. *n.* 2. 3. Leeuwen *censur. forens. l.* 3. *c.* 13. *n.* 10.

23 Unde non levis resultat controversia, cujus temporis inspicienda sit æstimatio, si cohæres rem ipsam retinere maluerit, tanto minus accipiendo? Inspiciendum esse rei valorem, qualis fuit eo tempore, quo in conferentem a defuncto est translata censet Chuppinus, *ad leges And. lib.* 3. *tit.* 3. *n.* 7. referente Christinæo *ad Mechliniens. tit.* 16. *art.* 5. Alii contra divisionis rerum hæreditariarum tempus considerandum existimant, ut is ibidem testatur. Media quodammodo via placuit prudentioribus, quam & tutissimam & maxime legibus congruam esse censeo; rerum videlicet conferendarum æstimationem talem

lem

lem esse servandam, qualis fuit tempore mortis illius, e cujus bonis ad conferentem pervenerunt: cum hoc ipsum tempus sit, ex quo quis ad collationem faciendam obligatus esse incipit: id quod non obscure Justinianus nobis injungit, *in l. penult. in princip. Cod. de collationib.* dum in conferenda militia simul conferendum vult omne lucrum, *quod tempore mortis defuncti ad conferentem pervenire potuit*. Quamobrem & alibi rescripsit idem Imperator, militiæ æstimationem instituendam esse secundum gradum, quem militans obtinuit tempore mortis testatoris, ex cujus pecunia sibi antea illam comparaverat: *l. omnimodo* 30. *§. imputari* 2. *Cod. de inoffic. testament.* Petrus Zans *de divis. bonorum l.* 4. *c.* 10. *n.* 1. *& seqq.* Modestinus Pistoris *par.* 4. *quæst.* 152. Pichardus *post §.* 20. *instit. de actionib. p. mihi* 182. *n.* 50. Anton. Matthæus *in parœm. Belg. Juriscons. parœm.* 2. *n.* 34. Quibus non obstat, quod res augeri minuique debeat suo domino, qualis est conferens contemplatione rei collationi subjacentis; non enim ille plenissimo jure dominus est, sed tantum fere revocabile habet ejus dominium, quamdiu facta non est hæreditatis divisio; ad quales non spectat omne rei periculum, uti id exemplo mariti manifestum est, cui licet dotis sit dominus, nec augmentum dotis inæstimatæ prodest, neque nocet decrementum: *l. plerumque* 10. *ff. de jure dotium*.

24 Si tamen filio suo pater feudum emerit, non æstimationem quæ fuit tempore mortis parentis, sed potius ipsum pretium, quod pro feudo numeratum est, adeoque illum feudi valorem, qui fuit eo tempore, quo ad filium pervenit, conferendum esse tradunt interpretes, per *§. unic. de fratribus de novo beneficio investitis lib.* 2. *feud. tit.* 12. Hartmannus Pistoris *lib.* 2. *quæst.* 38. *n.* 65. *& seqq.* Anton. Faber *de error. pragmaticor. decad.* 41. *error.* 10. *n.* 3. Zoesius *ad tit. ff. de inoff. testam. n.* 105. Nisi forsan alicubi obtineret ejusmodi consuetudo ut de novi quidem seu coempti feudi pretium fratribus aut sororibus conferendum esset: Wamesius *cent.* 2. *cons.* 42. *n.* 1.

25 Porro, si res ipsas voluerit in medium conferre inter cohæredes pro rata dividendas, non usque audiendus est, si forsan admodum fuerit diminutus earum valor; verum tunc potius inquirendum, culpane conferentis an vero casu decrevit conferendarum rerum æstimatio. Quod si casu fuerit imminutum pretium, aut etiam ipsæ res pro parte vel in universum incendio chasmate aliove modo perierint, eum, qui ad collationem obstrictus est, liberari conferendo res qualitercunque deterioratas auctor est Paulus JCtus, *in l.* 2. *§.* 2. *ff. de collationib.* Si vero quæpiam arguatur conferentis culpa vel dolus, non liberabitur res ita deterioratas exhibens, verum eas sibi reservare cogetur, data cæteris cohæredibus facultate prius ex hæreditate tantum deducendi, quantum hic a defuncto fuit ante consecutus: *lib.* 1. *§. confertur autem* 23. *ff. de collationib. l. dotis* 5. *& auth. quod locum Cod. eod. tit.* Gudelinus *de jure noviss. lib.* 2. *cap.* 19. *vers. sæpe in divisione in med.* Zoesius *ad pandect. tit. de collationib. dot. n.* 2.

26 Si quis autem in conferendo moram admiserit, usuras simul ex tempore moræ computandas conferre debebit; ne moratori sua prosit tergiversatio, si ex rebus conferendis ipse fructus perciperet, interim dum cæterarum omnium hæreditariarum rerum fructus augerent ipso jure hæreditatem: *l. filius emancipatus* 5. *§.* 1. *ff. de collation. dotis:* Modestinus Pistoris *d. par.* 4. *quæst.* 152. *n.* 9.

27 Coronidis loco de collatione subjiciendum est, eam cessare, si quidem parens expresse prohibuerit: hoc etenim in ipsius esse potestate non est quod dubitemus: *auth. ex testament. C. de collation. Nov.* 18. c. 6. & hujusmodi standum prohibitioni, nisi, ea admissa, tanta foret inter liberos inæqualitas ut ex iis nonnulli ne salvam quidem essent habituri legitimam: eo quippe casu illi quibus minus obvenit quam legitima, jure suis a fratribus aut sororibus collationem exigunt adhibita donationis aut dotis inofficiosæ querela, qua saltem hoc impetratur, ut ad legitimam usque rescindatur ac revocetur id, quod in præjudicium cæterorum uni vel quibusdam contra pietatis officia datum est, tametsi constiterit adhuc matrimonium ejus, cui inofficiosa dos aut donatio facta fuit: *authent. unde & si parens Cod. de inoff. testament. arg. l.* 1. 2. 7. *& tot. tit. Cod. de inoff. donationib. & tot. tit. Cod. de inoffic. dotibus:* Schneidwinus *ad §.* 2. *instit. de donationib. n.* 80. *& seqq.* Petrus Barbosa *ad l.* 2. *ff. soluto matrimon. par.* 1. *n.* 172. Cæterum si non expressis verbis inveniatur per defunctum prohibita, neutiquam jure novo pro collationis prohibitione præsumendum: *d. authent. ex testamento:* Imbertus *in enchirid. juris Galliæ verb. collationis exceptio in med. pag. mihi* 64. cum potius id suadeam a paterna pietate & affectu desumpta conjectura, eum in omnibus quæ non sunt expressa, voluisse inter omnes liberos æqualitatem servare, licet inæquales forte portiones hæreditarias iis assignasset. Cui non repugnat Scævolæ responsum in *l. ex parte* 39. *§.* 1. *ff. famil. erciscund.* quo videtur evinci posse, etiam ex præsumptionibus & conjecturata mente defuncti colligendam esse collationis prohibitionem, dum ibi JCtus asserit, imponendam filiæ non esse dotis conferendæ necessitatem, si pater inter filium & filiam in codicillis fecerit omnium bonorum divisionem, nihil indivisum reliquerit, de collatione nihil expresserit. Non enim ignorari debet, quondam aliud, aliud novissimo jure circa collationem obtinuisse: hodie recepta est tam ex testamento quam ab intestato delata hæreditate; cum tamen anteriori jure tantum ei locus esset in successionibus ab intestato, non ex testamento, nisi pater eam expresse præcepisset: *l. Pomponius* 35. *ff. famil. erciscund. l. penult. ff. de collat. dotis l. fin. in med. Cod. commun. utriusque jud. l.* 1. *l.* 7. *l.* 9. *l.* 17. *in princ. l.* 19. *in princ. C. de collationib.* At vero ex antiquo jure deducta est illa Scævolæ sententia, successioni testamentariæ accommodata; quatenus scilicet illa dispositio paterna testamenti vires habet, & divisio in codicillis testamento non confirmatis inter liberos facta vim institutionis ac effectum sortiret eorum liberorum intuitu: *arg. l. fin. C. famil. erciscund.* uti id post Bartolum & alios allegatos notat Zoesius *ad tit. ff.* de

de collationib. n. 46. Nisi quis maluerit cum Christinæo statuere, quotæ quidem partis hæreditariæ assignationem in testamento factam non liberare quemquam a collatione; totius tamen patrimonii seu singularum rerum divisionem, a patre inter liberos in testamento vel codicillis institutam, omnem tollere conferendi necessitatem *juxta d. l.* 39. *ff. famil. ercisc.* Christinæus *ad Mechlin. tit.* 16. *art.* 5. *n.* 4.

C A P U T IX.

De divisione rerum feudalium emphyteuticarum & his similium.

1 *Nonnulla jure singulari in feudi & emphyteusios divisione sunt recepta.*
2 *Non omnia feuda dividi possunt.*
3 *Feuda jure divisibilia possunt inter plures dividi cohæredes vasalli, etiam sine domini directi consensu.*
4 *Et possunt vel uni totum feudum concedere, vel singuli suam partem habere.*
5 *Nec divisionis feudi nomine laudimia præstanda, nisi extraneus ad licitationem admissus feudum acceperit.*
6 *Emphyteusis alicui & successoribus ejus concessa dividi potest, non item si concessa ut ad filium natu majorem perveniat.*
7 *Si emphyteusis sit divisa, propter moram unius hæredis in canonis solutione commissam, tota emphyteusis cadit in commissum.*
8 *Respondetur objectionibus.*
9 *Qui succedere possint in feudum vel emphyteusin remissive.*
10 *Si loci consuetudine vel lege receptum sit, ut dividi possit fundus censualis, hoc fieri poterit etiam invito eo cui census debetur.*
11 *Ejusque divisionis effectus est, quod singuli præstent partem census, sed ex mora teneantur singuli moratores ad totam pœnam.*
12 *Si lege cautum, ne fiat prædii censualis divisio, hæredes quidem dividunt quoad utilitatem, sed singuli ad totum censum præstandum conveniri possunt, & ad pœnam alter ex mora per alterum commissa.*
13 *Plures hæredes ejus, cui census debetur non possunt sine domini censualis consensu sic censum dividere, ut ille singulis exinde cogetur census partem præstare.*

1 Manifesta est in jure nostro dominii directi & utilis distinctio: cum igitur actum hactenus fuerit de rebus illis, quarum dominium directum ad defunctum pertinuit, consequens est ut & de nonnullis dispiciamus, in quibus dominium utile aliudve quoddam jus habuit defunctus, quandoquidem hæ quoque procul dubio in erciscundæ familiæ judicium deduci solent, uti id obtinere cernimus in prædiis superficiariis & vectigalibus: *l. item prædia* 10. *ff. famil. ercisc.* feudalibus & emphyteuticis: in quibus & nonnullis aliis quia plurima occurrunt a communi jure deflectentia, quæ in divisione sunt observanda, recte me facturum duxi, si separatim ea tractarem.

2 Illud circa feuda præmittendum est, non omnia divisionem recipere, ut maxime res feudalis aptam admitteret sectionem ac partitionem: si namque feudum fuerit hæreditarium, quod alicui concessum pro se & hæredibus quibuscumque, vel feudum ex pacto & providentia, quod alicui pro se & liberis aut filiis nulla facta hæredum mentione datum est; id æqualiter inter cohæredes vel liberos esse dividendum eodem modo quo cætera defuncti bona allodialia, communi Doctorum suffragio comprobatum est, docente Petro Zanz, *de divis. bonor. lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 25. 27. & 43. Ut nihilominus adhibenda sit differentia inter inferiora feuda, quæ sic concessa distributionem usque recipiunt, & ea quæ dignitatem habent annexam, veluti Ducatus, Comitatus, quæ inter plures dividi prohibita §. 1. *de prohibita feudi alienat. per Freder. lib.* 2. *feud. tit.* 55. Petrus Zans *d. loco n.* 48. 49. Julius Clarus *sentent. lib.* 4. §. *feudum quæst.* 44. Nisi locorum consuetudine aliud esset introductum, uti in Germania, Italia aliisque regionibus usu receptam esse feudorum dignitatem annexam habentium divisionem, testes sunt Andr. Gayl. *lib.* 2. *observat.* 153. *n.* 12. Schneidwinus *ad* §. 20. *instit. de actionib. de famil. erciscs. n.* 30. Hieron. Schurp. *cent.* 2. *consil.* 37. *n.* 8. & *seqq.* Tyraquellus *de jure primog. quæst.* 4. *n.* 57. Chassanæus *ad consuetud. Burgund. rubr.* 3. §. 6. *n.* 8. & *seqq.*

3 Quæ cum ita sint, non sine causa dubitari posset, num illa rei feudalis divisio possit inter cohæredes aut fratres absque domini superioris consensu perfici: cum & inter alienationis species enumeretur divisio, & adempta vasallo sit omnia alienandi facultas sine permissione domini ad quem feudum jure directo spectare dignoscitur: *cap. imperialem de prohibit. feud. alien. per Freder.* Quo non obstante, frequentius in hanc coiere sententiam interpretes, etiam citra directi domini consensum inter consortes & cohæredes fieri posse feudi distributionem; eo quod eadem Frederici constitutione cautum est, in §. 1. alia feuda præter Ducatum Marchiam & Comitatum posse dividi, *si consortes voluerint*, id quod ipsorum arbitrio videtur esse relictum; adeo ut non modo sit admittenda divisio, si in eam omnes consenserint, sed & si consortium unus in communione feudi diutius permanere noluerit, cæteros etiam invitos possit ad divisionem provocare: Alvarottus *ad d. cap. imperialem* §. *præterea de prob. feud. alien. n.* 2. Matth. Wesembecius *consil.* 68. *n.* 1. & *consil.* 125. *num.* 4. & 135. *n.* 20. Andr. Gayl. *d. lib.* 2. *observ.* 153. *num. fin.* Hermann. Vultejus *tract. de feudis lib.* 1. *c.* 10. *n.* 253. *ubique alleg.* Rittershusius *de feudis lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 24.

4 Usque adeo autem hæc sese libera feudi dividendi potestas exserit, ut vel in partes illud secare possint, & singuli jure dominii utilis suam possidere portionem; quo casu etiam singuli feudalis rei partem habentes fidelitatem suo debent facere domino superiori: *d.* §. 1. *in fine tit. de prohibit. feud. alienation.* vel etiam inter se sic convenire, ut unus solus integrum feudum habeat, & vicissim cæte-

teris certam persolvat pecuniæ quantitatem; & tunc is solummodo fidelitatem domino præstiturus est, ad quem in solidum res feudalis est devoluta: nec vasallos constringere poterit directus dominus, ut suam singuli retineant feudi partem, simulque fidelitatem spondeant: §. 4. *vers. omnes. Si de feudo defuncti contentio sit*, *lib.* 2. *feud. tit.* 26. & *de natura success. feudi lib.* 2. *tit.* 50. Rosenthal *synops. feudal. cap.* 9. *membr.* 1. *conclus.* 53. *n.* 2. 3. Schraderus *de feudis part.* 8. *cap.* 2. *n.* 32. & *seqq.*

5 Cæterum si feudum ita fuerit inter cohæredes divisum vel mutuo consensu vel judicis auctoritate, verius est, illius divisionis nomine pendendum non esse domino laudimium, ne tum quidem, cum propter partes inæquales adhibita fuisset inter cohæredes licitatio, cui convenienter aliquoties judicatum refert Mornacius ad *l. Mævius* 52. §. *penult. ff. famil. erc**isc**.* Lingl**ois** *ad quinquag. decis. Jul. decis.* 52. *num.* 5. *in fine*. Licet aliud videretur dicendum, si propter consortis unius paupertatem extraneus fuisset ad licitationem admissus, cæterosque licitando superasset: Molinæus *ad consuetud. Parisiens. tit.* 2. §. 22. *n.* 73. & *tit.* 2. §. 55. *n.* 155.

6 In emphyteusios quoque divisione non omnia satis expedita sunt; eo quod non una est rerum omnium in emphyteusin concessarum conditio: solent enim hac lege quandoque res in emphyteusin dari, ut post obitum illius, cui datæ, non promiscue devolvantur ad quoscunque successores, verum ad majorem natu solummodo seu primogenitum; contra simpliciter aliquando res alicui conceduntur in emphyteusin pro se hæredibusque suis, quamdiu persolutus fuerit suo tempore canon annuus: Covarruvias *practic. quæst. cap.* 38. n. 13. *in med.* Priori in casu nulla circa rei ipsius emphyteuticæ divisionem inter cohæredes faciendam suboriri potest disceptatio, cum vulgatissimum sit juris axioma, standum esse pactis ac conditionibus contractum formantibus, quoties nec legibus nec honestati bonisve moribus repugnant: *l. penult. C. de pactis*. Si vero prædium cuiquam pro se, & successoribus, nulla facta natu majoris mentione, datum fuerit in emphyteusin sub annui canonis præstatione, non est quod ambigamus, quin inter plures cohæredes emphyteusis uni ab initio concessa possit pro rata distribui, dummodo natura sua commodam potuerit recipere divisionem; in eoque consentiunt plerique juris Interpretes: Julius Clarus, *lib.* 4. *sentent.* §. *emphyteusis quæst.* 14. Covarruvias *d. loco*, & *latissime variar. resolut. lib.* 2. *cap.* 28. *num.* 1. & 2. *ibique citati*.

7 Utrum autem illa divisio valeat domini directi jus immutare, sic ut ille post consummatam emphyteusios distributionem a singulis portionis emphyteuticæ possessoribus partem canonis recipere teneretur, & tantum eorum, qui per biennium aut triennium in canonis annui solutione cessarunt, partes caderent in commissum, non caret difficultatibus; dum non deficiunt, qui per divisionem tale domino præjudicium inferri posse censent, inter quos est Mantica *de tacit. & ambiguis convention. lib.* 22. *tit.* 27. n. 16. & *seqq.* Fachinæus *controv. l.* 1. *cap.* 97. existimantes, factum negligentiam aut culpam unius cohæredis alteri nocere non debere, qui nihil admisit pœna dignum, adeoque solventem pro rata suæ portionis ex aliorum mora neutiquam inquietari posse, ducti argumento *l. fraudati* 8. §. 1. *ff. de publican. & vectigal. & commiss.* Præsertim quia tot ipsis emphyteutæ videntur esse, quot cohæredes. Rectius nihilominus illos sentire puto, qui propter hæredis unius negligentiam in præstatione canonis admissam statuunt universam emphyteuticam in commissum cadere; tum quia bonorum divisio non ita est admissa, ut per eam tertio multoque minus domino iniqua inferretur conditio, vel jus quæsitum adimeretur; quod tamen eveniret, si propter partem canonis non solutam pars tantum emphyteuticæ rei ad dominum reverteretur, quæ in universum propter moram in partis solutione commissam esset reditura, si quidem facta non fuisset divisio, sed penes unum emphyteusis permansisset: *arg. l.* 2. *de emphyteusi*. Tum quia eodem jure debent hæredes uti, quo defunctus, in cujus locum successerunt, cujusque repræsentant personam, ipse fuisset usus; quem propter partem canonis non præstitam integro emphyteusios jure privandum fuisse dictum est. Præterquam quod disertis verbis in jure cautum reperitur, totam pœnam esse persolvendam, si vel unus tantum ex cohæredibus in mora fuerit præstandi quod a defuncto sub pœna promissum erat, nec liberari cæteros, dum pro sua portione promissum præstant: *l.* 2. §. *item si in facto* 5. *l.* 5. §. 3. & 4. *ff. de verbor. obligationib. l. hæredes* 25. §. *in illa* 12. & *seqq. ff. famil. erc**isc**.* Nec exiguum huic sententiæ momentum adfert, quod Ulpianus in *l. communi* 7. *ff. commun. dividund.* statuit, fundum quidem vectigalem in judicium communi dividundo venire; judicem tamen non jure vectigalem agrum regionibus esse divisurum, ne confundatur alioquin aut dividatur vectigalis præstatio, quæ integra, non per partes, est facienda. At ita post alios allegatos censent Molinæus ad *consuetud. Parisiens. tit.* 2. §. 55. *glos.* 4. *n.* 29. Julius Clarus *sentent. lib.* 4. §. *emphyteusis quæst.* 9. *n.* 13. & *quæst.* 14. *in fin.* Zoesius *ad tit. ff. locati* n. 78. Perezius *ad tit. C. de jure emphyteutic. n.* 18.

8 Parum movent argumenta, quibus contraria videtur opinio firmari; neque enim verum est, tot emphyteutas esse quot sunt cohæredes, verum illi potius omnes simul defuncti adeoque unius emphyteutæ personam repræsentant. Quod vero adducitur, culpam negligentiam factum hæredis nocere non debere cohæredi, facili negotio concedi potest: non enim hoc in casu cohæres effectu inspecto per cohæredis factum læditur, utpote cui regressus est ad recuperandum illud omne quod abest ex negligentia cohæredis, ut alibi fusius dicetur: *d. l.* 25. §. 13. *ff. famil. ercisc. d. l.* 2. §. 5. *l.* 5. §. *ult. ff. de verbor. obligat.* Non denique nostram premit sententiam lex 8. ff. de publicanis, in qua Papinianus respondit, *si unus ex pluribus hæredibus rem munem* (id est communem, uti docet Cujacius *l.* 9. *observat.* 24.) *causa vectigalis surripiat*, *portiones cæteris non auferri*. Cui cum potissimum inhæreat ac innitatur Fachinæus, & hactenus a nemine responsum asserat, animadvertendum est, longe alium

in

in d. lege octava casum proponi: agit enim ibi Jurisconsultus de re mobili, aaque per unum cohæredum *surrepta*, quæ per furtum illud illico res vitiosa facta fuit respectu partis cohæredum, cujus tantum abest ut dominium ex contractu vel furis aut alterius extranei posset in alium quantumvis bona fide munitum transferri & veris adimi dominiis, ut ne usucapiendi quidem facultatem nanciscatur ille, qui talis rei possessionem adeptus est, antequam purgatum esset rei vitium: §. 2. & 8. *institut. de usucapionib.* Quibus consideratis ac perpensis jure merito Papinianus censuit, nullam esse causam, cur partes cæterorum per furtum cohæredi vitiosas effectas sibi pœnæ prætextu fiscus vindicaret quasi repugnante rei ipsius furtivæ natura. Quo etiam argumento motus in pari fere causa Marcianus in *l. interdum* 16. §. *servi* 4. *ff. eod. tit. de publicanis*, statuit in commissum non cadere servum fugitivum, si pro eo fugiente nulla dominus vectigalia solverit; eo quod sine domini voluntate fines egressus factus fuerit furtivus. Quæ rationes in emphyteusi non obtinent, cum per moram in solutione canonis annui suo tempore facienda commissam illa neque furtiva res fiat neque vitiosa.

9 Quales autem hæredes ad emphyteusios aut feudi successionem vocentur, filii an etiam extranei, mares an & fœminæ, non hic explicabo, cum non de successionibus, sed solummodo de bonorum successionis jure delatorum divisionibus agere decreverim: de iis videri poterit Petrus Zans *de divis. bonorum lib.* 1. *cap.* 6. 7.

10 Prædia censualia quod attinet, qualia sunt, quorum & directum & utile dominium in alium est translatum ea lege, ut ex iis census præstetur annuus, docente Rebuffo, *tract. de constit. reditib. art.* 1. *gloss.* 17. *n.* 16. & Argentræo *ad consuetud. Britan. art.* 73. *not.* 2. *num.* 1. In his non idem usque statuendum quod in emphyteusi; cum regionum consuetudines inter se discrepent, aliis ipsius rei censualis divisionem concedentibus, aliis eandem ex adverso vetantibus, unde evenit, ut in his aliud, aliud in illis observandum sit. Quod si locorum legibus aut moribus receptum sit, ut per possessores aut detentores possit in partes corporales seu reales distribui res censualis; de quibus Molinæus, *ad consuetud. Parisiens. tit.* 2. §. 55. *gloss.* 4. *num.* 31. negandum non est, quin & cohæredes facultatem habeant acquirendi per hæreditatis divisionem certas censualis rei portiones, sive facta fuerit hæc partium assignatio per ipsos cohæredes inter se, sive per testatorem, sive per judicis officium; quibus in casibus necesse non est, ut is, cui census annuus debetur, in hanc consentiat divisionem, ipsa lege seu statuto consensus vicem supplente, ac velut ratam habente censualis prædii distributionem.

11 Hujus autem sectionis effectus non est, quod hæredes singuli ex sua parte tenerentur integrum præstare censum; quales exactiones injustas si quis fecerit, hunc optimo jure concussorem iniquum appellaveris cum Simone Groenewegen *de legib. abrogat. ad tit. Cod. de censitorib. & præquatorib. n.* 6. Sed potius hunc singularem ejus dixeris effectum, quod cum ante realem divisionem ad unam tantum pœnam propter annuum censum suo tempore non solutum essent obligati plures cohæredes, velut unius personæ vicem etiamnum repræsentantes, post divisionem tamen ad totam pœnam singuli teneantur ex sua mora solvendi; sic ut tot sint præstandæ pœnæ, quot cohæredes annui census solutionem neglexerint: Molinæus *ad Parisiens. d.* §. 55. *gloss.* 4. *n.* 51. & *seqq.* Neque enim (quod hic obiter notandum) dilatio solutionis efficit, ut ad exemplum emphyteutici prædii res censualis cadat in commissum, sed tantum propter moram pecuniaria quæpiam pœna penditur; nisi contrarium alicubi lege loci vel usu fuerit introductum, ut de Flandria & Saxonia testis est Choppinus, *de morib. Parisiens. lib.* 1. *tit.* 3. *num.* 1. Argentræus *ad consuetud. Britann. art.* 73. *gloss.* 2. *num.* 1. Chassanæus *ad consuetud. Burgund. rubric.* 11. §. 1. Christinæus *volum.* 5. *decis.* 91. *num.* 2.

12 Si vero regionum statutis aut moribus invaluerit, ne invito eo, cui census debetur, fiat rei censualis sectio seu divisio, aliud obtineat: eo atenim posito, plures quidem cohæredes nihilominus sic possunt inter se rei censualis possessionem distribuere, ut unusquisque partem aliquam pro diviso possideat, & quotannis inde solus percipiat fructus ac amolumenta cæteris cohæredibus non communicanda, solusque pro rata portionis censum persolvat annuum. Illud tamen pactum atque illa divisio nullum ei præjudicium infert, cui census debetur, sed hujus contemplatione perinde omnia censentur & habentur, ac si nulla possessionis & præstationis annui census distributio facta fuisset inter cohæredes; adeoque non integram solummodo pœnam exigere poterit, si quis suam non solverit census partem, sed & ab uno totum censum persolvi jure desiderat, qui in pœnam incidet, si solutionem tempore constituto detrectaverit; sic ut compelli nequeat, ut plures aut ad pœnam ex mora præstandam aut ad censum integrum consequendum conveniat, verum adversus alterum quoque possit experiri ex mora alterius: licet is, qui totum censum totamve pœnam ex cohæredum mora persolvit, vi illius divisionis ac conventionis adversus eos regressum sit habiturus: Molinæus *d. tit.* 2. §. 55. *gloss.* 4. *n.* 28. & 35.

13 Posset etiam contra converso casu in disquisitionem venire quid dicendum sit, si is, cui census annuus ex re censuali debetur, plures reliquerit hæredes, qui voluerint inter se jus percipiendi censum distribuere. Liberum id ipsis esse, dubium non est, quatenus singuli census partem percipiunt, &, si integer uni fuerit solutus, cæteri hunc pro rata possunt convenire: non tamen ita sine domini fundi censualis consensu hanc celebrатuri sunt divisionem, ut per eam ipsius conditio fieret deterior, aut ita obligatus esset singulis suam persolvere census partem, nec posset uni solidum præstando liberari: si namque feudum inter plures nequeat domini superioris hæredes sive vasalli voluntate dividi, nec vasallus pro uno feudo plures compellatur habere dominos: §. 1. *de prohibit. feud. alienat. per Frederic. lib.* 2. *feud. tit.* 55. multo minus hoc in censu videtur admittendum; cum illi, quibus census debetur, nec directum nec utile dominium rei, unde debetur, ha-

be-

beant, adeoque minus juris ad immutandum jus domini rei censualis, quam dominus superior vasalli feudique contemplatione.

CAPUT X.

De accessionibus rerum hæreditariarum & præstationibus personalibus.

1 *Veniunt in judicium familiæ erciscundæ etiam præstationes personales.*
2 *Præcipue impensarum per unum cohæredum in rem hæreditariam factarum habenda ratio.*
3 *Si modo impensæ factæ fuerint post obitum ejus, de cujus agitur hæreditate & post eam aditam.*
4 *Et si factæ nomine hæreditario, seu ab hærede tamquam hærede.*
5 *Si denique sumptus utiliter facti sint, & quando censeantur facti utiliter.*
6 *Plures sumptuum utiliter factorum & repetendorum casus enumerantur.*
7 *Etiam damnum in re hæreditaria ab uno hærede datum resarciri debet.*
8 *Sufficit tamen, quod hæres talem in rebus hæreditariis diligentiam adhibeat, qualem in suis solet.*
9 *Damni dati reparandi exempla proponuntur.*
10 *Furti actione hæres a cohærede non convenitur, nisi manifestissime de furandi proposito constet; expilatæ hæreditatis crimen nunquam inter cohæredes intentatur.*
11 *Etiam fructus per unum hæredem percepti cæteris communicandi.*
12 *Quid obtineat in fructibus consumptis, an & illi sint communicandi.*
13 *Si unus hæredum durante lite inhabitaverit ædes hæreditarias, pensiones præstabit.*
14 *Harum omnium præstationum personalium habetur ratio sive res ipsæ exstent sive perierint.*
15 *Quicquid emptis rebus accedit easque sequitur ut accessorium, id etiam cedit rebus per divisionem obvenientibus.*
16 *Quod plurimis exemplis demonstratur.*

1 Erciscundæ familiæ judicium ex duobus constare, rebus videlicet & præstationibus personalibus, testis est Ulpianus, *l. item Labeo* 22. *familiæ* §. 4. *ff. famil. erciscund.* Unde non modo res ipsæ hæreditariæ solent in illud deduci ad id ut dividantur, aut si divisionem aptam non recipient, adjudicentur uni in solidum; verum insuper circa præstationes personales aliaque versatur judicis officium, ut eorum contemplatione faciat in omnium cohæredum persona condemnationes & absolutiones: quod quidem adeo necessarium est, ut si prætermissa fuerit in alicujus persona condemnatio, in cæterorum quoque persona non sit valiturum id quod judex fecerit: *l. in hoc judicio* 27. *ff. famil. ercisc.* Cujacius *lib.* 23. *observat.* 1.

2 Postquam igitur satis superque de rebus ipsis actum fuit in præcedentibus capitibus, superest, ut præstationes personales & rerum accessiones paucis tractemus: Et præcipue inquirendum, an non unus ex cohæredibus quasdam in rem hæreditariam bona fide fecerit impensas; cæteri namque cohæredes per arbitrum erciscundæ familiæ condemnandi tunc erunt, ut vel unusquisque pro rata sua portione hæreditaria refundat ei, qui sumptus impendit, aut admissa compensatione tanto minus singuli percipiant ex hæreditate dividenda: *l. filiæ* 18. §. 1. *Cod. famil. erciscund. l. si major* 4. *Cod. communi dividund.* Schneidwinus *ad* §. 20. *instit. de actionib. de famil. erciscunda num.* 28. Althusius *Dic. lib.* 1. *cap.* 94. *num.* 8. Garsias *de expens. & melioration. cap.* 19. *num.* 8. Vinnius *ad* §. 4. *institut. de offic. judicis:* Leeuwen *censur. forens. lib.* 4. *cap.* 27. *num.* 3. Struvius *ad pand. exerc.* 15. *num.* 13. Quod tamen non ita simpliciter est admittendum, sed tria potissimum oportet requisita concurrere, quorum ubi unum defuerit, non veniet id, quod erogatum est, in erciscundæ familiæ judicium.

3 Illud primo desideratur, ut in res hæreditarias impensæ factæ fuerint post obitum illius, de cujus hæreditate dividenda contenditur: si namque vivo etiamnum eo aliquid in rem, quæ post demum facta est hæreditaria, sit expensum, id a cohæredibus hac universali familiæ erciscundæ actione consequitur: *arg. l. & puto* 16. §. *sed etsi* 4. *ff. famil. ercisc.* Sed potius alioque singulari judicio, tanquam defuncti creditor, veluti negotiorum gestorum actione. Quin imo, perpetuum non est, ut id, quod post mortem ejus, cujus est hæreditas, erogatum est in res hæreditarias, hoc repetatur judicio, nisi & adita fuerit hæreditas: quicquid autem aliquis impendit, antequam per aditionem hæres esset effectus, ad id frustra per hanc contendet actionem: *l. qui erat* 49. §. *fin. ff. famil. erciscund.* Facti sunt enim eo casu sumptus in rem, antequam communis esset, quos in judicium divisorium venire non posse Labeo auctor est: *l. per hoc judicium* 4. §. *sicut autem* 3. *ff. commun. dividund.* Gregor. Tholosanus *syntagm. jur. civil. l.* 5. *c.* 4. *n.* 6. *in fin.* Ex æquitate tamen in liberorum favorem est constitutum, ut si filius, cum parentem in judicio defenderet, condemnatus fuerit & solverit, hoc possit erciscundæ familiæ judicio pro rata a fratribus cohæredibus repetere, sive hoc persolverit vivente patre, sive eo jam defuncto: *l. hæredes* 25. §. *si filius* 19. *ff. famil. ercisc.* Quod cum singulare sit, ad alios casus in jure non expressos non extendendum, neque trahendum in consequentiam.

4 Alterum requisitum est, ut nonnulla impenderit hæreditario nomine, adeoque tanquam hæres: si enim errore lapsus in rem hæreditariam quo conservaretur ab interitu vel corruptione, sumptus fecerit, existimans eam vel suam esse, vel ad alium quempiam amicum pertinere; huic non erciscundæ familiæ sed negotiorum gestorum actione videtur experiendum esse, cum nihil prorsus gesserit animo hæredis: *l. inter cohæredes* 44. §. *fructus* 3. *l. qui erat* 49. §. *ult. ff. famil. ercisc.* Sufficit autem, quod tanquam hæres hosce sumptus fecerit, etiamsi

igno-

ignoraverit quorum hæres esset, aut errans crediderit se Titium habere cohæredem, ac impensas pro eo pro rata facere, cum tamen cohæredem haberet Mævium; sufficit, quod rem communem esse noverit, ut ut nesciverit, quem habeat consortem: neque enim ei illa debet obesse facti ignorantia, quo minus erciscundæ familiæ judicio suum consequatur a vero cohærede: *l. si quis putans* 6. *in princip. l. in hoc judicium* 14. *l. si quis cum* 29. *ff. commun. dividund.*

5 Tertium est, ut utiliter ejusmodi sumptus in hæreditariam rem facti sint: *l. hæredes* 15. §. *si unus* 15. *ff. famil. erciscund. arg. l. si negotia* 25. *de negot. gestis*. Et hoc est, quod in plerisque legibus per *bonam fidem* est denotatum, dum & Imperatores & JConsulti requirunt, ut bona fide fiant impensæ: *l. his consequenter* 18. §. *sumptuum* 3. *ff. famil. ercis. l. filiæ* 18. §. 1. *Cod. eod. tit.* Utiles autem impensæ non ex eventu sunt æstimandæ, quod iis vel conservata vel melior reddita fuerit res hæreditaria, cujus causa factæ; sed potius ex principio, sic ut satis sit, quod ab initio negotium ita comparatum fuerit, ut ex iis sumptibus non frustra proventura speraretur utilitas; licet forsitan intentioni postmodum non respondeat exitus, effectus affectui: *l. sed an ultro* 10. §. 1. *ff. de negot. gestis l. sed postquam* 9. *ff. commun. dividund. l. servus in rem* 17. *ff. de in rem verso*.

6 Quid si igitur concurrentibus hisce requisitis cohæres solus persolverit id, quod per defunctum sub pœna promissum erat, ne ea committeretur, a cæteris pro rata hoc judicio repetit: *l. hæredes* 25. §. *idem juris* 13. *ff. famil. ercisc.* Idem juris est, si noxali judicio servum aut animal hæreditarium unus defenderit, & obtulerit litis æstimationem, aut alioquin solus susceperit alicujus hæreditariæ rei defensionem: nam & impensas litis, & æstimationem, si præstiterit, pro parte consequetur a cohæredibus: *d. l.* 25. §. 15. *l. ex parte* 39. *in princ. ff. famil. erciscund.* Matth. Wesembecius *consil.* 133. *n.* 61. Quod nemo jure miretur, cum etiam unius cohæredis victoria cæteris prosit, ejusque commodum debeat cum iis communicari: *l. si hæres unus* 7. *ff. famil. ercisc.* Nec minus hoc exigitur judicio, si quis ad præstandam servitutem a defuncto promissam interpellatus ac condemnatus integram præstiterit litis æstimationem: *d. l.* 25. §. *contra* 10. Sumptus quoque, quos uni in defuncti funus ac sepulturæ pompam impendit, merito hac actione sibi restitui postulabit: *l. qui erat* 49. *in fin. ff. fam. ercisc.* Denique si cohæredum unus ab hæreditariis conventus creditoribus integrum persolverit debitum; aut pignoris liberandi causa illud omne, pro quo pignus obligatum erat, obtulerit, cum hoc non ante liberetur, quam præstito in solidum eo, quod debebatur, vel integrum legatario in possessionem legatorum servandorum causa misso legatum dederit; id omne pro rata a ceteris cohæredibus hac consequetur actione, quamvis huic solventi principales cessæ non fuissent a legatariis & creditoribus hæreditariis actiones: *l. his consequenter* 48. §. *Celsus* 4. *& seqq. l. hæredes* 25. §. *in illa* 12. *& seqq. l. inter cohæredes* 44. §. *ult. ff. famil. erciscund.* Neque quicquam refert, utrum quid utiliter erogatum fuerit ante, an vero post litem contestatam: impensas enim utroque tempore factas in rem hæreditariam in hoc judicium venire verius est: *arg. l. si quis putans* 6. §. *si quid* 3. *ff. commun. dividund.* Quid quod non solummodo justum sit cohæredis desiderium impensas ipsas repetentis; sed & audiendus sit earum usuras hoc exigens judicio a tempore moræ; quas ei persolvendas esse Severi & Antonini Imperatorum rescripto continetur: *l. his consequenter* 18. §. *sumptuum* 3. *ff. fam. erciscund.*

7 Contra vero, si per aliquem ex cohæredibus damnum in hæreditate datum fuerit ipsius culpa vel dolo, dum aut nonnulla, quæ peragenda fuerant, omisit, aut vice versa quædam commisit, quæ debuerunt omitti, id universum in hac erciscundæ familiæ actione considerandum erit; adeo ut is, qui sua fraude vel negligentia nocuit, teneatur resarcire detrimentum, aut divisionis tempore tanto minus ex hæreditate percipere, quanto deterior effecta est ipsius facto res hæreditaria; si modo tale quid tamquam hæres admiserit post mortem ejus, de cujus agitur hæreditate: *l. & puto* 16. §. *sed & si* 4. *ff. famil. ercisc. l. incerti* 19. *Cod. eod. tit. l. & si non* 8. §. *venit* 2. *ff. commun. dividund.* Gregor. Tholosanus *syntagm. jur. civil.* *l.* 5. *c.* 4. *n.* 6. Brunemannus *ad d. l.* 19. *C. famil. erciscund.*

8 Quamvis non summa requiratur in cohæredibus & exactissima diligentia; imo ne eam quidem usque præstent, quam diligens quis pater familias suis in negotiis expediendis adhibere solet; sed sufficiat, quod talem in hæreditariis rebus gerendis monstrent sedulitatem, qualem in propriis præstare consueverunt; si itaque negligentissimus in suis fuerit paterfamilias, de dolo tantum lataque culpa; si diligens de levi; si diligentissimus, de levissima tenebitur; *d. l. hæredes* 25. §. *non tantum* 16. *ff. famil. erciscund.* Vinnius *ad* §. 3. *institut. de obligat. quæ quæst. ex contr. nasc. num.* 2. Brunemannus *d. loco*.

9 Atque hinc est, quod his, qui ante alios adivit hæreditatem, & debitas prædiis hæreditariis servitutes non utendo passus est amitti, damnum hoc universali judicio reparare compellatur: *d. l.* 25. §. 18. Ut &, si quis ex cohæredibus rationes deleverit hæreditarias: tametsi enim nata sit contra talem actio ex lege Aquilia, nihilominus & erciscundæ familiæ actio cum illa concurrit: *l. & puto* 16. §. *denique* 5. *ff. famil. erciscund.* ita tamen, ut sive hac sive illa conveniatur propter damnum datum hæres, simpli tantum sit habenda ratio, nec hoc casu petitio pœnalis esse debeat ex lege Aquilia, *l. damno* 17. *ff. eod. tit. famil. erciscund.*

10 Unde dubitatum a Jurisconsultis, quid statuendum, si cohæres quandam ex hæreditate rem surripuerit cæterisne cohæredibus competitura sit actio furti, vel per eos intentari possit hæreditatis expilatæ crimen? Rectior mihi videtur eorum sententia, qui tantum erciscundæ familiæ judicio hæredes a suo cohærede res surreptas consequi posse tradiderunt; pœnam earum nomine non exigendam esse; tum quia sic abunde videtur ipsorum indemnitati prospectum: *l. adversus* 3. *Cod. famil. erciscund.* Matth. Wesembecius *consil.* 133. *n.* 1. tum etiam quia cohæres hic dominus est partis rei hæreditariæ; unde in du-

dubio nascitur præsumptio, cum potius in illa re uti voluisse jure suo, quam furti consilium inire: *l. merito autem* 51. *ff. pro socio*: Sichardus *ad d. l.* 3. *Cod. famil. erciscund. n.* 6. 7. Quod si tamen ex signis evidentibus manifesto constet de doloso furandi proposito, neutiquam hæc cohæredibus est deneganda furti pœnalis actio: *l. rei communis* 45. *d. l.* 51. *ff. pro socio*. Si modo post aditam hæreditatem res fuerit amota, quamdiu etenim jacens est hæreditas, hæreditariæ rei non fit furtum: *l. fin. ff. de crimin. expilat. hæreditat. l. hæreditariæ* 68. *ff. de furtis*, *l.* 1. §. *Scævola art.* 15. *ff. si is qui testamento liber. esse jussus &c.* At hæreditatis expilatæ crimen propter rem per unum hæredem ex hæreditate surreptam a cæteris intentari nequit: *d. l. adversus* 5. *C. famil. erciscund.* cum ad id requiratur ut rem ex aliena quis abstulerit hæreditate, nec hæres sit ipse surripiens: *l.* 1. *ff. expilat. hæredit.* Cujacius *lib.* 20. *observat.* 27. Anton. Matthæus *tr. de criminib. l.* 47. *tit.* 12. *c.* 1. *n.* 4.

11 Fructus autem e rebus hæreditariis per unum ex cohæredibus perceptos quod spectat, illi hoc erciscundæ familiæ judicio cæteris sunt communicandi cohæredibus: *l. cohæredibus* 17. *Cod. famil. erciscund. l. si major* 4. *in fin. C. commun. dividund.* Sichardus *ad l.* 9. *Cod. famil. erciscund. num.* 2. Schneidwinus *ad* §. 20. *institut. de action. de famil. erciscunda n.* 28. Mornacius *ad d. l.* 9. *C. famil. erciscund.* Leeuwen *censur. forens. lib.* 4. *c.* 27. *n.* 3. Augetur enim incremento fructuum portio hæreditatis ad unumquemque pertinens: *d. l.* 9. *C. famil. ercisc. l.* 2. *Cod. de petit. hæreditat.* ibique Brunemannus. Ut tamen aliqua sit adhibenda differentia inter fructus ante aditam hæreditatem perceptos, & eos quos quis percepit postquam adivisset hæreditatem: fructuum quidem ante hæreditatis aditionem ex re defuncti perceptorum non aliter in erciscundæ familiæ judicio habenda ratio, quam si eos acquisiverit, cum sciret fundum hæreditarium esse: *l. inter cohæredes* 44. §. *fructus* 5. *ff. famil. ercisc.* Qui vero post aditam hæreditatem ad unum hæredum pervenerunt, antequam institueretur inter hæredes divisio, plane pro rata cæteris præstandi sunt: *l. penult. ff. famil. ercisc.*

12 Quo in negotio controversiam illud patitur, utrum soli communicandi fructus exstantes, an vero etiam consumpti? Facilis est hujus decisio, si distinxerimus inter bonæ & malæ fidei possessorem. Per malæ fidei possessorem hic talem puto designandum hæredem, qui, cum sciret alios esse cohæredes, adeoque fructuum solummodo partem ad se pertinere, omnes nihilominus ex hæreditate cepit; atque hic non exstantes modo tempore divisionis præstiturus est hoc judicio, verum & consumptos; cum male fides faciat eos exstare, neque quisquam possit vel percipiendo vel consumendo fructus ullos suos facere, qui non fuerit in bona fide: §. *si quis a non domino* 35. *instit. de rer. divis. l. sed & loci* 4. §. *post litem* 2. *ff. finium regund. l. qui bona fide* 25. §. 1. *l. bon. fidei* 48. §. 1. *ff. de acquir. rer. dom.* Ex adverso per bonæ fidei possessorem eum intelligo, qui, cum adivisset hæreditatem, se solum hæredem esse credebat & is fructus eo tempore, quo intentaretur erciscundæ familiæ judicium, exstantes omnino debet pro rata cæteris refundere: *l. certum est* 22. *Cod. de rei vindicat. arg. d. l.* 4. §. 2. *ff. fin. regund.* Ad consumptos autem præstandos non aliter hac actione constringetur, quam quatenus ex iis locupletior factus est: *l.* 1. §. 1. *Cod. de petit. hæreditat. l. sed etsi* 25. §. *consuluit* 11. *ff. eod. tit.* Pichardus *post* §. 20. *institut. de actionib. pag. mihi* 198. *n.* 23. *& seqq.* Fructus vero post susceptum erciscundæ familiæ judicium per unum cohæredem percepti cæteris in universum communicandi pro rata, sive pendente lite consumpti fuerint, sive asservati: desinit enim quodammodo bonæ fidei possessor esse, cum quo lis est contestata: *d. l.* 22. *Cod. de rei vindic. d. l.* 4. §. 2. *ff. fin. regund. l. partum* 10. *ff. de usuris*.

13 Atque hinc æquissimum esse nullus jure negaverit, ut, si unus hæredum durante super divisione rerum controversia ædes aliquas hæreditarias solus occupaverit & inhabitaverit, solvere etiam pro rata cogatur suis cohæredibus justas temporis illius pensiones: Christinæus *ad Mechliniens. tit.* 16. *art.* 44. *in addit. vers. quæri hic etiam*.

14 Omnes autem hæ præstationes personales non modo tunc in erciscundæ familiæ veniunt judicium, cum res, quarum nomine debentur, etiamnum salvæ sunt; sed & si in rerum natura esse desierint, aut rebus humanis exemptæ, *l. sed & ejus* 24. *in princ. ff. famil. ercisc. arg. l. in summa* 1. *ff. commun. dividund.* sufficit enim in hisce præstationibus communionis causa, ex qua oriuntur, quæ præcessit, quæque hodie duraret, si res non intercidisset, ut Pepinianus loquit, *l. si servus* 31. *ff. famil. ercisc.* Grotius *introduct. Jurispr. Holland. lib.* 3. *c.* 28. *n.* 21. Brunemannus *ad l.* 9. *C. commun. utriusque judicii*.

15 Cæterum advertendum est, eum, cui res alique per divisionem a testatore vel hæredibus ipsis aut judice factam est quæsita, simul omnia sequi talis hæreditariæ rei accessoria, quæ sic ei cohærent, ut inde nequeant aut non soleant separari: neque enim ullam video differentiæ rationem, cur non æque cum ipsa re accessiones per divisionem hæredi cederent, atque solent in emptorem per emptionis contractum transferri, quæ rebus principalibus divenditis adhærent; præsertim cum divisionem emptionis vicem obtinere placuerit: *l.* 1. *Cod. commun. utriusque judic.* Ea proinde omnia, quæ tanquam distractarum rerum accessoria consueverunt emptoribus acquiri juxta legum ac interpretum sententiam etiam per divisionem ad cohæredes transire censeo: & quamvis non omnes hic perstringi possint accessiones, eo quod infinitus fere sit earum numerus, præcipuas tamen species in divisionibus usu quotidiano frequentius occurrentes paucis attingere animus est.

16 Si itaque cohæredi obvenerit mediante divisione rusticum urbanumve prædium, etiam omnia censebuntur acquisita, quæ prædiis inhærent, quales sunt & rusticæ & urbanæ servitutes, quæ inde separari cæterisque cohæredibus adjici nequeunt, cum solummodo sint qualitates prædiorum, sine quibus non subsistunt, ac velut accidentia a suo subjecto citra interitum inseparabilia: *l. qui fundum* 12. *ff.* quem-

quemadmodum servitut. amitt. §. 3. *institut. de servientibus:* Gregor. Tholosanus *syntag. jur. civil. lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 10. *in med.* Eodem modo, si castrum alicui cesserit divisione, simul ei cedet omnis jurisdictio castro cohæreus: Mantica *de tacit. & ambiguis lib.* 4. *tit.* 16. *num.* 30. *& seqq.* Duciacus *quæst. juridico philosoph.* 47. *n.* 1. Rosenthal *de feudis cap.* 12. *concl.* 13. *n.* 40. *& seqq.* Petrus Zaus *de divis. bonor. lib.* 1. *cap.* 5. Nec minus ex verisimili dividentium mente tormenta bellica aliaque arcis perpetuo tuendæ causa comparata ejus erunt, ad quem devolutum est ipsius arcis dominium: *arg. l. Julianus* 13. §. *ult. ff. de actionib. empti*: ibique Mornacius, Cujacius *de feudis lib.* 2. *cap.* 2. Anton. Matthæus *de obligation. disp.* 15. *n.* 14. Ea quoque omnia ædibus cedunt, quæ propter ædes usus perpetui gratia habentur, ac velut pars earum sunt, quales, fistulæ, puteal, canales etiam longe extra domum excurrentes: *d. l.* 13. §. *ult. l.* 14. 15. §. 7. *ff. de action. empti*. Et hoc exemplo picturæ ante caminum positæ, ut & ipsis caminis impositæ laminæ ferreæ sic adhærentes, ut pars parietis videantur: nam & hæ usus perpetui gratia illic habeantur: Mantica de *tacit. & ambig. d. lib.* 4. *tit.* 15. *n.* 20. Omnia denique quæ ædibus aut fundo connexa sunt, fructus pendentes &c. nisi quid in divisione vel adjudicatione nominatum fuerit exemptum: *d. l.* 13. §. *si fructibus* 10. *l.* 16. *in princ. ff. de action. empti*. Quia imo, illud etiam, quod ædificio detractum est eo animo, ut reponeretur, cedet ædificio, licet divisionis tempore nondum fuerit repositum; secus quam obtinet, si quid de novo sit comparatum, ut jungeretur ædibus; hoc etenim si divisionis tempore junctum non sit, postea non acquiretur accessorii vice cohæredi domino jam facto: *d. l.* 17. §. *penult.* & *ult. l.* 18. *ff. de action. empti*. Insuper una cum vivario qui cohæredum acquisito pertinebunt ad eum solum omnia animalia, quæ propagationis causa fuerunt inclusa: Argentræus ad *consuetud. Britann. art.* 76. *gloss.* 10. Vacca præterea vel equa, vel ovis aliudve animal fœtum in utero gestans si uni fuerit assignatum, simul ipse fœtus in utero tributus hæredi censetur ut accessorium: si vero natus jam fuerit divisionis tempore vitulus, pullus &c. distinguendum quidem hic plerique crediderunt interpretes, utrum fœtus animalis jam ad eam pervenerit ætatem & vigorem, ut sine matre posset ali, dum herba pascitur, an vero ei immineat interitus, si a matre separaretur: illos una cum matre velut accessorios non transire vel acquiri statuunt; hos matrem sequi, eorumque dominium cum matre simul transferri in accipientem: Mozzius de *contractib. tit. de naturalibus emption. n.* 44. Gomez. *variar. resolut. tom.* 2. *titul.* 2. *n.* 14. Quam distinctionem si & juris auctoritate destitutam esse dixerim & rationis præsidio, nonnulli forte mirabuntur; sed mirari desinent, ubi perpenderint leges in opinionis illius probationem allegatas de locato & commodato loqui, ac tantum a commodatario vel conductore præstandam tam fœtus ipsius quam matris custodiam injungere; at vero expedita non est a custodia ad dominii translationem argumentatio. Quapropter rectius statuendum existimo, nullum fœtum divisionis tempore natum accessionis vice cedere cohæredi cui mater ipsa cessit, nisi id nominatim fuisset actum: *arg. l. legatis servis* 65. §. *ult. l. servis legatis* 81. §. *penult. ff. de legatis* 3. Quo confert, quod, si equus fuerit fideicommisso relictus, non aliter præstandus sit fideicommissario fœtus ex eo natus, nisi hæres in mora restituendi fuerit, & durante mora fœtum in lucem emiserit animal: *l. equis* 39. *ff. de usuris*.

CAPUT XI.

De iis qui possunt aut nequeunt ad divisionem provocare.

1 *Quisquis experiri vult erciscundæ familiæ judicio cohæres esse debet.*

2 *Omnes illud intentant sive civiles sive honorarii sint successores, sive directi sive fideicommissarii.*

3 *Etiam emptor hæreditatis hoc potest agere judicio contra cæteros hæredes.*

4 *Substitutus quoque contra cæteros institutos, deficiente eo cui substitutus erat.*

5 *Parum interest, hæres ad divisionem provocans rem totam, an partem ejus, an vero nihil possideat.*

6 *An & quando absentia bona inter successores ejus possint dividi, & quando habeatur absens pro mortuo.*

7 *Pupilli nequeunt ad divisionem provocare, ne tum quidem, cum tutorum accedit auctoritas, sed tutores ante debent decretum impetrare.*

8 *Quid juris sit in minoribus.*

9 *Quid in prodigis, furiosis, mente captis.*

10 *Pupilli tamen & minores & prodigi aliique possunt a cohæredibus majoribus ad divisionem provocari.*

11 *Si pupillus tutorem non habeat, cohæres divisionem exigens ei ante tutorem petet a magistratu.*

12 *Quid obtineat in fœminis cohæredibus circa provocationem ad divisionem.*

13 *Quid in ecclesia.*

14 *Hæres sub conditione institutus ante ejus eventum petere nequit divisionem.*

15 *Interim tamen hæredes cæteri pure instituti possunt hæreditatem inter se dividere, salvo manente jure conditionalis hæredis.*

16 *An illi possint dividere, qui inter se pacti sunt, se ad tempus vel in perpetuum in communione permansuros.*

17 *Si cohæredes sibi invicem substituti fuerint, nihilominus possunt hæreditatem dividere, nec eo ipso tollitur substitutio vel fideicommissum.*

18 *Si pendente judicio familiæ erciscundæ unus cohæredum moriatur, ejus successores simul unum debent constituere procuratorem.*

1 Quandoquidem parum est, novisse, qui fiat divisio quarumve rerum, si personæ ignoren-

rentur, quarum gratia proditum hoc erciscundæ familiæ judicium, opus est; ut de iis videamus, quibus competat, quibus contra denegetur. Ad id autem, ut quis alium possit hæredem ad divisionem provocare, præsertim requiritur, ut ipse cohæres ejus sit, dum ei delata est vel ex testamento vel ab intestato hæreditatis portio: neque enim ullis dari potest actio familiæ erciscundæ, nisi qui a rerum hæreditariarum communione discedere voluerint; quam cum non habeant illi qui cohæredes non sunt, etiam incassum hoc divisorio cupient experiri judicio, deficiente materia circa quam versaretur, etiamsi sorte titulo singulari emptionis aut donationis rem aliquam singularem hæreditariam ab uno hærede alienatam possiderent; *l. hæredes* 25. *§. quod pro emptore* 7. *ff. famil. ercisc.* Unde & si contendens ad divisionem hæreditatis cohæres esse negetur, nec iis antecessum id probare, adeoque nec judici abunde de ejus veritate constare possit, extemplo a limine judicii pellendus est, nec adjudicari quicquam ei oportet, nec adversarius ei condemnandus est: *l.* 1. *in fine ff. famil. ercisc.* Pichardus *post §.* 29. *instit. de actionib. pag. mihi* 200. *n.* 55.

2 Quales sint hæredes, qui desiderant divisionem, non multum interest: observandum enim est, non eos solos hanc actionem instituere posse, ad quos jure directo devoluta est hæreditas; verum etiam ipsos hæredes fideicommissarios ad bonorum distributionem inter se recte contendere; cum ab hæredibus fiduciariis per hæreditatis restitutionem in eos omnia jura rata transferantur ex senatusconsulto Trebelliano, quæ solis directis videbantur ante restitutionem competere, *§.4. & 7. instit. de fideicommissar. hæreditat.* Honorarii quoque successores, quibus videlicet ex edicto prætoris delata bonorum possessio contra vel secundum tabulas, a bonorum communione volentes discedere, divisorio hoc possunt inter se judicio experiri: cum hæredum loco habeantur effectu inspecto: *l. sed & ejus* 24. *§.* 1. *ff. famil. ercisc. l.* 2. *ff. de bonor. possessionibus:* Hunnius *ad Treutler. vol.* 1. *disput.* 19. *th.* 9. *lit. E. qu.* 18. Quo jure censendi etiam illi, quibus bona libertatum conservandarum causa sunt addicta: *l. ergo quamdiu* 4. *§. ult. ff. de fideicommiss. libertat.* Quin imo, si quis totam rogatus fuerit hæreditatem alteri restituere, sibique velit reservare quartam Trebelliano concessam senatusconsulto, vel aliter ejus fideicommissum sit aliquam restituere partem hæreditatis; etiam utili actione familiæ erciscundæ poterit ad dirimendam communionem adversus fiduciarium hæredem agere fideicommissarius, *l.* 2. *§.* 1. *l. si ex asse* 40. *ff. famil. erciscund.* Gregor. Tholosanus *syntagm. jur. civil. lib.* 5. *cap.* 4. *n.* 4. *in fine*.

3 Quid quod & hic notandum sit, infrequens non fuisse penes Romanos, nec etiamnum hodie penitus ab usu recessisse, ut hæres, ad quem vel ex testamento vel ab intestato devolvitur hæreditas jus suum, quod ad eam ejusve certam partem habet, extraneo divendat: uti id manifestum est *ex tot. tit. ff. & Cod. de hæredit. vel act. vendit.* Hunc itaque portionis hæreditariæ emptorem ad divisionem hæreditatis posse provocare, & provocari a cæteris cohæredibus non est dubitandum; cum enim emptionis contractu omne sibi jus quæsiverit, quod in hæreditate venditor habebat, & obtineat vicem hæredis: *l.* 2. *§. cum quis debitori* 18. *ff. de hæredit. vel action. vendit.* ac illud inter emptorem hæreditatis & venditorem agatur, ut neque amplius neque minus juris emptor habeat, quam apud testamentarium aut legitimum hæredem futurum esset: *d. l.* 2. *in princ.* consequens est, ut & hanc erciscundæ familiæ actionem in ipsum transiisse dicamus, saltem ut utiliter eam contra cæteros possit hæredes intentare etiam citra cessionem: *arg. l. si cum emptore* 16. *ff. de pactis l. emptor* 5. *Cod. de hæredit. vel act. vendit.*

4 Quia vero non modo primi sed & ulterioris gradus hæredes sunt, qui primis a testatore sunt substituti, sic ut in eorum deficientium loca succedant, etiam datam his esse facultatem experiundi erciscundæ familiæ judicio verius est, si plures uni substituti ad aliquam hæreditatis partem concurrant: nam & hæredum appellatione continentur *princ. instit. de vulgari substitut. princip. instit. de pup. substit.* & eodem modo succedunt in jus defuncti, quo successurus fuisset in primo gradu vocatus, si adivisset hæreditatem, aut alias non defecisset. Quod si plures hæredes sint simul instituti, quibus singulis substituti per testatorem alii, etiam deficiente uno cohæredum primi gradus locum ejus occupaturus est substitutus, & a cæteris hæredibus in primo gradu per defunctum institutis exacturus divisionem hæreditatis perinde ac si & ipse primo loco fuisset ad successionem ex testamento vocatus: *arg. l. sed & ejus* 24. *§.* 1. *ff. famil. erciscund.*

5 Nec tantum ad divisionem illi provocant hæredes, qui pro parte vel in solidum res possident hæreditarias, sed & nihil penitus detineant; neque enim ex possessione, sed potius ex dominii jure per hæreditatis aditionem acquisito nascitur erciscundæ familiæ judicium, adeo ut considerari non debeat possessio: *l. hæredes* 25. *§.* 2. *l. fundus* 51. *§.* 1. *ff. famil. ercisc.* Azo *in summ. C. eod. tit. n.* 30.

6 Cæterum scrupulo non caret, quod in iis obtinere debeat, qui plures simul legitimam aut testamentariam sperant successionem illius, qui ita absens est, ut, ubi sit, aut an etiamnum superstes vita fruatur, ignotum sit; utrum illi, & post quantum temporis spatium, possint ad divisionem bonorum illius absentis prosilire? Hanc controversiam post Chopinum ita decidendam existimat Christinæus *volum.* 2. *decis.* 180. *num.* 7., ut non ante patrimonium absentis velit inter legitimos aut testamentarios dividendum cohæredes, quam si is pro mortuo fuerit habitus; nulla enim viventis est hæreditas: *l.* 1. *ff. de hæredit. vel act. vend.* quod vero non est, ejus nulla potest esse divisio; cum juxta tritum illud philosophorum non entis nullæ sint affectiones; id quod etiam satis innuit Ulpianus, dum asserit, eorum duntaxat hæreditatem posse dividi, quorum hæreditas peti potest: *l.* 2. *in prin. ff. famil. erciscund.* eoque conferunt quæ tradit Mornacius *ad l.* 23. *ff. famil. erciscund.* Pro defuncto autem tum demum absentem esse habendum censet ibidem Christinæus, si nihil prorsus intra septennium de eo renunciatum fuerit, nec uspiam appareant ulla ipsius

ve-

vestigia: quod tamen temporis spatium pro more locorum & regionum qualitate, nec non ipsius absentis conditione ac professione potius arbitrio judicis relinquendum puto; præsertim cum animadvertam, eundem Christinæum alibi post plures Doctores allegatos statuere, sufficientem esse quinquennii lapsum ad introducendam mortis præsumptionem, *ad consuetud. Mechliniens. tit.* 16. *art.* 28. *num.* 4. Nec exiguum sententiæ meæ momentum adferunt ea, quæ de mortui mariti præsumptione Romani constituere Principes mulieri ad secunda vota transire cupienti talem concedentes licentiam, etiamsi tempus quandoque brevius quandoque longius præfixum fuerit, quo nascebatur firma de morte mariti absentis præsumptio. Constantinus enim Imperator rescripsit, liberum esse mulieri de secundis cogitare nuptiis, si intra quinquennium nulla indicia sospitatis mariti sui, qui susceperat expeditionem, habere potuerit: *l. uxor* 7. *C. de repudiis*. Hoc quadriennium mutatum fuit in decennium, eo quod quandoque Justiniani sæculo longinquas & diuturnas bellorum causa mariti cogerentur expeditiones subire: *novell.* 22. *cap. novimus* 14. Si vero maritus captus fuerit ab hostibus, & incertum sit, vivatne an in fata concesserit, quinquennii tempus sufficere voluit idem Justinianus, post ejus lapsum mulierem alteri sine periculo posse nubere: *d. novel.* 22. *cap. etiam* 7. Quemadmodum etiam aliquem mortuis annumerandum statuit Anton. Faber, si communi omnium provincialium existimatione censeatur defunctus: *arg. l.* 2. §. 4. *ff. testament. quemadmod. aperiant.* Faber *in C. Sabaud. l.* 5. *tit.* 25. *de fin.* 5. *num.* 14. *& seqq.*

7 Porro non satis est, quod quis hæredem se probaverit, ut alios possit cohæredes ad divisionem hæreditatis faciendam compellere; verum insuper desideratur, ut eam exigens & major sit, & liberam habeat rerum suarum administrationem, sic ut illas suo possit arbitratu alienare, in alium transferre, & liberrimum in iis exercere jus dominii. Ad divisionem proinde neutiquam ipsi possunt pupilli provocare, usque adeo, ut nec tutorum auctoritas hic sufficiat, cum etiam divisio veniat alienationis nomine: *l. si filia* 20. §. *si pater* 3. *famil. erciscund. l. cum pater* 77. §. *hæreditatem* 18. *ff. de legatis* 2. quæ tutoribus in universum in rebus, quæ servando non corrumpuntur est interdicta. Quemadmodum eadem de causa nec tutores pupillorum nomine possunt ipsorum cohæredes ad divisionem constringere, nisi prius decreto judicis alienandi adeoque dividendi potestatem impetraverint, justam & utilem allegantes communionis dissolvendæ causam; quo casu prohibita non debet esse divisio, ne alioquin id, quod in impuberum utilitatem ab initio constitutum est, in ipsorum convertatur detrimentum: quid enim, si rixosum aut ingenii dissidiosi cohæredem habeant, aut alias negligentissimum? sane, ni indulta fuerit divisionis exigendæ facultas, justus metus suberit, ne brevi deteriorata, corrupta dissipata futura sit ipsa pupilli hæreditaria portio: *arg. l. si convenerit* 14. *in fin. ff. pro socio*, *l. inter omnes* 17. *C. de prædiis & aliis reb. minor. &c.* Sande *decis. Frisic. lib.* 2. *tit.* 9. *defin.* 21. Christinæus *ad Mechliniens. tit.* 16. *artic.* 44. *num.* 3. Extra hoc casus tutores & pupilli non provocare, sed provocationem exspectare debent: *l. si pupillorum* 7. *ff. de reb. eor. qui sub. tutel. vel. cur. sunt sine decr. non alien.* Berlichius *conclus. practic. par.* 3. *concl.* 24. *num.* 68. Qua ratione motus Ulpianus in d. l. 7. docet, si omnes cohæredes sub tutela sint, frustraneam, & impeditam fore divisionem, quam pupillorum nomine tutores inter se fecerint circa res hæreditarias. Si nihilominus æqualiter ea facta fuerit, stare debebunt divisioni impuberes, absque effectu familiæ erciscundæ judicium instituti; quippe quo non aliud, quam per tutores ipsi assignatum est, consequi possent, observata jam æqualitate: *l. Lucius* 38. *ff. famil. ercisc.*

8 Minores vero vel curatores habent per quos administrantur ipsorum bona, vel iis sunt destituti: non enim adolescentes inviti curatores accipiunt: §. 2. *instit. de curatorib.* Si curatores habeant, idem in iis obtinebit quod in pupillis, adeo ut divisionem præcedere debeat decretum judicis, ipsi minores sine curatorum auctoritate frustra eam celebrant sive cohæredes suos provocaverint, sive provocati fuerint, eo quod divisio sit emptionis loco: *l.* 1. *Cod. commun. utriusque judicii*; & contractus emptionis venditionis per minorem sub curatoris potestate constitutum initus ipso jure nullus sit: *l. si curatorem* 3. *Cod. de in integr. restitut. minor.* 25. *annis*. Sin curatorem minores non habeant, liberrima ipsis est rerum suarum administratio, sic ut eas pro libitu, etiam non interveniente prætoris decreto possint in alium transferre: *d. l.* 3. Zoesius *ad tit. ff. de minorib.* 25. *annis n.* 46. nisi moribus alicujus populi vel loci statuto aliud receptum esset: Pareus p. inem. Paulus Voet *ad princip. instit. de curatorib. n.* 3. *&* 5. Unde manifesta potest deduci consequentia, etiam ejusmodi minores valide posse privata auctoritate suos ad rerum hæreditariarum communium divisionem provocare cohæredes majores, eique distributioni cum minore celebratæ sic ipsi majores stare coguntur, ut frustra postmodum eam ut non rite factam, dissolutam aut annullatam desiderent. At minoribus adversus ejusmodi divisionem ut plurimum succurri solet per restitutionem in integrum, ubi majores facti se læsos esse docuerint: *d. l.* 3. *C. de in integr. restit. minor.* 25. *annis*; atque ita judicatum esse refert Rebuffus *tract. de restitut. art.* 1. *gloss.* 3. *n.* 22. vide Menochium *de præsumption. lib.* 3. *præsumpt.* 60. n. 4. Imbertum *enchirid. jur. Gallicæ verb. minor. in fine pag. mihi* 245. Paulum Montanum *tract. de tutelis* c. 33. *n.* 189. *& seqq.* Wamesium *cent.* 2. *consil.* 38. *n.* 12. 13.

9 Eodem modo nec prodigi nec furiosi, ut indjores sint, ad divisionem cogere vel cogi possunt, nulliusque momenti erit cœptum cum iis erciscundæ familiæ judicium: *l. ex castrensi* 18. §. 2. *in fin. ff. de pecul. castrens.* Nam nec illi quicquam in suis rebus possunt admittere, nec ulla subsistit facta per eos alienatio: *l. is cui bonis* 6. *ff. de verbor. obligat.* cum nullam censeantur in jure voluntatem, atque ita nec alienandi animum habere: *l. furiosi* 40. *ff. de regul. juris.*

10 Non tamen ideo credendum est, majores invitos debere cum pupillis minoribus prodigis aut furiosis in hæreditariarum rerum communione persistere; jure enim illi divisionem exacturi sunt ab horum tutoribus aut curatoribus: quo casu, cum non spontanea seu voluntaria sed necessaria sit alienatio ac divisio, etiam tutoribus ac curatoribus concessum est citra judicis decretum bona hæreditaria pupillorum ac minorum nomine cum cohæredibus ipsorum majoribus dividere: *l. penult. C. de præd. & aliis reb. minor. sin. decr. non alien. l.* 1. §. 2. *ff. eod. tit. de reb. eor. qui sub tutel.*

11 Quod si pupilli nullos habeant tutores, necdum tamen ab ipsis impuberibus exigenda divisio: quippe qui nihil absque tutoris auctoritate peragunt, ne judicii imbecillitate laborantes & ignorantes discrimina callidiorum astutiis facile circumscribantur: verum ante cohæredes majores ad divisionem procedere cupientes, petere debent, ut pupillis a magistratu tutor detur, cum quo vicem impuberis gerente rite perficiant rerum communium distributionem: *l.* 2. §. 3. *ff. qui pet. tutores l. si filiis* 4. *C. eod. tit.* Anton. Faber *in Cod. Sabaud, lib.* 3. *tit.* 27. *defin.* 11.

12 Fœminas quod attinet, non idem pro statutorum varietate potest in iis affirmari: sunt enim plurimæ regiones, quarum consuetudo fert, ut in perpetua mulieres sint tutela sexus, sic ut absque tutoris seu curatoris auctoritate nihil recte possint expedire, nullum valide contrahere negotium: Tyraquellus *in leg. connubial. gloss.* 2. *& seqq.* Paulus Montanus *de tutelis c.* 7. *n.* 46. *& seqq.* Carpzovius *de juribus fœminar. tot. decad.* 3. Berlichius *conclus. practicabil. par.* 2. *concl.* 17. Rittershusius *ad novellas part.* 8. *cap.* 2. *n.* 2. parens p. mem. Paulus Voet *ad princip. institut. de curatoribus n.* 9. *ibique alii citati.* Illic ergo nec ad divisionem hæreditatis suum cohæredem provocare possunt virgines aut viduæ, nec provocatæ divisionem cum provocantibus celebrare nisi interveniente tutoris electi auctoritate. Alibi virginibus innuptis viduisque majoribus integra relinquitur rerum alienandarum facultas; nullo tutoris accedente facto; quibus ideo nec adempta censeri debet ad divisionem liberrima provocatio. Sed si nupserint fœminæ marito, is legitimus ipsarum curator est ex recepta gentium plerarumque consuetudine, teste Gudelino *de jure noviss. lib.* 1. *c.* 7. *vers. hoc enim jure.* Proinde nec cujusquam alterius quam mariti indigebunt auctoritate ad petendam aut suscipiendam hæreditatis delatæ divisionem, non magis quam ad aliarum quarumcunque rerum alienationem aut obligationem: Matth. Wesembecius, *consil.* 11. *n.* 17. Sande *Decision. frisicar. lib.* 2. *tit.* 4. *defin.* 3. Mævius *ad jus Lubecens. part.* 2. *art.* 53. *n.* 93. Rodenburch *de jure conjugum tit.* 2. *cap.* 3. *n.* 8.

13 Ecclesia vero, quamvis in nonnullis minorum, ac pupillorum jure regatur, & regulariter prohibita sit omnis rerum ecclesiasticarum alienatio: Parens p. mem. Paulus Voet *Jurisprud. sacræ c.* 2. *sect.* 1. *n.* 20.; si tamen una cum alio fuerit hæres instituta, Leonis & Anthemii constitutione sancitum est, eam non modo posse per cohæredem ad erciscundam provocari familiam, verum etiam sponte posse desiderare divisionem, & cohæredem ad eam faciendam juris auctoritate compellere: *l. jubemus nulli posthac* 14. *C. de sacrosanct. eccles.* Petrus Zans *de divis. bonorum lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 10.

14 Quandoque etiam nonnulla ante divisionem inchoatam fiunt aut incidunt, de quibus dubitari posset, an cohæredibus alioquin liberrimum habentibus rerum suarum arbitrium adimant facultatem ad divisionem contendendi, quæ non inutiliter hic subnectenda. At primo quidem de hærede sub conditione instituto quæsitum est, an & is pendente conditione possit ad hæreditatis divisionem constringere cæteros hæredes ex testamento pure vocatos? Sane, cum institutus sub conditione necdum dici possit hæres, ne deficiente conditione desinat hæres esse contra juris regulam: *in l. ei qui solvenda* 88. *in fin. ff. de hæredib. instituend.* & necdum quicquam ex defuncti rebus ad eum pertineat, frustra petiturus est divisionem rerum, quarum dominus non est.

15 Verum quandoquidem una difficultas superata sæpe solet aliam producere, proxime succedit illa controversia, an ergo pendente conditione uni hæredum adjecta cæteri possint interim ad divisionem procedere? quod omnino videtur admittendum; si enim inter pauciores ex pluribus cohæredibus suscipi possit erciscundæ familiæ judicium, etiamsi cæteris æquale jus in hæreditate competat: *l.* 2. §. 4. *ff. famil. erciscund.* Multo magis dicendum est, eandem hæredibus pure institutis esse datam licentiam, ut, omissa persona conditionalis hæredis, integram inter se hæreditatem interim distribuant, quo diminutum nullo modo censebitur jus hæredis conditionalis; quippe cui, si forsan postmodum exstiterit institutioni adjecta conditio, singulis in rebus hæreditariis sua pro indiviso salva est futura portio: *arg. l. cohæredibus* 17. *C. famil. erciscund.* Eodem fere modo, quo rem alicui sub conditione legatam pendente ea inter cohæredes posse dividi superius dictum est manente nihilominus præstationis necessitate, ubi evenerit appositus legato casus: *l. & post litem*, 12. §. 2. *ff. famil. ercisc.* Quo facit, quod pendente conditione hæres pure scriptus possit in solidum actiones instituere contra debitores hæreditarios, perinde ac si nullum esset habiturus cohæredem, & indubitate sibi soli dicatur acquirere judicati actionem tum demum communicandam, cum conditio exstiterit: *l. si hæres unus* 7. *ff. famil. erciscund.* Gomezius *variar. resolut. tom.* 1. *c.* 2. *n.* 15.

16 Illud deinceps in dubium vocari posset, quod si cohæredes inter se conventionem inierint de persistendo in hæreditariarum rerum communione ad tempus aut in perpetuum, utrum ea non obstante possint nihilominus a communione resilire & se mutuo provocare volentes nolentes ad divisionem? potest quippe regulariter unusquisque favori pro se introducto renunciare, & pacta, quæ neque honestati neque bonis moribus sunt contraria, servari æquum est: *l. penult. C. de pactis, l. juris gentium* 7. §. *ait prætor* 7. *ff. eod. tit.* etiam grave est fidem fallere nec stare velle promissis: *l.* 1. *ff. de constitut. pecunia.* Illa tamen non impediunt, quominus alia fortior ratio suggerat, etiam contra pactum ac promissionem

quan-

quandoque consortibus esse concedendam divisionis petitionem ad amputandam rixarum & contentionum materiam, quæ possent ex communione inter plures unius rei dominos suboriri: *l. cum pater*, 77. §. *dulcissimis* 20. *ff. de legatis* 2. Adhibita proinde distinctione pacti de permanendo in communione in perpetuum, & ejus quod certum continet tempus, intra quod a communione non recedatur, universa facile dirimitur controversia: si solummodo id actum fuerit, ut ad certum tempus duret hæreditariarum rerum communio, pactio valet, eique standum erit, si vero cohæredes inter se pacti sint, ut in perpetuum persistant in communione, non tenebuntur ad ejusmodi conventionis obligandi viribus destitutæ observantiam, cum in jure reprobata sint talia inter socios aut consortes pacta, ut ansam peccandi præbentia, adeoque bonis adversantia moribus: *l. in hoc judicium* 14. §. *si convenint*. 2. *&* 3. *ff. commun. dividund.* Tyraquellus *de jure primogen. q.* 78. Anton. Thesaurus *decis.* 142. Balbus *tract. de præscriptionib. part. quart. princ. quæst.* 13. *n.* 5. *ibique citati*.

17 Denique prætereundum non est, illos quoque fratres aliosque cohæredes ad divisionem bonorum hæreditariorum impune provocare vel provocari posse, quos sibi invicem substituit in suo testamento defunctus, aut alias ita fideicommisso gravavit, ut post cujusque hæredis obitum hæreditaria bona cæteris restituantur cohæredibus, ac penes ultimum superstitem omnia remaneant: neque ea ipsa divisione censebuntur privati spe fideicommissi, juxta communem interpretum sententiam, cum alterum ab altero non evertatur, sed salvum possit esse fideicommissum facta divisione, & servari divisio, rata nihilominus manente suprema testatoris voluntate circa res restitutioni ac fideicommisso obnoxias; neque quisquam præsumatur suum jactare, vel repudiare favorem pro se introductum, nisi de expressa renunciatione constet, quam admitti circa ejusmodi fideicommissa dubium non est: *l. de fideicommisso* 11. *Cod. de transaction. l. cum proponas* 16. *Cod. de pactis*, & ad utramque Bruemanus Gayl. *lib.* 2. *observati* 139. Bursatus *consil.* 195. *n.* 11. Fusarius *de substitut. quæst.* 587. Petrus Zans *de divis. bonor. lib.* 4. *cap.* 9. Anton. Faber *in Cod. Sabaud. lib.* 3. *tit.* 25. *definit.* 1. *&* 12. Wamesius *centur.* 6. *consil.* 82. *n.* 24. 30. Christinæus *vol.* 2. *decis.* 180. *n.* 8. *& seqq.*

18 Cæterum si pendente judicio familiæ erciscundæ unus cohæredum mortuus fuerit, pluribus relictis successoribus, inter hos scindendum in partes non est hoc erciscundæ familiæ judicium: verum omnes simul defuncti personam repræsentantes id debent accipere, vel unum dare procuratorem, in quem omnium nomine judicium agatur: *l. si familiæ* 48. *ff. famil. erciscund.* Quamvis cohæredes hoc contendentes judicio nequeant unum eumdemque constituere procuratorem, eo quod circa adjudicationes & condemnationes res expediri nequeat: *l. licet* 42. §. *si plures* 6. *ff. de procuratorib.*

CAPUT XII.

Quis sit effectus divisionis respectu creditorum hæreditariorum.

1 *Regulariter creditor non tenetur admittere solutionem debiti per partes factam.*

2 *Ab hac regula exceptio est in pluribus defuncti debitoris successoribus, si modo debitum recipiat scissionem.*

3 *Et si unus hæredum factus sit non solvendo, id cæteros non onerat cohæredes, sed illi tantum pro sua parte conveniuntur.*

4 *Si debitum non sit dividuum, singuli debitoris hæredes in solidum tenentur.*

5 *Quandoque tamen debitum dividuum ab uno integrum præstandum est, idque vel causæ contemplatione.*

6 *Vel propter testatoris voluntatem expressam aut tacitam, veluti si alium mobilium, alium immobilium hæredem scripserit.*

7 *Quid obtineat circa æris alieni solutionem, si miles alium castrensium, alium cæterarum rerum hæredem instituerit.*

8 *Si testator uni imposuerit onus solvendi debita vel legata, an tali voluntati stare debeant creditores hæreditarii & legatarii.*

9 *Si creditor juxta voluntatem testatoris unum hæredum in solidum convenerit, & non potuerit integrum consequi, contra cæteros ad residuum nihilominus pro rata aget.*

10 *Etiam hodie ubivis fere receptum, ut hæredes singuli pro rata tantum conveniantur pro debito defuncti.*

11 *In debito per hæredes persolvendo tantum habetur ratio institutionis, non ejus quod uni prælegatum aut jure præcipui obvenit.*

12 *Quid juris sit circa debiti solutionem, si plures æqualiter vel sine partibus instituti sint, & ab ipso testatore facta sit inæqualis rerum distributio, in eodem testamento vel codicillis, aut alius Italicarum, alius provincialium rerum sit hæres scriptus.*

13 *Hæres solvens partem debiti personalis quatenus eum concernit non liberat partem pignoris a defuncto dati, licet ea per divisionem ei obvenerit, sed pro parte debiti totum pignus potest distrahi.*

14 *Rejicitur Donelli sententia, & demonstratur, hæredem debere totum debitum persolvere ut pignus liberetur.*

15 *Si totum debitum persolverit, non tamen cæterorum cohæredum partes jure pignoris sibi obligatas habet, nisi id actum, vel jus pignoris in solventem transcriptum.*

16 *Si uni cohæredum cesserit pignus in solidum, alteri imposita sit debiti præstatio potest hypothecarius creditor pro libitu vel rei possessorem in solidum vel singulos hæredes pro rata convenire.*

17 *Si is, cui incumbebat vi divisionis præstatio annui reditus, re ipsa apud alium cohæredem* e-

existente, possessor rei etiam post annorum quadraginta lapsum potest conveniri.

18 *Creditor potest etiam obligatam rem feudalem, quæ ad unum jure præcipui pertinebat, pro debito distrahere.*

19 *Nec is, ad quem feudum pervenit, cogere potest cæteros cohæredes, ut feudum præstent liberum, si defunctus ei reditus annuos imposuerit.*

20 *Secus, si simpliciter feudum hypothecæ obligasset; nisi debitum, pro quo feudum obligatum est, contractum sit occasione feudi.*

21 *Pro qua parte sit agendum contra plures hæredes ejus, qui ratione rerum suarum personalem aut realem debebat servitutem.*

22 *Quomodo cohæredes sint conveniendi propter evictionem rei per defunctum aut per ipsos venditæ.*

1 Postquam abunde pro instituti ratione actum fuit de rerum hæreditariarum divisione, deque personis, quibus aut concessum aut prohibitum est intentare vel excipere familiæ erciscundæ judicium, ordo postulat, ut de divisionis effectibus agatur, quorum alii ipsos concernunt cohæredes, alii creditores defuncti respiciunt. Illis in sequens caput rejectis, hos hoc loco tractare animus est: quod ut recte fiat, ignorandum non est, vulgatam juris Romani regulam dictare, compellendum non esse creditorem ad recipiendam debiti partem; sed summo jure posse respuere solutionem, quam per partes & non in solidum facere debitor voluerit; nec hunc ab usurarum præstatione liberari, vel in creditorem transferri debiti periculum, si partem ejus oblatam ac consignatam deposuerit, in integri debiti solutione moram nectens: *l. tutor.* 41. §. 1. *ff. de usuris: arg. l. cum hæres* 4. §. *item si decem* 6. *ff. de statu liberis l. obsignatione* 9. *C. de solutionib.* Nisi forsan id inter debitorem & creditorem actum fuisset, ut liceat per partes quod acceptum est exsolvere: *d. l.* 41. §. 1. Id quod optima ratione sic constitutum est, ne sit in arbitrio debitoris iniquam suo creditori conditionem inferre: multa etenim incommoda sibi conjuncta habet illa particulatim facta debiti præstatio: *l. plane* 3. *ff. famil. ercisc. l. cum hi* 8. §. *in causa* 9. *ff. de transaction.* Hottomannus *illustr. quæst.* 22. Schneidwinus *ad* §. 1. *instit. quib. modis tollit. obligat. n.* 15. Gæddæus *ad l.* 32. *ff. de verbor. signif. n.* 8. *& seqq.* Anton. Merenda *controvers. l.* 1. *cap.* 52. & late Bachovius *ad Treutler. vol.* 2. *disp.* 29. *th.* 2. *lit. B.* Quibus non adversatur *l. quidam* 21. *ff. de reb. cred.* Ubi Julianus ait, quosdam existimasse, neque eum, qui decem peteret, cogendum quinque accipere, neque, qui fundum suum diceret, partem duntaxat judicio persequi; sed in utraque causa humanius videri facturum prætorem, si compulerit actorem ad accipiendum id quod offertur. Vel enim dici potest, humanitate nonnunquam moveri debere prætorem in universis negotiis æquitatem potissimum considerantem, ut aliquid præter communes juris regulas decernat propter causæ circumstantias, dum summam animadvertit creditoris pervicaciam & sordes, quibus in hoc solummodo tendit, ut suum vexet & affligat adversarium, cum interim in eo negotio de quo prætor cognoscit, nullum forte passurus sit ex partis solutione præjudicium: atque ita demum jus rigidum prætor humanitate temperaturus est: *arg. l. si residuum* 5. *Cod. de distract. pignor.* Vel etiam non inepta videtur responsio, Julianum JCtum, in *d. l.* 21. talem tractare casum, quo pars debiti liquida est, alia illiquida vel contentiosa: audiendum proinde reum, si partem liquidam solvere voluerit, quo liberetur ab usurarum præstatione, alteram partem ut non debitam bona fide maluerit adversus actorem in judicio sibi asserere ac defendere, quemadmodum vicissim is, qui totam sibi rem deberi eamve suam esse contendit, suum potest adversarium constringere, si is partem tantum deberi asserat, alterius suscipiat defensionem, ut eam saltem, de qua confessus est, præstet, de cætero judicis exspectetur sententia: quilibet enim impune debet se susque posse defendere bona fide, nec statim adversario actionem instituenti cedere cogendus est: *l. qui solidum* 78. *in princ. ff. de legatis* 2. Gomezius *variar. resolut. tom.* 2. *cap.* 10. *n.* 5. Schneidwinus *d. loco*.

2 Ab hoc autem juris axiomate quasdam exceptiones admisere legum civilium conditores, quarum præcipua in defuncti debitoris hæredibus occurrit: si namque debitor decesserit pluribus relictis ex testamento vel ab intestato, singulos liberari rescripserunt Imperatores persolvendo partem debiti pro rata portionis, ex qua defuncto hæreditariis creditoribus convenire posse, cum inter cohæredes ex l. 12. tabularum æs alienum ipso jure divisum sit: *l. pacto successorum* 26. *C. de pactis l.* 2. *C. si unus ex plurib. hæred. debit. credit. suam part. sol.* & 1. *C. si certum petat. l. si te bonis* 10. *C. de jure deliberand.* Donellus *ad l.* 2. *C. de hæredit. actionib.* Ant. Matthæus *tract. de actionibus l.* 2. *cap.* 9. *n.* 2.

3 Proinde si unus ex cohæredibus, antequam ab hæreditario creditore conveniretur, post divisionem perfectam ad talem fuerit paupertatem delapsus, ut ne pro sua quidem portione conventus actione personali debitum hæreditarium præstare posit, id tamen cæteros non onerabit cohæredes: utpote quos creditor non ultra portionem hæreditariam ad debiti solutionem jure compellaturus est, ad cohæredis in solutione deficientis partem frustra contra cæteros experturus *l. legatorum petitio* 33. *in princ. ff. de legatis* 2. Ne alioquin eveniat, ut alter propter debitum alterius sine facto suo inquietetur, quod adversaretur æquitati jurisque rationi, neminem ex alterius, in cujus locum non successit, obligatione conveniendum esse dictanti: *l.* 2. *l.* 3. *& tot. tit. C. ne uxor pro marito tit. C. ne filius pro patre.* Et certe, suæ ut plurimum negligentiæ damnum inde superveniens debebit imputare creditor, quod non maturius etiam ante consummatam inter cohæredes divisionem debitum exegerit. Quibus non obest, quod in omnem eventum post excussum unum fidejussorem creditori contra confidejussores cæteros concedatur actio, qui antea creditori beneficium divisio-

sionis objiciendo suam tantum partem virilem pro reo principali persolverant: *§. 4. instit. fidejussoribus l. si plures 27. ff. eod. tit.* Alia namque confidejussorum, cohæredum alia ratio est; hi ipso jure tantum pro portionibus obligantur hæreditariis; non in solidum; at confidejussores ad integrum principalis rei debitum præstandum ipso jure singuli obstricti sunt, & divisionis exceptio ipsis ex Imperatoris Hadriani beneficio concessa dilatoria tantum est, non peremptoria; eo quod boni Principis non sit alteri beneficium indulgere quod in ingens alterius detrimentum vergeret: *l. inter fidejussores 26. ff. eod. tit. de fidejuss.* Donellus *ad l. 2. C. de hæred. actionib. n. 5.* Gomezius *tom. 1. variar. resol. cap. 12. n. 17.* Joh. Bapt. Costa *tract. de quota & rata cap. 23. n. 3.* Boerius *decis. 57.* Andr. Kohl. *exercit. legal. 1. n. 24. in med.* Salgado de Somosa *Labyrinth. creditor. par. 2. cap. 12. n. 64.*

4 Id quod procedit, si debitum commodam patiatur divisionem; si vero id ad quod defunctus erat obligatus, nullam aptam scissionem admittat, quale est factum, restitutio rei &c. concessa creditori facultas unum ex hæredibus in solidum conveniendi, ad consequendum illud individuum quod est, obligatione *l. in executione 85. §. 1. 2. ff. de verbor. obl. l. si duo hæredes 22. ff. depositi.* Ea namque, quæ in partes dividi nequeunt, a singulis hæredibus solida debentur: *l. ea quæ 192. ff. de regul. juris:* Tyraquellus *de retract. convention. §. 1. gloss. 6. n. 41.* Connanus *comment. juris civil. lib. 6. c. 2. n. 7.* Elbert. Leoninus *consil. 25. n. 23.* Lambert. Goris *advers. par. 2. cap. 1. n. 3. & seqq.*

5 Sunt tamen nonnulli casus, quibus post divisas res hæreditarias in solidum hæredes singuli conveniri possunt, etiamsi maxime divisionem res debita reciperet, & posset a pluribus pro rata præstari quod evenit vel propter testatoris voluntatem, vel personarum aut causæ favorem. Causæ contemplatione integrum ab uno ex cohæredibus debitum exigitur in alimentis a defuncto debitis ex Pii Principis rescripto, postquam magistratus, ad quos earum rerum cognitio pertinet, illud ita volentibus nolentibus hæredibus decreverint; ne alioquin alimentorum præstatio inter plurimos divisa cohæredes, adeoque in minimas partes scissa in nihilum redigatur: *l. solent 3. ff. de aliment. legatis.* Ingens enim usque fuit Quiritum jure favor alimentorum: *l. Mela ait 14. §. 1. ff. eod. tit.* Sancitum itidem in gratiam boni publici, ut si quis pro honore sibi delato vel deferendo quippiam Reipublicæ pollicitus fuerit, id administratores aliive ad agendum nomine publico constituti possint in solidum ab uno hærede post promissoris obitum exigere: *l. ex pollicitatione 9. ff. de pollicit.*

6 Testatoris denique voluntate tacita vel expressa efficitur, ut & dividua res ab uno cohæredum solida sit persolvenda; expressa, cum defunctus ultimo elogio uni tantum hæredi injunxit debiti vel legati solutionem: *l. cum ab uno 53. ff. de legat., l. si filia 20. §. item Papinianus 8. famil. erciscund.* Tacita, si testator ita suum ordinaverit testamentum, ut ex ipsius institutionis forma velut sponte fluat, ut unus ex pluribus nonnulla solus præstare cogatur: si enim alium mobilium, alium immobilium hæredem scripserit, non aliud videtur ex ejusmodi dispositione de jure saltem Romano resultare, quam quod hæres mobilium solus teneatur ad æs alienum mobile, immobilium vero successor ad immobilia defuncti debita creditoribus præstanda sit obligatus: in quam sententiam aliquoties judicatum asserit Imbertus *enchirid. jur. Galliæ, verb. bonorum dif. circa med. p. mihi 43.* Argentræus *ad consuet. Brit. ann. ar. 219. gloss. 8. n. 5.* Quæ autem mobilia sint, quæ immobilia debita, idem prolixe docent: *d. art. 219. gloss. 5.* Quamvis æquior ratio longe aliud hac in parte statuendum suadet, adeo ut ineunda potius videatur bonorum mobilium & immobilium æstimatio: secundum quam universum æs alienum indistincte persolvat pro rata hæres mobilium & hæres immobilium: Tyraquellus *de jure primogen. quæst. 35. n. 29. & seqq.* Joh. Bapt. Costa *de quota & rata quæst. 24. n. 4.* Parens p. mem. Paulus Voet *tract. de natur. mobil. & immobil. cap. 20. n. 11.*

7 Quod si miles alium fecerit hæredem castrensium, alium cæterarum rerum; is quidem, qui in castrensibus est institutus, solus obstrictus erit ad persolvendum omne illud æs alienum, quod in castris contractum est: qui vero cæterarum rerum hæres est, solus universa præstabit debita extra castra per defunctum conflata: *l. si certarum 17. §. 1. ff. test. milit. l. cum militi 16. ff. de compensationib.* Salgado de Somosa, *labyrint. creditor. par. 2. cap. 12. n. 46. & seqq.* Si tamen alterutrius hæredis bona, ex quibus scriptus est, non sufficiant debitorum oneri, veluti si miles in castris debita contraxerit ultra castrensis peculii vires, in subsidium cohæres de sua parte hæreditaria residuum defuncti debitum persolvet: iniquum enim foret, creditoribus per ejusmodi supremam voluntatem aliquod inferri præjudicium, quo minus in omnem eventum ex bonis quibuscumque testatoris consequerentur ea, quæ ipsis debentur quamdiu solvendo est hæreditas: *d. l. 17. §. 1. ff. de testam. milit. arg. l. ex facto 35. §. 1. 2. ff. de hæredib. instituendis.*

8 Tales autem morientium dispositiones testamentarias, quibus hunc vel illum hæredem solum gravant onere quadam vel omnia debita solvendi, liberas ac licitas esse extra controversiam est constitutum: at non æque expeditum est, an is, cui quid debetur, huic cogatur acquiescere voluntati testatoris, eamque sequi, sic ut non posset alios hæredes pro rata convenire, sed adversus eum solum, quem designavit defunctus, post factam inter hæredes divisionem deberet actionem instituere. In legatario quidem verius est, per eum non alios hæredes ad exsolvendum legatum posse compelli, quam quos testator præstatione legati nominatim oneraverit: *arg. l. ab omnibus 104. ff. de legatis 1. l. legatorum 33. §. 1. ff. de legatis 2.* Cum hæredes & legatarii nequeant in uno comprobare, in alio rejicere defuncti voluntatem, sed per omnia debeant ei stare, atque eo modo legatum aut hæreditatem acceptare vel repudiare quo data est: *arg. l. si te donatam 13. C. de fideicommiss. libert. §. 1. inst. de lege Falc. §. 2. instit. de singul. reb. per fideicommiss. relictis.* Aliud autem in creditore statuendum, quidem juxta il-

illam defuncti voluntatem in solidum convenire poterit designatum testamenti tabulis hæredem, cui solvendi onus integrum fuit impositum: Christinæus *ad Mechlmens. tit.* 16. *art.* 37. *n. fin. in fine.* Attamen, cum in testamentum defuncti non sit honoratus, etiam judicium ejus, si noluerit, sequi non tenetur, nec invitus compellitur mutare debitorem, licet hic forte magis esset idoneus: *l. si mandatus* 45. *§. item si* 2. *ff. mandati.* Nec ullum patitur ex defuncti debitoris dispositione præjudicium, proinde nec per testamentum constringi debuit aut potuit libertas creditoris, quo minus, ubi voluerit, adversus singulos hæredes pro rata suam actionem instituat: *l. plane* 3. *ff. famil. erciscund. l. licet pacto* 23. *C. eod. tit.* Gomezius *variar. resolut. tom.* 2. *cap.* 11. *n.* 15. *in med. vers. item etiam juxta prædicta.* Andr. Gayl. *lib.* 2. *observ.* 14. n. 7. Lambertus Goris *advers. part.* 2. *cap.* 4. *n.* 10. Salgedo de Somose *Labyrint. credit. par.* 2. *cap.* 12. *n.* 60.

9 Verum his in casibus, quibus in creditoris arbitrio est etiam post consummatam inter cohæredes debitoris divisionem vel singulos pro rata convenire ex legum præscripto, vel unum in solidum ex defuncti voluntate credendum non est, quamprimum adversus unum eorum ad integrum debitum actio fuerit instituta cæteros respectu creditoris illius liberari: cum enim ipso jure divisæ sint inter cohæredes ejusmodi obligationes, iniquum plane foret, electione, & non potius integri demum debiti solutione quamlibet adversus cæteros actionem perimi, proinde si is, quem in solidum convenit, inveniatur solvendo non esse, nec integrum præstare possit, deneganda non est creditori contra cæteros experiundi pro rata facultas: quemadmodum ademptus ei non est contra confidejussores regressum, si unus eorum minus idoneum convenisset & necdum convenisset & eaoussisset in solidum, & necdum integrum potuisset ab eo debitum consequi: eos etenim, qui correi debendi sunt non sola conventio liberat, sed solutio: *§.* 1. *institut. de duob. reis stipul. & promittendi*, *l. si ut certo* 5. *in fine*, *ff. commodati*, *l. si ex toto* 8. *§.* 1. *ff. de legatis* 1. *l. reos principales* 23. *l. generaliter* 28. *C. de fidejussoribus.* Cujacius *ad l.* 116. *in princ. ff. de verbor. oblig.* Zoesius *ad tit. ff. de duob. reis constituend.*

10 Quamvis autem paucis quibusdam legum municipalium conditoribus visum fuerit circa creditores hæreditarios actionem contra debitoris defuncti cohæredes instituentes a jure Romano divortium facere, dum sanciverunt, unum ex pluribus propter æs alienum defuncti semper in solidum conveniri posse, nec liberari licet pro rata solvere paratus sit; quos ea procul dubio ad id adegit æquitas, quod cernerent, sæpe & solutionem partis debiti non minima incommoda habere juxta Cajum JCtum *in d. l.* 3. *ff. famil. erciscund. Statut. Mechlmiens. tit.* 16. *ar.* 37. ibique Christinæus. Aliarum tamen plerarumque gentium moribus magis hac in parte comprobata juris Romani definitio, teste Christinæo, *d. loco*, Groenevegen *in not. ad Grot. introduct. jurisprud. Holland. lib.* 3. *cap.* 26. *n.* 4. Leeuwen *censur. forens. lib.* 3. *cap.* 10. *n.* 8.

11 Cæterum in æris alieni persolutione, ubi id inter cohæredes ipso jure divisum est, tantum habetur ratio portionis in qua hæredes sunt instituti, adeo ut altero ex semisse, duobus aliis singulis ex quadrante scriptis, etiam hi quadrantem, aut semissem onerum hæreditariorum pro portione sua ferre cogantur: Wissenbach & Brunemannus *ad l.* 2. *C. de hæredit. actionib.* Ejus autem, quod uni cohæredum prælegatum est, non fit computatio respectu debiti, etiamsi maximum ex prælegato commodum & emolumentum ad unum cohæredem pervenisset, nec is ullum æris alieni onus eo nomine subire cogendus est, non magis quam alii legatarii simplices quibus præter legatum in testamento nihil relictum: *§. si quis una* 9. *institut. de fideicommissar. hæred. l. fin. C. de hæreditar. actionib.* Unde & receptum videmus filium natu majorem non ulterius ad persolvenda parentis sui defuncti debita per hæreditarios creditores posse conveniri, quam quatenus & pro qua parte ei hæres exstitit in bonis allodialibus sive ex testamento sive ab intestato, etiamsi legis beneficio & jure primogenituræ plures solus acquisiverit res feudales; cum illæ ei non obveniant ut hæreditariæ vel institutionis titulo; sed potius ut res singulares, quas quis jure præcipui seu tanquam prælegatas ante cohæredes cæteros deducit. Quam sententiam pluribus solide & erudite peraequitur Lambertus Goris *adversar. part.* 2. *c.* 2. post Molin. *ad consuet. Parisiens. §.* 18. *n.* 9. *& seqq.* An. Robert. *rer. judic. lib.* 4. c. 13. *& alios allegatos.*

12 Ex quibus satis manifestum puto, quid statuendum sit, si testator secundum ea quæ superius *c.* 2. dicta sunt, plures in portionibus æqualibus hæredes instituerit, & in posteriore tabularum parte vel codicillis, vel hodie testamento posteriore fecerit inæqualem omnium rerum hæreditariorum distributionem: neque enim ulla divisionis est habenda ratio, sed solummodo circa æris alieni solutionem ipsa institutio consideranda est, adeo ut is, cui per partitionem a testatore factam plures eæque meliores obvenere res hæreditariæ, pro virili nihilominus institutionis portione tantum æri alieno defuncti obstrictus sit futurus. Idem dicendum est, si duos defunctus ad hæreditatem vocasset in priori tabularum parte, nulla facta quotæ mentione, & postmodum inæqualiter bona distribuisset: non obstante enim illa inæqualitate uterque ad dimidiam onerum hæreditariorum partem ferendam compellendus est; eo quod hæredes sine partibus instituti perinde habentur; atque si ad æquales portiones essent vocati: *§. si plures* 6. *institut. de hæredib. instituend.* Hinc & si hæres alius in rebus Italicis, alius in provincialibus sit institutus, utrumque pro semisse censeri hæredem, ac per consequentiam ad debita defuncti pro semisse teneri auctor est Ulpianus, etiamsi longe plures ac præstantiores in Italia quam provinciis invenirentur defuncti facultates, dummodo hæredis utriusque portio sufficiat æri alieno: alioquin creditoribus adversus alterum plura percipientem actio in subsidium danda foret: *l. ex facto* 35. *§.* 1. 2. *l. qui non militabat* 78. *ff. de hæredib. instituend.* Sande *decis. Frisicar. lib.* 4. *tit.* 9. *defin.* 3. Groenewegen *in not. ad Grotii introduct. jurispr. Holland. lib.* 3. c. 26. *n.* 4. Quod si tamen expressa nulla institutionis for-

mu-

mula testator hæredes instituerit, sed simpliciter omnia sua bona inter plures ultima distribuerit voluntate, sic ut melior sit unius quam alterius cohæredis portio, non aliud videtur in hoc dubio defuncti judicio præsumendum, nisi quod is illos ad tantas voluerit vocatos hæreditatis partes, quanti assignatæ cuique res æstimatæ fuerint, proinde etiam tales cohæredes singuli secundum illam æstimationem & emolumenti modum ad debitorum hæreditariorum præstationem obligati erunt: Lambert. Goris *advers. part.* 2. *cap.* 2. *n.* 5.

13 Quia vero non raro contingit, ut in securitatem debiti defunctus, dum adhuc in vivis esset, res quasdam proprias suis creditoribus pignori obligare debuerit; non inutiliter alique de rebus ejusmodi obligatis hic tradenda videntur: quod ut ordine fiet, duo potissimum considerandi casus: aut enim res per testatorem hypothecæ subjecta divisa est inter plures cohæredes, aut uni in solidum adjudicata. Quod si divisa fuerit vel ab ipso testatore vel a cohæredibus vel judicis officio, dubitatum est, illene divisio creditori possit obesse, sic ut is e singulis hæredibus personale debitum pro rata accipiens cogatur solventis liberare partem, & ad residuum consequendum solummodo jure pignoris obligatas habeat hæredum cæterorum partes, qui nec dum ipsi satisfecerunt. Rectius est ut existimemus, per eam creditori nec iniquam inferri potuisse conditionem, nec jus quæsitum edimi: non enim iis præjudicare vel nocere debent inter alios acta: *tot. tit. res inter alios act. vel judicat. alis non nocere*, nec debitorum pactis petitio creditorum tolli vel mutari: *l. debitorum* 25. *de pactis*. Cum igitur ante divisionem in obligata re jus ita fuerit creditori quæsitum, ut non prius constringi potuerit in totum vel pro parte pignus liberere, quam ipsi persolutum fuisset omne id, in cujus securitatem pignus constitutum, & propter minimam debiti partem, quæ etiamnum præstanda, imo propter solas usuras, soluta principali sorte, liberum & licitum ipsi fuerit aut rem totam obligatam, aut partem ejus pro arbitrio distrahere, ad consequendum e pretio inde redacto universum illud quod nondum persolutum est, si modo pro usuris quoque res obligata fuerit; usque adeo, ut ne tum quidem, cum plures res simul hypothecæ vel pignori subjectæ fuerunt, cogi potuerit in quibusdam rebus jus pignoris remittere, parte debiti dote, sed demum, ubi recepisset quantum debebatur: *l. qui pignori* 19. *ff. de pignorib. & hypothec. l. solutum* 11. *§. si in sortem* 3. *ff. de pignorat. action. l. per retentionem* 4. *C. de usuris: l. quamdiu* 6. *C. de distract. pignor. arg. l.* 1. *§.* 4. *ff. de migrando*. Quibus consequens est, ei post divisionem quoque jus illud idem superesse, adeoque liberam esse pignoris distractionem una cum ille solventis parte: *l. unus ex multis* 16. *C. de distract. pignor.* argum. eorum quæ in medium attulit Molinæus *ad Parisiens. tit.* 2. *§.* 55. *gloss.* 4. *n.* 28. 29. Goris *adversar. par.* 2. *c.* 1. *n.* 4. Salgad. de Somosa *Labyrint. creditorum part.* 2. *c.* 12. *n.* 65. Et hoc est quod Imperatores constituunt *in l.* 1. *&* 2. *C. de luit. pignoris*, hæredem, qui suam debiti partem exsolvit, ex pignoribus suam non posse portionem recipere, & vincule pignoris eo casu durare, etiamsi personalis actio contra hæredem jam exstincta sit: Cujacius *observ. lib.* 5. *c.* 32. *& in paratit. C. de luit. pignor.*

14 Sic ut hic reprobanda veniat Donelli opinio, quam exhibet *ad d. l.* 2. *C. de luit. pign.* existimans, pro ea parte, quæ per cohæredem est soluta, ipsum quoque pignus liberatum esse. Hoc enim si verum foret legibusque congruum, non equidem video, quo jure creditor, non obstante partis solutione, posset nihilominus integrum pignus pro residuis persolvendis distrahere, quod ipsi concessum: *d. l.* 16. *C. de distract. pignor.* Frustra tunc etiam asseruissent Romeni Principes, personales quidem obligationes inter cohæredes posse dividi & ex ipsa duodecim tabularum lege divisas esse, pignoris vero causam esse individuam, cum ejus vindicatio non personam obliget sed rem sequatur: *l.* 1. *l.* 2. *C. si unus ex plurib. hæred. vel credit. suam debit. part. solv.* Proinde si cohæres suam pignoris partem liberare velit, & pignoratitia experiri actione post perfectam cum cohæredibus divisionem, non id alia via conceditur, quam si totum debitum creditori præstiterit: *l.* 1. *C. de luit. pignor. l.* 2. *C. si unus ex plurib. hæred. debit. aut credit. suam deb. part. solv. l. si rem* 9. *§. omnis* 3. *ff. de pignorat. act. l. hæredes* 25. *§. item observatur* 14. *ff. famil. erciscund.*

15 Unde rursus alia suboritur controversia, num hic cohæres, postquam universum creditori debitum solvendo pignus recepit, sibi pignoris jure illam liberatam retinere possit, an vero personalem solummodo contra cohæredes sit habiturus actionem? Pignoris jus forsan aliquis huic hæredi solventi concesserit, hac ductus ratione, quod is debitum numerando videatur in creditoris locum succedere, atque ita per solutionem sibi confirmare pignoris obligationem. Verum penitius negotium examinanti patebit, cohæredi tali non usque competere vi solutionis jus in re creditori ante obligata jamque liberata: sed potius distinctionis ope totam hanc quæstionem esse definiendam; adeo ut cohæres, si quidem simpliciter solverit, nulla adjecta circa pignoris translationem conventione, non sit ullum habiturus jus in re: si vero ante solutionem curaverit illud creditoris hypothecarii jus in se transcribi, etiam pignoris, aut hypothecæ vinculo sibi rem illam obligaturus sit: juris enim est notissimi, ne creditorem quidem chirographarium multoque minus extraneum, qui creditor non est, (qualis hic cohæres) solvendo quicquid hypothecario debetur, adipisci sibi hypothecæ jus, aut in hypothecarii locum succedere, nisi jus hypothecæ nominatim fuerit in solventem transcriptum ac translatum, idque vel ex judicis auctoritate, vel expressa conventione inter solventem ac hypothecarium creditorem aut debitorem, pro quo solutum est, interposita: *l. Aristo* 3. *ff. quæ res pignor. obligar. poss. l. si cum pecuniam* 5. *l. fin. C. de privileg. fisci: l. res obligatas* 21. *C. de pignorib. & hypothecis: l. cum alter* 11. *C. de fidejussorib. l. creditor,* 12. *§. a Titio* 8. *ff. qui potior. in pignor. l.* 2. *ff. de distract. pignor. l.* 1. *C. de his qui in pr. credit. locum succedunt*, ibique Donellus, Azo, Cujacius *paratitl.* Zoesius *ad tit. ff. qui potior. in pig. n.*

n. fin. Ant. Matthæus *de judiciis disput.* 14. *n.* 38. *& tract. de auctionib. lib.* 1. *c.* 19. *n.* 91. Wissenbach *ad pandect. vol.* 1. *disp.* 40. *n.* 17. Struvius *ad pand. exercit.* 26. *n.* 34. Hoc si non egerit cohæres, alia ipsi actione experiundum est, utili nempe negotiorum gestorum, non item erciscundæ familiæ judicio, quod semel tantum non sæpius intentatur: *l. sive pro fratre* 3. *Cod. de negot. gestis.* Garsias *de expens. & melioration. cap.* 19. *n.* 5. *& seqq.* Gomezius, *variar. resolut. tom.* 2. *cap.* 10. *n.* 3. *in fine.* Sichardus *ad d. l.* 3. *C. de negot. gest.* Lamb. Goris *adversar. part.* 2. *cap.* 1. *n.* 5. Bachovius *ad Treutl. vol.* 1. *disp.* 10. *thes.* 3. *lit. G.*

16 Contra vero, si pignori obligata res testatoris inter cohæredes non divisa, sed uni in universum attributa fuerit; nec hoc obesse potest creditori, quo minus in ejus arbitrio sit, utrum adversus pignoris possessorem velit hypothecariam actionem in solidum instituere, an vero personali actione pro rata convenire singulos hæredes: *l.* 2. *C. de hæreditar. act.* Christinæus *ad Mechliniens. tit.* 16. *art.* 37. *n.* 11. Cum & ante hæc ipsi competierit electio: pignus quippe non constituitur, ut personalis tollatur obligatio, verum ut per utramque creditori cautum sit, & ea semper possit experiri quæ commodior videtur: *l. distractis* 14. *l. persecutione* 24. *C. de pign. & hypothec. l. grege* 13. §. *etiamsi* 4. *ff. eod. tit.* Idque moribus hodiernis esse congruum testes sunt Groenewegen *de legib. abrogat. ad auth. hoc si debitor. C. de pignoribus.* D. Wesel *ad novell. const. Ultrajectin. artic.* 20. *n.* 36. *aliique ibidem allegat.* Hoc ergo jus ipsi ut donatione, venditione, sic & concessione rei uni cohæredum facta nequit adimi: eo quod ex privata cohæredum pactione nullum creditoribus inferri posse præjudicium ante dictum fuit: *l. debitorem* 15. *C. de pignorib. & hypothec.* Unde satis constare censeo quid obtinere debeat, si ex aliquo defuncti fundo vel ædibus reditus annuus fuerit præstandus, interim post obitum defuncti facta sit inter cohæredes divisio bonorum, qua id actum fuit, ut alteri cohæredum jure dominii cederet ille fundus obligatus, alter reditus annuos inde debitos persolveret; expeditum, inquam, est, creditorem velut in re jus habentem posse contra prædii possessorem, unde reditus præstandus est, actione reali experiri; nihil prorsus impediente illa familiæ inter cohæredes divisione, si modo hæres ille, cui redituum annuorum incumbebat præstatio, fuerit in mora solvendi: Molinæus *ad consuetud. Parisiens. tit.* 1. §. 1. *gloss.* 9. *n.* 44.

17 Major difficultas est, si creditor ab eo cohærede, cui prædium non obvenerat, sed solummodo fuerat impositum redituum præstandorum onus, per annorum quadraginta spatium vel etiam diutius illos quotannis suo tempore solutos receperit, alter interim quiete fundum possederit citra ullam creditoris interpellationem: videri enim posset jus illud pignoris seu jus in re per annorum quadraginta lapsum esse sublatum, & tantum personalis adversus eum, qui hactenus debitos sine mora reditus præstitit, actio superesse: *l. cum notissimi* 7. *C. de præscrip. trigint. vel quadrag. annor.* Hisce tamen non obstantibus, probandum magis est, etiam tum salvam esse creditori actionem in rem contra rei ipsius possessorem, nec peremptum esse jus in re per quietam annorum quadraginta possessionem: neque enim anni quadraginta, quibus hypotheca & omne aliud jus in re tolli dicitur in d. l. 7. computandi sunt ex eo tempore, quo constitutum jus in re, vel quo res illa obligata per debitorem fuit in alium translata; sed potius ex eo demum die, ex quo primitus incepit actio hypothecaria competere: *d. l.* 7. §. 1. Perezius *ad d. l. tit. C. de præscript.* 30. *vel* 40. *annor. num.* 11. Certum autem est, creditorem agere non posse, nisi postquam in mora solvendi fuerit debitor: enim ante potest actio competere, quam cum ad aliquid dandum faciendum aut præstandum quis obligatus est. Cum ergo debitor usque persolverit suo tempore reditus, actio per integros illos nasci non potuit annos quadraginta; sic ut multo minus ei præscribi potuerit, utpote nondum natæ, per hanc longissimi temporis possessionem non interruptam: Chassanæus *ad consuetud. Burgund. rub.* 11. §. 2. *n.* 36. *& seqq.* Groenewegen *de legib. abrogat. ad d. l.* 7. §. 1. *C. de præscript.* 30. *vel* 40. *annor.* Consul. jurisc. Batav. *part.* 1. *consil.* 264.

18 Hæc autem omnia sic in jure recepta sunt, si talis per defunctum res pignori sit obligata, quæ divisionem inter cohæredes, lege vel moribus haud repugnantibus, admittit: si vero suo creditori in rebus ejusmodi reditus annuos aut hypothecam constituerit, quarum divisio jure scripto vel consuetudine locorum est impedita, quæque uni liberorum aut cohæredum cedere debent jure præcipui, qualis est res feudalis secundum ea quæ superius notata sunt; dubium quidem non est, quin creditor tale feudum valeat distrahere ad consequendum id quod debetur, si modo fuerint adhibitæ omnes illæ solemnitates, quas in obligationibus feudorum desiderant feudales consuetudines, veluti ut adsit domini superioris consensus, & obligatio constituatur coram curiæ patibus ad minimum duobus: *cap. imperialem de prohibit. feud. alienat. per Frederic. lib.* 2. *feud. tit.* 55. Hottomannus *disput. feud. lib.* 2. *tit.* 8. *in fine:* Goris *adversar. part.* 2. *cap.* 3. *n.* 15. *D.* Wesel *ad novell. constitut. Ultraject. artic.* 22. *n.* 12.

19 Utrum autem is, cui res feudalis integra cedere debet, cæteros cogere possit hæredes, ut eam per defunctum sic obligatam ab omni liberent onere, quæstionis est. Ea plurimis auctoritatis haud exiguæ Jurisconsultis sententia placet, hæredes cæteros non esse constringendos, ut ei, cui feudum debetur jure præcipui, liberum hoc præstent, quoties certus annuus reditus feudali feudo fuit impositus; eo quod defunctus videatur tale prædium quodammodo vendidisse per annui reditus constitutionem, & æstimationem ejus pro debiti vel redituum ratione diminuisse: Wamesius *cent.* 2. *consil.* 42. *n.* 9. Goris *d. part.* 2. *advers. cap.* 5. *n.* 15. *ibique cit.* Eoque facit, quod juris Interpretes statuunt, si fundus alicui fuerit legatus, cui reditus annuos defunctus imposuerat, hæredes non teneri fundum illum liberum præstare legatario: Arn. Vinnius, Parens p. mem. Paulus Voet *ad* §. 5. *institut. de legatis.*

20 At si simpliciter in securitatem debiti feudum fue-

fuerit obligatum, probabilius esse censeo, cæteris hæredibus luendæ rei feudalis pignori subjectæ onus incumbere; non enim ejusmodi feuda tam jure successionis ad hunc aut illum devolvuntur, quam & beneficio legis: cum etiam ad eos pertineant, qui, respuunt hæreditatem, juxta communem Doctorum opinionem: Petrus Zans *de divis. bonor. lib. 1. cap. 7. n. 7. & seqq.* Andr. Gayl. *l. 2. observ. 154. n.* 12. vide Andr. Kobl. *exercit. legal.* 2. Concedendum autem parentibus non est, ut beneficium alicui liberorum lege datum ipsis possent adimere, vel propalam & directo, vel per consequentiam: *arg. l. si adrogator.* 22. §. 1. *ff. de adoptionib.* Berlichius *conclus. pract. part.* 3. *conclus.* 21. *num.* 56. Quod tamen eveniret, si luendi necessitas cæteris non inhæreret hæredibus; cum usque parens in fraudem legis pro tot tantisque rem feudalem posset oppignorare debitis, ut filio satius foret ea carere. Præterquam quod feudum rei legatæ vel prælegatæ videatur assimilandum, quam omnino liberam præstari debere; ejusque luendæ necessitatem ad hæredes spectare manifestum est: *d.* §. 5. *institut. de legatis*, *l. rem pignori*, 28. *l. si pater familias* 35. *ff. famil. erciscund.* Quod si tamen debitum a patre fuerit occasione rei feudalis hypothecæ subjectæ, potius est, ut eum, ad quem feudum devolvitur, debitum illud persolvere debere statuamus; cæteros defuncti hæredes eo neutiquam esse gravandos: Peregrinus *de jure fisci lib.* 5. *cap.* 1. *num.* 144. Elbert. Leoninus, *consil.* 26. *num.* 24. Salgado de Somosa *Labyrint. credit. part.* 5. *cap.* 12. *n.* 54. Wassenaar *pract. judic. cap.* 11. *n.* 53. *ibique citati*.

21 Post discussas de pignoribus & actione hypothecaria controversias etiam de servitutibus verbo monendum tam personalibus quam realibus, quatenus earum nomine competunt actiones adversus plures unius hæredes: si itaque defunctus in re quadam sua dederit alicui usumfructum, aut alterius prædio servitutem itineris actus &c. in suo fundo constituerit, & hæredes ejus erciscundæ familiæ judicio diviserint rem hæreditariam, ex qua servitus alteri debebatur; subsistet quidem inter eos facta divisio, non tamen inde quid detrimenti sentiet dominantis prædii dominus aut ille cui servitus personalis est debita: nihilominus enim adversus singulos hæredes servientis prædii dominos partiarios in solidum experiri poterit actione confessoria, si forsan ab iis impeditus fuerit, quo minus suo jure servitutis utatur, ad id ut ire, agere aut frui &c. liceat absque turba vel impedimento: *l. hæredes* 25. §. *contra* 10. *ff. famil. ercisc. l. idem juris* 3. §. 1. *l. in exsecutione* 85. §. *quod si* 3. *ff. de verbor. obligat.*

22 Cæterum nulli dubium est, quin emptor alicujus rei conditionalis quodammodo sit creditor, quatenus propter evictionis periculum ei venditor aut successor ejus universalis obstrictus est, si forte postmodum contigerit, rem venditam emptori extorqueri juris & judicis auctoritate per verum rei dominum aliumve sufficiens in re jus habentem ad avocandam ejus possessionem: proinde non frustra videtur hic determinandum, cui debeat post finitum erciscundæ familiæ judicium contra plures cohæredes emptor agere, cui res, quam defunctus habuit, vendita evicta est. Duplex potissimum circa eam casus est considerandus: aut enim ipse defunctus illam vendidit, cui plures successerunt; aut hæredes aliquam distraxerunt rem hæreditariam ante perfectam bonorum divisionem: quod si defunctus ipse eam alienaverit, in solidum quidem adversus omnes & singulos hæredes emptori dabitur actio, quatenus omnibus in solidum fieri debet denunciatio, & in solidum venditio defendenda; adeo ut, etiamsi non omnes ad factam denunciationem sese stitissent, in judicio nihilominus superati censeantur, si modo unus eorum, qui substitit, victus fuerit; ut inquiunt Jeti in *l. in executione* 85. §. *in solidum* 5. *l. cum ex causa* 139. *ff. de verbor. obligat. l. si rem* 62. §. 1. *ff. de evictionib.* Quin tamen ea actio, quæ pro evictione competit, personalis est, tendens ad id quod interest; atque commodam admittit inter cohæredes divisionem; ideo non in solidum, effectu inspecto, cohæredes singuli venditoris propter evictionem obligati sunt, verum unusquisque suam præstando partem hæreditariam liberari poterit: *d. l.* 85. §. 5. *l.* 139. *ff. de verb. obligat. l.* 62. §. 1. *ff. de evict.* Andr. Gayl. *lib.* 2. *observ.* 14. *n.* 4. Anton. Matthæus *de obligation. disput.* 19. *n.* 20. Sin autem ipsi cohæredes ante divisionem institutam res quasdam in hæreditate repertas distraxerint, quidem non omnes celebraverint earum venditionem, neque factam ratam habuerint, pretium inde redactum recipientes, illi soli de evictione conveniendi sunt, qui venditionis participes fuerunt: non item cæteri, qui in eam non consenserunt alienationem: *arg. l. quidam* 12. *ff. de evictionib.* At si unanimi consensu pariter eam omnes vendiderint, nulla adjecta partium mentione, etiam de evictione omnes emptori erunt obligati: cumque venditionis tempore rem pro indiviso possederint, nec singuli suas videantur distraxisse partes, verius est singulos quoque propter evictionem in solidum emptori teneri, eique competituram electionem, contra quem ex cohæredibus voluerit in solidum experiri velut in correum debendi: *arg. l. quod si nolit* 31. §. *si venditori* 10. *ff. de edict.* Secus quam obtineret si ex aliquibus indiciis & conjecturis colligi posset, unumquemque suam solummodo partem vendere voluisse: neque enim eo casu quilibet in solidum, sed pro sua tantum parte de evictione foret obligatus: *d. l. quidam* 12. *l. rem hæreditariam* 65. *ff. de evictionib. d. l.* 31. §. 10. *ff. de ædilit. edict.* vide Andr. Gayl. *d. lib.* 2. *observat.* 14.

CAPUT XIII.

Quis sit effectus divisionis respectu [illegible] cohæredum inter se.

1 *Post inchoatum erciscundæ familiæ judicium hæres invito cohærede nequit partem suam in alium extraneum transferre.*

2 *Post perfectam divisionem hæredes singuli tenentur persolvere pro rata æs alienum defuncti de novo emergens, etiam id quod vivo patre propter filii studia vel dignitatem est conflatum.*

3 *Si unus totum debitum præstiterit, quod post demum apparuit, pro rata contra cæteros regressum habet.*
4 *Possunt & hæredes singuli post divisionem pro rata conventi a creditore eum solum hæredem substituere, cui incumbebat totius æris alieni præstatio, nisi malint solvere, & post a cohærede repetere.*
5 *Quomodo per divisionem singulis hæredibus acquiratur rerum hæreditariarum dominium.*
6 *Quomodo & quando cohæredes sibi invicem teneantur de evictione rerum, quæ per divisionem obvenerant.*
7 *Quoties locum habet actio de evictione, hæres a cohæredibus non modo rei æstimationem, verum etiam id quod interest consequitur, habito præsentis temporis respectu.*
8 *Quid in actione de evictione, quæ inter cohæredes est, veniat appellatione ejus quod interest.*
9 *Quid obtineat si res feudalis uni hæredum evicta fuerit.*
10 *Si uni hæredum assignatum sit nomen in solidum, nec impensas in ejus exactionem factas, nec id quod propter debitoris inopiam consequi non potuit a cohæredibus exigere potest, rejecta Pichardi opinione.*
11 *Repetit & post divisionem cohæres quod expendit eo quod ex mora cohæredis in pœnam incidit.*
12 *Hæres fideicommissarius contentus esse debet ea divisione, quæ per hæredem directum, cui incumbebat sub conditione restitutio, facta est; nisi is id egerit in fraudem fideicommissarii.*

Tametsi præcedenti capite nonnulla creditorum hæreditariorum occasione sparsim interjecta fuerint ipsos quoque cohæredes concernentia; præcipuos tamen divisionis effectus circa cohæredes hic paulo latius persequi visum fuit. Sunt autem alii inchoatæ, alii consummatæ seu perfectæ divisionis effectus.

1 Inchoatam quod spectat divisionem, quando scilicet aditus est judex, & datus erciscundæ familiæ arbiter inter cohæredes distributurus res hæreditarias ea potissimum hoc efficit, quod cohæres rem communem jam in judicium deductam non possit amplius alicui extraneo divendere vel obligare pignori, aliove quo modo legitimo dominium suæ portionis, quam adhuc pro indiviso possidet, in alium transferre, cohæredibus cæteris non consentientibus; uni tamen cohæredum eam vendere vel hypothecæ subjicere non prohibeatur: *l. falso* 3. *C. de commun. rerum alienat.* *l.* 8. *C. communi dividund.*

2 Divisionis autem absolutæ ac perfectæ primus quidem effectus est circa defuncti debita, quæ vel latuerunt, vel persoluta non sunt, antequam ad divisionem hæredes procederent; hæc enim ab omnibus post diremptam communionem pro rata præstari debent, cum tanto minus censeatur in hæreditate repertum esse, neque bona dicantur, nisi quæ deducto demum omni ære alieno supersunt: *l. subsignatum* 32. §. 1. *ff. de verbor. signif.* Quod usque adeo verum est, ut & illud debitum, quod filius vivente etiamnum ac permittente patre studiorum causa vel honoris aut publici muneris adipiscendi gratia contraxit, quodque nondum solutum est, non per eum tantum exsolvi debeat, in cujus commodum versa est ejusmodi pecunia debita, sed etiam ab omnibus cæteris fratribus ac sororibus pro ea parte, qua parenti suo defuncto hæredes exstiterunt: neque enim illud æs alienum filii sed patris est; & ut tale omnes ejus successores pro rata concernat, ac obliget, æquum est: *l. si filia* 20. §. *idem scribit* 6. 7. *ff. famil. erciscund.* *l.* 1. §. *sed an id* 16. *ff. collationib.* *l. unic. C. de periculo successor. parent.* Besoldus *delibat. juris tit. famil. erciscund. n.* 3. *in med.* Zoesius *ad tit. ff. de collationib. n.* 36.

3 Quod si unus cohæredum solus post factam divisionem persolverit emergens de novo debitum, vel extra judicium ab hæreditario creditore compellatus, vel ad integrum præstandum condemnatus sententia judicis; dum forsan id, quod in obligationem fuerat deductum, est individuum, aut alias loci statutum hanc creditori concedit facultatem, ut & individuo credito possit unum ex pluribus hæredibus in solidum convenire; regressum utique contra suos est habiturus cohæredes, vel actione ex cautione per stipulationem inter cohæredes tempore divisionis interposita, de quibus actum cap. 6. in fine; vel, si illa non intervenerit, utili negotiorum gestorum actione, quæ plerumque solet in subsidium dari, cum peremptum est erciscundæ familiæ judicium semel ante intentatum: *l. sive pro fratre* 3. *de negot. gestis arg. l. filiæ* 18. §. 1. *C. de famil. erciscund.* Quinimo, si unus post factam divisionem in solidum conveniatur, ac condemnetur creditori; recusat tamen jure solutionem aut præstationem ejus, ad quod lege vel sententia judicis obstrictus est, donec creditor ipsi cesserit actiones contra cohæredes, opposita interim ad exemplum contutorum ac confidejussorum exceptione cedendarum actionum: *l. Modestinus* 76. *ff. de solutionibus* *l. fidejussoribus* 17. *l. cum is* 36. *l. ut fidejussor.* 39. *ff. de fidejussoribus*: Christinæus *ad Mechliniens. tit.* 16. *art.* 37. *n.* 3.

4 Vice versa, si testator ultima voluntate unum ex pluribus hæredibus onere persolvendi certi debiti solum gravaverit, vel etiam ipsi cohæredes inter se, vel judex ex officio æs alienum hæreditarium ita diviserit, ut singulis nonnulla incumbant debita in solidum præstanda propter solutionis & exactionis particularis incommodum; & creditor post perfectam divisionem sibi debitum exegerit non in solidum ab eo, cui per testatorem, judicem, aut conventionem erat imposita illius solutio, sed pro rata portione hæreditaria a singulis hæredibus (neque enim testatoris voluntate pactove debitorum posse creditori facultatem adimi, quo minus ab unoquoque partem exigat, præcedenti capite dictum fuit) poterunt illi simul eum solum sibi substituere, cui totum solutionis onus incumbit: quamvis enim, uti Jurisconsultus inquit, libera potestas maneat creditoribus cum singulis experiundi; tamen & his libera potestas est suo loco substituendi eos, in quos onera actionis officio judicis translata sunt: *l. plane* 3. *l. si filia* 20.

§.

§. *item Papinianus* 8. *ff. famil. erciscund.* Quos etiam cæteri constringere possunt, ut omnium defensionem suscipiant, & integrum præstent debitum, ubi id inter eos actum fuerit, si aliàs vellent moras nectere & detrectare solutionem: *arg. l. si mandatu*, 45. §. *item si* 2. *ff. mandati*. Hoc si non egerint, sed suam præstiterint ad petitionem creditoris partem hæreditariam; non minus hic ipsis succurrendum erit actione ex stipulatione, si ea intervenerit de indemnitate, vel utili negotiorum gestorum judicio contra cohæredes: *d. l.* 3. *C. de negot. gestis d. l.* 18. §. 1. *C. famil. erciscund.* vel etiam actione præscriptis verbis, tanquam ex contractu innominato, cum videantur certa lege permutationem fecisse: *l. si filia* 18. §. *si pater* 3. *ff. famil. ercisc. l. licet* 25. *Cod. eod. tit.* Wamesius *centur.* 2. *consil.* 48. *num.* 3.

5 Alter non minoris momenti effectus divisionis est, quod res hæreditariæ, quarum dominium defunctus habuit, desinant esse communes inter cohæredes: *l. si divisionem* 15. *C. famil. erciscund.* & statim iis solis pleno dominii jure acquirantur, quibus assignatæ sunt, sive per testatorem sive per cohæredes, sive per judicem facta fuerit divisio: *l.* 2. *C. commun. utriusque judicii*: Christinæus *ad Mechliniens. tit.* 16. *art.* 44. *in addit. in fine*. Idem enim jus hæres quilibet in defuncti rebus, quæ per divisionem ipsi obvenerunt, nanciscitur, quod ipse defunctus ante habuit; cum hæreditas successio sit in universum defuncti jus, & ipse hæres defuncti vicem repræsentet, ac una quodammodo cum eo persona sit: *novell.* 48. *in princ. l. hæredem* 59. *l. hæreditas* 62. *ff. de regul. juris l. nihil est* 24. *ff. de verbor. signif.* Quod quidem usque verum, quoties hæredes singuli ex unaquaque re hæreditaria partem percipiunt; eo quod tunc non tam cuique de novo dominium acquiritur, quam potius id, quod ante divisionem cujusque fuerat, per divisionem declaratur ad eum pertinere. Sin uni res integra cesserit non idem divisionis bonorum per cohæredes factæ, atque quidem ejus quæ per judicem instituta fuit, effectus est: si namque judex uni cohæredum in erciscundæ familiæ judicio defuncti rem integram adjudicaverit, statim ipso jure citra traditionis interventum adipiscitur totius rei dominium, sive eam ipse possideat, sive ab alio illa detineatur: de qua adjudicatione fusius actum cap. 5. At vero, ubi ipsi cohæredes sic inter se diviserint hæreditatem, ut aliis aliæ res hæreditariæ totæ fuerint tributæ, & is, cui res assignata est, illam possideat, aut alioquin ea per cohæredes ipsi sit tradita, dubium non est, quin fiat pleno jure dominus, & integræ rei vindicationem habeat: *l. si divisionem* 15. *C. famil. ercisc.* Sed si neque possideat, nec ei tradatur, & placitum divisionis & assignationis rei totius solummodo usque ad pactum steterit, seu in nudis conventionis terminis; non aliter acquiretur & transferetur dominium, quam si judex erciscundæ familiæ partes suas interposuerit, adjudicationes ita faciendo, uti inter hæredes constitutum fuit *d. l.* 15. *in fin.* Bachovius *in exercitat. ad Anton. Fabrum de error. pragmat. decad.* 98. *error.* 7. *n.* 2. Gregor. Tholosanus *syntag. jur. civil. lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 8. Cum alioquin vulgatissimum sit juris axioma traditionibus & usucapionibus dominia rerum, non nudis pactis transferri: *l. traditionib.* 20. *C. de pactis*. Quid quod ne personalis quidem ad res assignatas actio danda sit juxta jus Romanum ex tali nuda divisione, cui neque traditio neque possessio conjuncta fuit, nisi interposita sit inter cohæredes stipulatio: *l. divisionis* 45. *ff. de pactis l. cum proponas* 21. *C. eod. tit.*

6 Verum cum non raro eveniat, alienas in hæreditate res reperiri, quas vel ipse defunctus pro suo possedit, vel errore lapsi hæredes ejus una cum cæteris diviserint rebus hæreditariis, tanquam defuncti proprias, quasque veri domini postmodum supervenientes ab hærede, cui per divisionem acquisita erat earum possessio, judicis auferunt auctoritate & evincunt, utpote jura potiora habentes; inquirendum hoc loco, quid circa causam evictionis contemplatione cohæredum obtineat: qua in re non idem potest asseri in divisione per judicem aut cohæredes facta, quod de evictione rerum per ipsum testatorem inter hæredes distributarum ante dictum fuit cap. 2. sed aliud hic statuendum esse colligere licet ex Imperatorum rescripto, in *l. si fratres* 7. *C. commun. utriusque judicii*. Adeo ut evictæ rei nomine, quam hæres ex divisione judicis aut mutuo cohæredum consensu nactus est, dandus ei sit contra cohæredes regressus per actionem de evictione, quatenus ab evincente suum consequi non potuit; dummodo penitus ignoraverit, rem illam evictam, quæ per divisionem ipsi cesserat, alienam esse, sive de evictione caveri sibi curaverit, sive nihil omnino fuerit a cohærede stipulatus. Sin sciverit aut præviderit, futurum, ut forte postmodum evincatur res talis erciscundæ familiæ judicio adjudicata, interim in omnem eventum cautione de evictione a cohæredibus exacta sibi prospexerit, etiam illos jure post rem evictam actione ex stipulatu conveniet. At si id actum fuerit inter cohæredes, ut quisque suæ partis, seu rerum sibi per divisionem acquisitarum periculum omne subeat, ac suscipiat universum rei eventum, aut alias quispiam eorum, haud ignarus, eam rem alienam esse, ne cautionem quidem a cohæredibus exegerit; propriæ facilitati ac temeritati vel negligentiæ debebit imputare, quod plane nullam contra cohæredes habeat actionem propter rem evictam; cum juris remedium contempsisse vel tacite saltem ei renunciasse videatur: *d. l.* 7. *C. commun. utriusque judicii*, *l. hæredes* 25. §. *item curare penult. ff. famil. erciscund. l. si familiæ* 14. *C. eod. tit. l. si cum venditor* 66. §. *ult. ff. de eviction.* Caballinus *tract. de eviction.* §. 4. *n.* 51. *fere in fin.* Menochius *de præsumptionib. lib.* 3. *præs.* 118. *n.* 17. *& seqq.* Sichardus *ad l.* 14. *C. famil. ercisc. n.* 3. *& seqq.* Wamesius *centur.* 2. *consil.* 59. *n.* 9. Fachinæus *controv. lib.* 6. *cap.* 68. *conclus.* 5. *& seqq.* Gregor. Tholosanus *syntagm. jur. civil. lib.* 5. *c.* 4. *n.* 14. Petrus Zaus *de divis. bonor. lib.* 1. *c.* 8. *n.* 3. *& seqq.* Quas distinctiones ut æquissimas etiam tunc observandas esse censeo, cum nonnullæ res fideicommisso obnoxiæ uni cohæredum obvenerunt; etiamsi variæ sint hac in parte Doctorum opiniones, uti videre est apud Christinæum *vol.* 2. *decis.* 180. *num. fin.*

7 Magis autem in eo laboratur, quid hæres, cui res evicta est, consequi debeat actione evictionis nomine a cohæredibus, si non fuerit interposita super evictione stipulatio; solamnem rei evictæ æstimationem; qualis fuit tempore divisionis, an vero præterea meliorationes & impensas usque ad evictionem in illa re factas si ab evincente eas salvas habere non potuerit, ac omne id quod interest, quidquam veniat ejus appellatione? Quamvis hoc in controversia post Anton. Gomezium *lib. 2. resolut. c. 2. n. 53.* in ea sit opinione Johannes a Sande *decis. Frisic. lib. 4. tit. 11. defin. 2.* ut hæredi contra cohæredem in pretium solummodo seu æstimationem, neutiquam ad id quod interest, actionem evictionis nomine concedendam censeat, ei inhærens fundamento, quod cohæres, adversus quem ea datur, culpa careat: juri tamen scripto magis conveniens est, eum, cui res evicta est, adversus cohæredes agere posse non ad id, ut recuperet æstimationem rei, qualis fuit divisionis tempore; verum potius ut refundatur pro rata id quod interest, habito præsentis temporis respectu; sic ut ultra æstimationem, quæ fuit divisionis tempore, percepturus sit, si creverit avictæ rei valor; contra vero, si decreverit, & res facte sit deterior, minus a cohæredibus hac actione sit consecuturus: ita enim Ulpianus in l. si cum venditor 66. §. ult. ff. de evictionib. *divisione*, inquit, *inter cohæredes facta, si procurator absentis interfuit, & dominus ratam habuit, evictis prædiis in dominium actio dabitur, ut quanti sua interest actor consequatur; scilicet ut melioris aut deterioris agri facti causa finem pretii, quo fuerat tempore divisionis æstimatus, diminuat vel excedat.* Quod & eodem modo ab Imperatoribus est definitum *in d. l. 7. C. commun. utriusque judicii*, qui observandas voluerunt hoc in casu communes evictionis regulas juxta Pauli Jurisconsulti responsum. in *l. evicta re 60. ff. de evictionib.* Eamque sententiam animose satis contra Molinæum defendit ac persequitur Garsias *de expens. & meliorat. c. 18. n. 11. 12. 13.* Christinæus *vol. 2. decis. 179. n. 12. 13.* Neque quicquam negotii facessit argumentum Sandii & Gomezii: errant etenim, qui toties ad æstimationem seu pretium solummodo quempiam propter evictionem teneri autumant, quoties culpa caret; cum hoc paulo ante demonstraverim receptum esse jus, ut & pretium & id quod interest evictionis nomine præstetur, nulla adhibita distinctione vel exceptione (quam quisquis alleget etiam probare debet), præsertim eum aliquoties dictum fuerit, divisionem emptionis & permutationis vicem obtinere: *l. 1. Cod. commun. utriusque judic. l. 20. §. 3. ff. famil. ercisc. l. 77. §. 18. ff. de legatis 2.* in quibus, evicta re procul dubio ad id quod interest contenditur: *l. 1. C. de rer. permutatione, l. 1. §. 1. ff. eod. tit.*

8 Et in hisce tanta necdum est difficultas, quam quidem in eo, quid Jurisconsultus & Imperatores sub eo quod interest comprehendi voluerint: Garsias *d. c. 18. n. 14.* & Christinæus *d. l.* censent, appellatione ejus quod interest tantum venire rei æstimationem una cum impensis a cohærede in rem factis, ejusque proratis opere industria ac labore; neutiquam vero rationem esse habendam augmentorum ac meliorationum, quæ casu vel temporis beneficio sine ipsius facto advenerunt. Verum qua lege quave ratione defendi possit hujusmodi restrictio, videre hactenus non licuit; nec tamen æquum aut conveniens est, ut quis iis destitutus a communibus deflectat jurisprudentiæ regulis. Sic ut potius hic eadem, quæ in omnium aliarum rerum evictione recepta sunt observenda existimem; hæredem videlicet evicta re sibi per divisionem acquisita vel adjudicata posse ad id quod interest ita contendere contra cohæredes actione de evictione, ut & lucri cessantis & omnium accessionum æstimationem ab iis pro rata consequatur: *arg. l. venditor 8. l. evicta re 16. in pr. si per imprudentiam 51. §. non mirum 3. ff. de evictionib. l. si controversia 9. l. si cum q. 17. C. eod. tit.*

9 Cæterum ea quæ de evictione præstanda hactenus adducta sunt, per omnia non obtinent in rerum feudalium divisione, licet enim evictio quidem præstanda sit, si ex divisione feudum cohæres acquisiverit, quod putabat esse defuncti, cum ad alium quempiam vasallum pertineret ejus utile dominium; utpote quo casu verum est, rem prorsus alienam fuisse divisam: si tamen feudum fuerit defuncti, & uni cohæredum obvenerit, ac postmodum fuerit ex natura sua evictum, quia forte poterat ad solos devolvi mares, non fœminas, & hic hæres mascula sit prole destitutus, cæteri cohæredes de evictione non erunt obligati: nam & feudum fuit defuncti, non alienum, quasi non satis in rei feudalis naturam inquisivissent, cum ea omnibus æque perspecta fuerit, & ipsum ille hæres cui cessit, non ignoraverit, illam ejusmodi evictionis periculo expositam esse; quo casu, si non expressa cautio fuerit interposita, regressum contra cohæredes concedendum non esse dictum est *d. l. 7. C. commun. utriusque judic.* Sic ut perinde censeri debeat, atque si naturaliter feudum interiisset: Gloss. *ad l. 14. C. famil. ercisc. verb. pro parte:* Bertachinus *in repertorio verb. divis.:* Peregrinus *de fideicommissis art. 52. num. 60.* Mornacius *ad l. 13. C. famil. erciscund.* Unde si existimaverit hæres talem esse feudi conditionem, ut & ad fœminas descendat, cum tantum foret masculinum, & propter sexus masculini defectum transferatur postmodum ad alios; merito hæredis hujus successores actione de evictione contra prædecessoris sui cohæredes experientur, cum is ignoraverit, talem evictionis causam subesse. Quod & dicendum, si rem esse feudalem appareat, quam hæres, cui ea obvenit, existimabat allodialem esse: *arg. d. l. 7. d. l. 14. C. famil. ercisc.* ibique Brunemannus *sub fin.* vide Schneidwinum ad *§. 20. institut. de action. famil. ercisc. n. 20. & seqq.*

10 Cum autem admissum in jure sit singulis hæredibus in hæreditariam portionem ex conventione vel arbitri familiæ erciscundæ decreto integra nonnulla assignari nomina defuncti: *l. 3. ff. famil. erciscund.* videndum est, quid circa impensas in eorum exactionem factas, & id quod propter debitoris inopiam exigi non potuit, obtineat: Pichardus quidem in ea est opinione, *in comm. post. §. 20. instit. de actionibus pag. mihi 198. num. 18.* hæredem non modo respectu illius quod in exactionem ero-

arogavit, sed & ejus contemplatione, quod propter debitoris paupertatem consequi non potuit, regressum contra cohæredes habiturum esse, instituta actione de evictione, qua expensum vel amissum pro rata recuperet; quem ad ita sentiendum permovit, quod divisio hæreditatis vim permutationis habeat, in qua locum sibi evictio. Verum mirari non satis possum, a juris ratione legumque dictamine tantopere deflexisse jurisconsultissimum & eruditionis consummatæ virum: tanti enim ponderis non est per eum adducta ratio, quin potius neutro casu concedendam hæredi putem de evictione contra cohæredes actionem. Et ut facilius memet expediam, singula separatim examinabo. Impensas quod attinet, (ut leviora, quæque plures alios habent non contemnendos defensores ac patronos, primo loco tractem) dubium non est, quin, si nomen ipsum fuerit evictum, ipsi sumptus una cum eo quod nominibus continebatur, pro rata repetantur a cohæredibus: uti & si id actum fuerit inter cohæredes, ut refunderentur, etiamsi nomen non esset evictum: *l. venditores* 102. *ff. de verbor. obligationib. l. si cum quæstio* 17. *Cod. de evictionib. l. fidejussor.* 16. *ff. de doli mali & metus excep.* Donellus *ad d. l.* 102. Gomezius *variar. resolut. tom.* 2. *tit.* 2. *num.* 47. Si vero unum hæres superaverit adversarium evincere nomina annitentem, neutiquam ei danda actio ad expensas consequendas a cohæredibus: damnum etenim propter litem motam perpessum non sensit hæres ex cohæredum culpa vel facto, sed ex actoris seu petitoris improbi injuria; proinde casui fortuito potius id imputandum est; casus autem aut injuriam illatam emptori non præstat in evictionis causa venditor aut alius quicunque alioquin propter evictionem obligatus: *l. si per imprudentiam* 61. *ff. de evictionib.* Et certe si sumptus illi forent repetendi, temerarius eos deberet refundere litigator ad hoc judicis sententia condemnandus; qui si id non egerit, injuriam quidem, & damnum infert male judicando; verum & illa judicis mala judicantis injuria reo convento non venditori cohæredibus aliisve nocere debet: *d. l.* 51. *l. si non injuria* 15. *Cod. eod. tit. de evictionib.* Cujacius *ad d. l.* 102. *ff. de verbor. obligat.* Donellus *ad l.* 18. *Cod. de evictionib. & ad d. l.* 102.

Majore vitio laborat, quod putat, hæredem suos posse convenire cohæredes ad id ut suppleant quando minus propter debitoris inopiam exigere potuit: quamvis enim libens concesserim divisionem vim permutationis aut emptionis habere; tantum tamen abest, ut id ullo modo posset opinioni Pichardi patrocinari, ut potius eam penitus evertat: si namque divisio comparanda sit emptioni permutationi, necessum etiam est, ut iisdem nitatur juris regulis eosdemque sortiatur effectus; at vero indubitatum est & apertissimis sancitum legibus, in nomine vendito sufficere, ut venditor præstat debitorem, seu ut in tantum obligatus sit debitor, quantum nominibus est comprehensum aut quantum venditor asseruit; si minus sit, dictum fuit, eum de evictione teneri: *l. si nomen* 4. *l.* 5. *ff. de hæredit. vel act. vendita*: Leeuwen *censur. forens. lib.* 4. *cap.* 19. *num.* 24. Locupletem autem debitorem præstare non debere, neque venditori quicquam imputandum esse, si forte solvendo non sit debitor; sic ut ad eum non spectet, utrum integrum debitum an vero tantum partem ejus, aut nihil propter debitoris facultatibus destituti paupertatem emptor consecutus fuerit: *d. l.* 4. *ff. de hæred. vel act. vend. l. si plus* 74. §. *ult. ff. de evictionibus*. Quo facit, quod debitor speciei, (qualis est etiam nominis venditor, quique illud in solutum dedit) liberatur rei interitu sine sua culpa contingente: *arg.* §. 3. *institut. de emption. venditione*. Cui consequens est, ut & nominis interitus post assignationem ante vel post cessionem, quæ traditionis loco est, aveniens propter debitoris inopiam emptori vel cessionario, non venditori vel cedenti vel cohæredibus uni non invito nomen integrum assignantibus obesse debeat: Sypæus *notit. juris Belgic. tit. de hæredit. vel act. vendit. in med. pag.* mihi 128. Sanda *tractat. de cession. actionum cap.* 9. *n.* 7. Mantica *de tacit. & ambiguis lib.* 4. *tit.* 13. *n.* 7. *& seqq.*

11 Quod si post consummatam divisionem per unius culpam cæteri cohæredes in pœnam inciderint, aut amiserint rei suæ dominium; veluti si divisa sit inter hæredes emphyteusis, & propter moram unius in canonis solutione res universa ceciderit in commissum; vel sub conditione defunctus quid promiserit, adjecta pœna, si promissis non staret, & exstiterit demum post divisionem perfectam conditio, sed propter solutionis dilationem pœna tota præstanda fuerit (neque enim pœnæ præstatio evitatur partis solutione, sed per moram unius tota committitur), his utique in casibus hæres vel eam pœnæ partem, quam præstare debuit, vel æstimationem partis emphyteuseos, quæ in commissum cecidit ex mora cohæredis, ab ipso moratore repetere poterit juxta cautionem inter cohæredes judicio divisorio interpositam: *l. hæredes* 25. §. *item juris* 13. *& seqq. ff. famil. erciscund. l.* 2. §. 5. *l.* 5. §. 5. *ff. de verbor. obligation.*

12 Quæ autem huc usque de divisionis effectu dicta sunt, non in directis solummodo cohæredibus obtinent, sed & in fideicommissariis. Unde non sine causa controverti posset, si unus ex pluribus hæredibus institutis rogatus fuerit alteri sub conditione hæreditatem restituere, & pendente conditione se mutuo cohæredes ad divisionem provocaverint, post celebratam vero distributionem exstiterit conditio fideicommisso adjecta, hæresne fideicommissarius contentus esse debeat, si restitutæ ipsi fuerint illæ res, quæ per divisionem instituto obvenerunt? De divisione per judicem facta minus est dubium, quin ea teneat & ab hærede fideicommissario rata debeat haberi; cum præsumatur ab actibus judicialibus omnis abesse dolus, omnis fallacia: quod tum præcipue procedit, quando fiduciarius non ipse provocavit, sed per cohæredes ad dividendum defuncti patrimonium provocatus est; eoque movet, quod alibi tradit Ulpianus, si quis rem habens cum alio communem vendiderit extraneo suam partem, & priusquam traderet emptori, communi dividundo judicio conventus fuerit, atque res tota sit adjudicata, emptorem debere talem servare adjudicationem, ac frustra contra venditorem experturum actione ex empto ad tradendam partem venditam, nisi rem totam suscipere pa-

ra-

natus sit: *l. communi dividundo* 7. §. *si debitor.* 15. *ff. commun. dividund.* Si vero per ipsos cohæredes facta fuerit hæreditariorum bonorum distributio, verius nihilominus est, & huic stare debere fideicommissarium, si modo non mala fide in hujus fraudem divisio inter cohæredes intervenisse probetur: *l. servos* 34. *ff. famil. erciscund. l. cum pater* 77. §. *hæreditatem* 18. *ff. de legatis* 2. Cujacius *lib.* 24. *observat.* 27. & 40.

CAPUT XIV.

Quando rescindi possit divisio.

1 *Nihil adeo firmum, quin aliquando vicibus destituatur.*

2 *Rescindi potest divisio per ipsos cohæredes facta.*

3 *Justa rescindendi causa est læsio ultra dimidium.*

4 *Est in arbitrio ejus, qui plus justo consecutus est, utrum velit id quod deest cohæredi supplere, an de novo divisionem instituere.*

5 *Etiam remedium legis* 2. C. de rescind. vendit. *locum habet in divisione per judicem facta.*

6 *Quando quæratur an aliquis ultra dimidium læsus sit, inspicitur æstimatio rerum, qualis fuit tempore divisionis.*

7 *Is, qui se læsum asserit, id probare debet, rejecta opinione Anton. Fabri.*

8 *Si læsio sit infra dimidium, nunquam admittenda divisionis rescissio, sed quandoque locus est actioni de dolo.*

9 *Refutatur error Anton. Fabri.*

10 *Non rescinditur divisio propter enormem læsionem, si quis noverit pretia rerum hæreditariarum.*

11 *Quid obtineat circa rescissionem, si divisio sorte facta sit.*

12 *Rescindi potest divisio per errorem celebrata cum eo, qui hæres non erat, sive facti sive juris errore lapsus fuerit verus hæres.*

13 *Nisi divisio facta fuerit in judicio.*

14 *Vel facta fuerit transactio cum eo, de quo verus hæres dubitabat, cohæres esset nec ne.*

15 *Etiam rescinditur divisio, si celebrata sit inter pauciores hæredes ex pluribus, idque propter supervenientiam absentium & divisionis ignarorum.*

16 *Divisio non rescinditur respectu omnium hæredum, sed tantum illius qui læsus est.*

17 *Rescindi potest divisio etiamsi alteruter dividentium res quasdam jam alienaverit.*

18 *Minori etiam contra divisionem datur restitutio, licet infra dimidium læsus sit, nisi jusjurandum vel dolus minoris se majorem asserentis intervenerit.*

19 *Etiam hæc restitutio contra divisionem ex modica læsione datur iis, qui veniam ætatis impetrarunt.*

1 Inviolabilis & firma debet esse consummata rerum hæreditariarum divisio, nec ab ea temere recedendum, non modo si per arbitrum erciscundæ familiæ facta fuerit, & judiciali confirmata sententia, sed & si cohæredes amicabili compositione vel transactione spontanea citra judicis interventum hæreditatem relictam inter se diviserint: *l. fin. famil. ercisc.* Quia tamen nihil adeo stabile vel constans est in rerum natura, nihil adeo legibus firmatum, quin aliquando suggerat æquitas, ut id, quod gestum est, obligandi facultate careat, idque vel ipso jure vel accedente judicis decreto, vel aliis quibusdam introductis aut confirmatis per jura remediis; mirum quoque nemini videri debet, quod nonnunquam celebrata divisio suis destituatur stringendi viribus, si nimia læsio vel alia quæpiam legitima ejus infringendæ causa subsit.

2 Aut igitur inæqualiter est facta a parente inter liberos, aut ab ipsis cohæredibus, aut a judice. De rescissione distributionis a patre inter liberos factæ propter inæqualitatem per querelam inofficiosi testamenti cap. 2. dictum fusius. Aut per ipsos est celebrata cohæredes, & hanc rescindi posse, nullus ambigit, usque adeo, ut si illa fuerit facta methodo, qua cohæredum alter dividit, alter eligit, nihilominus ipse dividens hanc possit impetrare rescissionem; dum forsan in rerum distribuendarum æstimatione lapsus tam inæquales partes constituit, ut sufficientem præbeant rescindendi causam, tametsi fuerit alias juris & rei familiaris peritus; cum divisio facti sit, in qua prudentissimi quique falli possunt: Anton. Faber *in Cod. Sabaud. lib.* 5. *tit.* 27. *defin.* 5.

3 Quæ vero justæ sint & legitimæ rescissionis hujus causæ, non in omnibus propter contrariantium sibi mutuo Doctorum opiniones expeditum est. Illud quidem minus ambiguum, rescindendam esse divisionem propter ejusmodi enormem læsionem, qua unus pluresve ex cohæredum numero nec dimidiam partem ejus, quod alioquin ipsis competiisset, acquisiverunt, atque ita remedium legis 2. C. de rescind. vendit. locum hic sibi vindicare: est etenim penes plerosque magni nominis jurisconsultos receptum, ac velut communi comprobatum suffragio, non in emptione solummodo d. legis 2. remedium obtinere, verum & ad omnes cæteros bonæ fidei contractus & negotia vires suas extendere; inter quæ cum optimo jure recenseatur etiam erciscundæ familiæ judicium: *§. actionum autem* 28. *instit. de actionib. l. non est* 9. *Cod. famil. ercisc.* nullam satis justam animadverto rationem, cur ab eo quis seclusum vellet d. legis 2. remedium; præsertim cum in plerisque cum emptione venditione conveniat hæreditatis divisio, & eosdem fere sortiatur in jure effectus, sic ut juxta sæpius repetitum Imperatoris Antonini rescriptum emptionis vicem sustineat: *l.* 1. *C. commun. utriusque judicii:* Rebuffus *tract. de rescis. contract. gloss.* 15. *n.* 26. Cujacius *obser. l.* 13. *c.* 24. Wamesius *cent.* 2. *consil.* 37. *n.* 17. Pichardus *post* §. 20. *Instit. de action. p. mihi* 203. *n.* 68. Ant. Mathæus *de obligat. disput.* 15. *n.* 10. Zoesius *ad tit. ff. de rescind. vendit. n.* 20. frustra dissentiente Hunnio *ad Treutler. vol.* 1. *disp.* 19. *thes.* 10. *q.* 21.

4 Utrum autem propter læsionem ultra dimidium ea penitus si rescindenda disquiritur, an vero relinquendum sit illius arbitrio, qui nimium consecutus est, ut vel ratam conservet divisionem, & adversario suppleat quicquid ejus portioni deest; vel eam ita perimi ac rescindi patiatur, ut de novo sit inchoanda perinde ac si facta nunquam fuisset. Et quamvis Molinæus post alios statuat admittendam hic non esse supplendi facultatem, sed divisionem prorsus annullandam, aut restituendam partem excedentem, atque ita judicando servandum asserat: *ad consuetud. Parisiens. tit. 1. §. 22. n. 42.* Non tamen adeo me movere valet horum auctoritas, quin potius cum Rebuffo aliisque existimem, etiam hic hæredi contra quem d. legis 2. remedium imploratur, liberum esse, ut possit, si voluerit, justum cohæredi supplendo pretium satisfacere; adeoque nec pati teneatur divisionis universæ rescissionem, nec ad restitutionem ipsarum rerum superfluarum quæ per distributionem iniquam obvenerunt, adstringendus sit: proinde actoris erit, ut quemadmodum in omnibus aliis, ita & hic alternatim libellum concipiat juxta formam ab ipsis Imperatoribus in d. l. 2. præscriptam: id eadem in divisione, quæ in emptione, suadet æquitas, eadem suadet in utroque negotio desiderata bona fides exuberans; & abunde sic læso consultum est dum extra damnum constituitur, si modo pretium ipsi suppleatur in numerata pecunia: Rebuffus *d. tract. de resciss. contract. gloss. 15. n. 27.* Donellus *ad l. 2. Cod. de rescind. vendit. n. 58. 59.* Argentræus *ad consuetud. Britann. art. 267. n. 15.* Ant. Faber *de error. pragmat. decad. 8. error. 3.* Berlichius *conclusion. practic. part. 3. conclus. 21. n. 68.* Zoebelius *de differ. jur. civil. & Saxon. part. 2. different. 38. n. 7.*

5 In ea autem divisione, quæ judicis arbitrio facta est, locum habere d. legis 2. remedium nonnulli negant: Tuldenus *ad tit. Cod. commun. utriusque judicii n. 1.* Brunemannus *ad l. 3. C. d. tit.* Verum enim vero juri magis consentaneam esse censeo contrariam opinionem, quam & cum aliis amplexus est Christinæus *ad consuetud. Mechliniens. tit. 16. artic. 44. n. 15. & vol. 2. decis. 180. n. 5.* Wesembecius *paratitl. l. ff. fam. ercisc. n. 8.* celebratam scilicet etiam in judicio divisionem propter enormem rescindi posse læsionem: si enim receptum sit a juris interpretibus, venditionem decreto judicis aut etiam ad hastam auctione publica contractam posse dissolvi d. legis 2. remedio, quoties rescissionem desiderans ultra dimidium in pretio se læsum esse docuerit: *arg. l. si quos debitorum, 16. Cod. de rescind. vendit. l. 2. C. de fine & jure hastæ fiscalis*: Gomezius *variar. resolut. tom. 2. tit. 2. n. 23.* Anton. Faber *in Cod. Sabaud. lib. 4. tit. 30. defin. 4.* Vasquius *controvers. lib. 8. cap. 61.* Sande *decis. Frisic. lib. 3. tit. 4. defin. 12.* Nulli videri debet iniquum, si & in judiciali divisione propter læsionem immodicam admittatur rescissio, si modo per evidentia argumenta demonstratum fuerit, eam judiciali divisione uni cohæredum illatam esse: quamvis enim facile concedendum sit, omnem ab actibus judicialibus remotam esse fraudis ac læsionis suspicionem, & omnia præsumi jure riteque peracta, quæ fiunt auctore judice; non tamen inficias eundum, quin ejusmodi præsumptiones quandoque possint per manifestas dispelli probationes, omnisque veritas investigata conjecturis & indiciis cedat; repugnaret utique justitiæ, quod sola jus dicentis auctoritas præberet alterius circumveniendi materiam, aut sub clypeo prætoris quispiam deciperetur. Quibus non refragatur d. l. 3. C. commun. utriusque judic. qua rescriptum ab Imperatoribus, *solere majoribus subveniri in divisionibus per fraudem vel dolum vel perperam sine judicio factis*. Commodam etenim Gothofredus ibidem in notis eamque duplicem suppeditat solutionem: puta; vel verba illa *sine judicio* delenda tanquam supposititia, cum Gregoriano Codice non inveniantur in eadem lege expressa; vel (quod rectius) per verba *sine judicio* non aliud quicquam denotari, quam, *temere & sine consilio*.

6 Quoties autem inquiritur utrum ultra dimidium ex divisione quis læsus sit, oportet, ut certum sit determinatum tempus, quo consideranda rerum omnium hæreditariarum æstimatio: cum ignotum nulli sit, usque adeo solere quotidie imminui vel augeri rerum pretia, ut earum; in quibus quis hodie ultra dimidium deceptus est, intra spatium annale sic valor accrescat, ut non æquales modo sed longe meliores cæteris sint futuræ: *arg. l. pretia rerum 63. ff. ad leg. falcid.* Justum proinde, ut, quemadmodum in læsione probanda, quæ per emptionem venditionem illata est, habendam esse rationem temporis ipsius contractus celebrati rescriptum est: *l. si voluntate c. in fin. C. de rescind. vendit.* Gomezius *var. resolut. tom. 2. cap. 2. n. 22. in med.* Sande *decis. Frisic. lib. 3. tit. 4. defin. 16.* ita quoque in læsione docenda, quæ per divisionem advenit, inspicienda sit distributarum rerum æstimatio, qualis fuit tempore divisionis, non considerato valore, qui fuit ante vel post divisionem, sive creverint sive decreverint earum pretia: Wesembecius *consil. 190. n. 1.* Ant. Faber *de erroribus pragmat. decad. 8. error. 4.*

7 Quamvis in eo summopere videatur allucinatus esse Faber *d. error. 4. n. 3.* quod onus probandi velit injunctum ei, qui negat, divisione læsionem esse procuratam; quasi ex diversitate rerum per erciscundæ familiæ judicium singulis obvenientium oriretur inæqualitatis præsumptio, eaque foret infringenda. Quo posito, quis obsecro non animadvertit, universum inverti judiciorum ordinem? Regula utique juris est, ei qui quid asserit, qui negat, incumbere probationem; & vel lippis & tonsoribus compertum, actori, qualis hic est qui de læsione conqueritur, impositam esse probandi necessitatem, eoque nihil evincente reum absolvendum, nec onere monstrandi contrarium adstringi: *l. actor. 23. C. de probationib. l. qui accusare 4. C. de edend.* quod ingenti Doctorum agmine confirmatum vide apud Augustin. Barbosam, *axiomat. juris usufrequent. 10. n. 2.* Cum itaque nullibi reperiatur excepta divisio, nec ulla causa probabilis in ea diversi quid admittendum suadeat; satius communibus standum erit legum præceptis, & idem hic quod in emptione statuendum, agenti scilicet ad divisionis rescissionem inhærere probandæ læsionis incommodum.

dum. Quod attinet adductam a Fabro rationem, levis ea, nec juris auctoritate firmata; falsum quippe est, ex diversitate rerum illicò inæqualitatis oriri suspicionem, multo minus præsumptionem læsionis ultra dimidium, eamque ita validam ac prægnantem, ut onus probandi rejiceret in adversarium: ingens sane est inter quantitatem & corpus differentia, magna pretii reique distrahendæ diversitas, & forte major, quam rerum dividendarum; & nihilominus eam in venditione præsumptionem inæqualitatis militare sponte negat idem Faber d. loco, dum conquerentem illic de enormi læsione eam probare debere contendit.

8 Quod si commissa quidem fuerit in judiciali vel extra judiciali divisione læsio, non tamen tanta, quia adhuc ultra dimidium debitæ portionis sit consecutus, non desunt plures fama celebres Jurisconsulti, quibus hæc animo sedet sententia, etiam tum indulgendam esse læso divisionis rescissionem, & sufficere, si cohæredum alter notabile damnum inde senserit, atque ita sæpius in Gallia judicatum refert Rebuffus, *d. tract. de resciss. contract. gloss.* 15. *n.* 27. Imbertus *enchirid. juris Gallici verb. divisio perperam facta in princ. pag. mihi* 105. Molinæus *ad consuetud. Parisiens. tit.* 1. §. 22. *n.* 42. Argentræus *ad consuetud. Britann. art.* 267. *num.* 2. 3. Tuldenus *ad tit. C. commun. utriusque judic. n.* 1. Wamesius *cent.* 2. *cons.* 58. *n.* 20. *&* *cons.* 59. *&* *consil.* 46. 47. Mævius *ad jus Lubecens. par.* 2. *tit.* 2. *art.* 29. *num.* 13. *& seqq.* Fachinæus *controvers. lib.* 8. *cap.* 36. *in fine:* Bachovius *ad Treutl. vol.* 1. *disp.* 19. *th.* 12. *lit.* C. Perezius *tit. C. commun. utriusque num.* 4. Verum cum id in cæteris improbatum sit bonæ fidei judiciis, & hic admissum maximam producturum foret litium ac contentionum occasionem; rectius hac distinctione rem omnem puto terminandam, ut si læsionem hanc infra dimidium procuraverit adversarii dolus, ipsa quidem non rescindatur divisio, sed agatur ad id quod interest intentata doli actione, ne alioquin ex sua fraude suaque malitia quis locupletetur: *arg. l. Julianus* 13. *in princ. &* §. 1. *ff. de action. empti l. & eleganter* 7. §. 2. 3. *ff. de dolo l. consilii* 47. *ff. de reg. juris*. Si vero nullus probari possit adversarii dolus, læso non esse succurrendum existimo, nec per restitutionem in integrum, nec per divisionis iniquæ reformationem: Wesembecius *paratitl. ff. famil. ercis. n. fin.* Bronckhorst *enantioph. cent.* 2. *assert.* 12. Sichardus *ad l.* 3. *C. commun. utriusque judic. n.* 3. Zobelius *de different. jur. civil. & Saxon. part.* 2. *different.* 38. *n.* 1. *& seqq.* Berlichius *conclus. practicab. part.* 5. *concl.* 21. *n.* 67. Groenewegen *de legib. abrogat. ad d. l.* 3. *C. commun. utriusque judic.* Brunemannus *ibidem*.

9 Reprobandus proinde rursus error Antonii Fabri, qui *error. prag. decad.* 8. *error.* 2. summis viribus annititur, ut probet, divisionem illam, quæ per æstimationem & electionem aut licitationem cohæredum est celebrata, ne tum quidem rescindi posse, cum manifesto constat, alterutrum ultra dimidium esse læsum. Sed frustra: licet enim alter pro arbitrio liberrime partes constituat, alter pro libitu solus eligat, adeoque penitus exclusa videatur fraus dividentium; illud tamen non impedit, quominus admittenda sit rescissio, cui toties locus est, quoties vel ipsa res in se dolum continet, id est immodicam læsionem: *l. si quis cum aliter* 36. *ff. de verbor. obl.* eamque sententiam, ut veriorem jure merito Doctores probarunt, quam & Sabaudiæ senatui placuisse memoriæ prodidit idem Faber *in Cod. Sabaud. lib.* 5. *tit.* 27. *defin.* 6. Mævius *ad jus Lubecens. part.* 5. *tit.* 15. *art. unic. n.* 24. *& seqq.*

10 Quæ de rescissione divisionis hactenus in medium allata sunt, tum demum obtinent, cum læsus verum ignoravit pretium earum rerum, quas ipse recepit, quasve sibi cohæres acquisivit ex divisione: quod si sciens justam omnium rerum hæreditariarum æstimationem, eam nihilominus portionem susceperit, quæ ne dimidium quidem æquabat illarum partium quæ cæteris cesserunt cohæredibus, frustra petet divisionis rescissionem læsionis immodicæ prætextu, tum quia dici nequit circumventus esse dolo cohæredis aut ipsa re, cum sciens prudensque nemo fallatur: *l. nemo videtur* 145. *ff. de reg. juris*; sed potius id, quod sibi non acquirit, cum haberet acquirendi facultatem, donare videatur, *l. cujus per errorem* 53. *ff. de reg. juris*. Tum etiam quia conqueri nequit se per injuriam esse læsum, eo quod volenti ac consentienti in jure nulla fieri creditur injuria, nullum inferri damnum: *l. quod quis ex culpa* 203. *ff. de reg. juris l.* 1. §. *usque adeo* 5. *ff. de injuriis l. eum donationis* 54. *C. de transact.* Azo *in summ. C. de rescind. vendit. n.* 3. Tyraquellus *de retract. lignag.* §. 1. *gloss.* 18. *n.* 14. Covarruviae *lib.* 2. *variar. resolut. cap.* 4. *n.* 2. Berlichius *conclus. practicab. part.* 5. *concl.* 21. *n.* 71.

11 Simili modo nec in ea divisione, quæ per sortem facta est, concedenda rescissio, quantumcunque damnum inde datum fuerit; cum in omni alea cesset d. legis 2. remedium, propter incertum & dubium sortis eventum, quo uterque in pari spe lucri metuque damni constituitur: *arg. l. nec emptio* 8. §. 1. *ff. de contrahend. emptione.* Ut tamen anxie circumspiciendum ac examinandum sit, num quis per solam sortem seu incertum sortis eventum fuerit ultra dimidium læsus, sciens adeo inæqualem esse factam rerum hæreditariarum distributionem, atque ita portionum attributionem spe lucri imminentis sorti committens: quo casu omnis exclusa rescissio, cum verissimum sit juris axioma, illic, ubi fortuiti casus par in utramque partem ratio est, neutrum videri læsum: Hottomannus *illustr. q.* 14. *vers. sextum est*. Sed si non sola sorte quis damnum passus fuerit, verum in ipsa partium constitutione lapsus, dum putaret, sese sorti committere res æqualiter fere divisas, quarum tamen tanta est inæqualitas, ut partis unius æstimatio duplo superet valorem alterius, & si id scivisset, has noluisset dispares portiones ambiguo dare sortis eventui; absonum non erit a juris ratione, si huic cohæredi per sortem & simul antecedentem iniquam rerum distributionem ultra dimidium læso præstetur contra cohæredem rescissionis auxilium: Tuldenus *ad tit. C. comm. utriusque judicii n.* 2. Rebuffus *tract. de appellation. art.* 3. *gloss. unic. n.* 6. 7. Piuellus *ad l.* 2. *C. de rescind. vendit. par.* 2. *cap.* 1. *n.* 8. Go-

me

mezlos *variar. resolut. tom. 2. cap. 14. n. 4.* Christinæos *ad Mechliniens. tit. 16. ar. 44. in addit. vers. sed quid si forte*: Anton. Faber *de error. prag. decad.* 8. *error.* 2. *n.* 10. Fachinæus *controvers. lib.* 8. *c.* 56. Sande *decis. Frisicar. lib. 4. tit.* 11. *defin.* 1. Augustin. Barbosa *in collect. Cod. ad l.* 1. *C. de pactis n.* 14. Besoldus *in delibct. juris tit. famil. erciscund. n.* 2. Berlichius *conclus. practic. par.* 3. *conclus.* 21. *n.* 71. Bachovius *ad Treutlerum vol.* 1. *disput.* 19. *thes.* 12. *lit. C.*

12 Quod si quis per errorem facti divisionem cum alio celebraverit, quem putabat sibi cohæredem esse, cum tamen postmodum appareat illum nec cohæredem esse, nec ad ejusdem defuncti successionem deboisse concurrere; dubium nulli esse debet, quin protinus cognita veritate rescindenda sit ad hæredis veri petitionem divisio cum falso cohærede facta; error etenim facti, si modo probabilis fuerit, non supina non affectata, excusat errantem, neque quicquam eorum quæ facti ignorantia gesta sunt, ei obesse potest aut in locro captando aut in evitando damno: *d. l.* 9. *§.* 2. *ff. de juris & fact. ignor. l.* 6, 7. 8. 9. 10. *C. eod. tit.* Zoesius *ad pand. eod. tit. n. penult.* Brunemannus *ad l.* 22. *C. famil. erc.* De juris errore non idem forte videri posset dicendum, cum regula prodita sit, ejus, quod per juris ignorantiam datum aut solutum est, cessare repetitionem, neque cuiquam acquirere voleoti juris ignorantiam prodesse sed nocere, errantibus subveniri, non stultis, qui quid contra jus admiserunt: *d. l.* 9. *in princ. & §.* 3. *ff. de jur. & fact. ignoran. l.* 10. *C. eod.* Quibus non obstantibus, probabilius est, recte desiderari posse rescissionem divisionis cum eo celebratæ, quem postea cohæredem non esse constitit; veluti si quis res diviserit hæreditarias cum eo, qui in grado erat remotiore, existimans eum æqualiter ad hæreditatem defuncti admittendum esse, non obstante graduum diversitate; vel si processerit ad divisionem cum alio in eodem quidem testamento, verum inutiliter instituto; dummodo docuerit, dispositionem testamentariam, cujus vitium ante non animadverterat, juris auctoritate destitui respectu cohæredis: *l. si post divisionem* 4. *C. de juris & fact. ignorant. l. cum putarem* 36. *ff. famil. erciscund.* Hieronym. Schurp. *centur.* 1. *consil.* 25. Quo faciunt ea quæ tradidit Christinæus *vol.* 2. *decis.* 182. *n.* 3. aliquoties esse judicatum, fratri succurrendum esse, si quidem ignarus, res quasdam jure præcipui sibi competere, eas cum sororibus diviserit tamquam communes hæreditarias. Sic ut in divisione circa juris ignorantiam sit exceptio a regula, cujus hanc merito rationem reddideris; quod is, qui cum alio res dividit hæreditarias, non statim fateatur eum esse cohæredem: *l. qui familiæ* 37. *ff. famil. erciscund.* Gregor. Tholosanus *syntagm. juris lib.* 5. *cap.* 4. *n.* 7. Quemadmodum non illico de actoris intentione fatetur reus, qui exceptionem ei opponit: *l. non utique* 9. *ff. de exceptionibus:* ibique Gothofred. *in not.* Cujacius *observat. lib.* 9. *cap.* 36.

13 Hæc autem propter juris aut facti errorem impetranda rescissio duas potissimum admittit exceptiones observatas a Mævio, *ad jus Lubecens. part.* 2. *tit.* 2. *art.* 32. *n. fin.* Prima est, si coram judice facta sit divisio: dedit enim eo casu hæres cohæredi putativo partem hæreditatis ex causa judicati seu judicis sententia: *d. l. cum putarem* 36. *ff. famil. erc.* per quam quis ex putativo cohærede verus efficitur; cum res judicata pro veritate habeatur: *l. error facti* 7. *C. de jur. & fact. ignor. l. ingenuum* 25. *ff. de statu hominum*; nec prætextu novorum instrumentorum aut alterius emergentis de novo probationis rescindenda sit: *l. cum de hoc* 27. *ff. de exc. rei judicat. l. Imperatores* 35. *ff. de judicata l. sub specie* 4. *C. eod. tit.* Gregor. Tholosanus *d. cap.* 4. *n.* 7. Zoesius *ad tit. ff. famil. erciscund. n. fin.* Brunemannus *ad l.* 22. *C. famil. erc.* Struvius *ad pand. exercit.* 15. *n.* 5. Quibus contraria non sunt ea, quæ superios dicta de rescindenda divisione per judicem facta, si læsio fuerit enormis; cum illic alia militet pro rescissione ratio: neque enim adeo impugnatur ibi ipsa judicis sententia, quam quidem instituta iniqua rerum hæreditariarum æstimatio: nec tam propter novam causam omnia redintegrantur, quam potius, quia ex falsa causa, falsa pretii determinatione facta fuerat per judicem rerum adjudicatio, qualis jure rescinditur; eo quod cohæres eam impedire nequeat, etiamsi maxime novisset inæqualitatem, eique proinde nihil imputandum: *arg. tot. tit. C. si ex fals. instrument. vel testimon. judicatum sit.* Cum tamen in nostro casu etiam adsit aliqua hæredis ipsius culpa, quod provocaverit vel provocari sese passus sit ab eo, cui jus succedendi non competebat, quodque non satis in ipsius inquisiverit conditionem nec a limine judicii repulerit, opposita exceptione, eum non esse hæredem, juxta *l.* 1. *§.* 1. *ff. famil. erciscund.*

14 Altera exceptio est, si quis cum eo, quem cohæredem esse dubitabat, litis evitandæ causa transegerit, & certas ei per divisionem concesserit res hæreditarias: etiamsi eum postmodum errore comperto apparuerit, alterutrum transigentium solum esse defuncti successorem, non tamen rescissioni locus erit; cum maluerit de jure suo dubitans alteri partem hæreditatis cedere, quam incertum subire litis eventum: *d. l. cum putarem* 36. *in fine, ff. famil. ercisc. l. si non transactionis* 6. *C. de juris & fact. ign.* Nec sane aliud hic statui debuit, quam in re judicata: cum enim ejus vim ac effectum sortiatur transactio: *l. non minorem* 20. *C. de transactionib.* consequens fuit, ut nec propter certam scientiam postmodum supervenientem rescindenda sit: *l. sub prætextu* 19. *Cod. eod. tit.* uti judicatum asserit Christinæus *vol.* 2. *decis.* 182. *n.* 3. *in fine.*

15 Contra quandoque fit, ut ad divisionem hæreditatis non alii admittantur extranei, ad quos successionis emolumentum non pertinet, sed potius veri nonnulli cohæredes omittantur, nec ulla habeatur ipsorum ratio, dum panciores ex pluribus cohæredibus inter se dividunt defuncti patrimonium, ac si soli essent hæredes, nulla cæteris cohæredibus absentibus, aut ignorantibus relicta rerum hæreditariarum portione: *l.* 2. *§.* 4. *ff. fam. erc.* Quia tamen alteri per alterum iniqua non debet inferri conditio, nec jus quæsitum auferri post alterius facto; justum est, ut nec hæc divisio cohæredi absenti vel ignoranti præjudicium adferat, nec per eam ipsius juri quicquam deroge-

tur: *l. inter cohæredes* 44. §. *si cohæredes* 2. *ff. famil. erciscund. l. cohæredibus* 17. *C. eod. tit.* Wamesius *centur.* 2. *consil.* 37. *n.* 11. Rescindenda proinde hæc inter pauciores cohæredes facta divisio, non auxilio legis 2. C. de rescind. vendit. nec etiam extraordinario restitutionis remedio, verum potius erciscundæ familiæ actione, qua cohæres absens, cujus nulla prorsus habita fuit in divisione consideratio, contra suos est experturus cohæredes: *d. l.* 44. §. 2. *d. l.* 17. Quamvis enim verissimum sit, non nisi semel erciscundæ familiæ judicium posse ventilari; id tamen tum demum obtinet, cum iidem actores iidemque rei sunt: si vero postmodum alius quis supervenerit, qui nondum hoc intentavit judicium, ei divisionis rei judicatæ vel transactionis exceptio nequit opponi; cum inter alios acta vel judicata non debeant aliis nocere: *tot. tit. C. inter alios acta aliis non nocere*. Nec locum sibi vindicet exceptio rei judicatæ, nisi concurrant eædem personæ, res eædem, eadem denique causa petendi: *l. cum quæritur* 12. *cum duab. seqq. ff. de except. rei judicatæ*. Quæ nostro casu inveniuntur requisita, propter novum hæredis, qui divisionis tempore absens & forsan omnium ignarus fuit, interventum.

16 Omnibus autem his in casibus, quibus indulta quocumque modo divisionis rescissio, non abs re ventilabitur, penitusne rescindenda sit, ita ut & inter eos, qui læsi non sunt, plane de novo sit facienda perinde ac si nunquam intervenisset, & res omnes hæreditariæ rursus fuissent in communionem redactæ; an potius inter cæteros subsistat, illique pro rata debeant singuli tantum præstare læso, quantum ad ejus portionem cæteris æqualem efficiendam sufficit? Reiterandam vult in omnium cohæredum persona divisionem Wamesius *cent.* 2. *consil.* 47. *n.* 11. Sed sine ullo stabili fundamento: magisque probandum, in cæteris cohæredibus firmam & illibatam esse debere bonorum distributionem, ne alioquin illi contra proprium videantur venire factum, quod jura non permittunt; vide Anton. Fabrum *in Cod. Sabaud. lib.* 3. *tit.* 25. *defin.* 5. Et certe, si propter adventum quidem alicujus cohæredis absentis, cui nihil omnino fuerat acquisitum ex divisione, in universum rescindenda sit inter eos, qui simul diviserunt; sed solummodo, quatenus unusquisque tenetur absenti cohæredi pro rata portionem rerum hæreditariarum, quæ per divisionem obvenerunt, præstare: *d. l.* 44. §. 2. *ff. famil. ercisc. d. l.* 17. *C. eod. tit.* Multo minus utique omnes defuncti facultates jam divisæ rursus in communionem erunt redigendæ cohæredis unius gratia, qui partem suam, licet non integram, ex distributione recepit.

17 Quod si alteruter dividentium res quasdam ex illis, quæ per erciscundæ familiæ judicium acquisitæ sunt, oneroso vel lucrativo titulo jam in alium quempiam extraneum transtulerit; admitti nihilominus posse divisionis rescissionem existimo, non obstante earum alienatione, dummodo nonnulla alia concurrant: aut enim is alienavit, qui propter læsionem desiderat rescindi distributionem aut ipsius adversarius. Ipse quidem læsus si alienaverit, non ante videtur ad ipsius desiderium facienda rescissio, quam si rem in aliam translatam recuperaverit, eam quæ sic exhibuerit in medium, ut nova possit ejus, quemadmodum rerum aliarum hæreditariarum, institui divisio: neque enim sufficere censeo, quod de læsione conquerens pretium ex alienata re redactum conferat, tum quia cuncta saltem ex parte actoris ita sunt in pristinum restituenda statum, atque si nunquam intercessisset divisio: tum etiam, ne alteri (cui electionem competere dictum fuit, velitne læso supplere pretium, an vero de novo dividere), hoc modo iniqua inferatur conditio, dum ipsa res hæreditaria in iteratam non deducitur divisionem, & ita pretium hic cogitur admittere, perempta electione, contra Principum rescriptum *in l.* 2. *&* 8. *C. de rescind. vendit.* Si vero is, cui melior obvenit hæreditariorum bonorum portio, quique læsus non est, res aliquas in alium bona fide transtulerit, abunde satisfaciet, si pretium inde redactum in commune conferat, ubi ab adversario petita fuerit & impetrata divisionis rescissio; cum ei nihil possit imputari, quippe qui rem suam & tanquam suam & jure suo vendidit: Anton. Faber *de error. pragmatic. decad.* 8. *error.* 3. *n.* 4. *& error.* 4. *n.* 6. *vide eundem in Cod. Sabaud. lib.* 3. *tit.* 27. *defin.* 10.

18 Cæterum advertendum est, omnes quidem hasce justas divisionis rescindendæ causas hactenus enumeratas concernere quosvis majores viginti quinque annis; nec minores excludi, quo minus etiam hæc adhibeant, si voluerint, rescissionis remedia. Quia tamen ætatis minoris ingens est favor, qui neutiquam ad majores extendendus; hinc est, quod & ætati accommodatum fuerit juris auxilium adversus factam iniquam hæreditariarum rerum distributionem; tametsi non tam enormis læsio aliave gravior causa subsit: *l. si major* 4. *C. commun. dividund. l. fin. in fine*, *ff. famil. erc*isc. *arg. l. si minor* 34. §. 1. *ff. de minorib.* 25. *annis*. Uti enim in plerisque cæteris negotiis, ita & hic minoris satis erit ad impetrandam restitutionem in integrum, si docere potuerit, se minorem fuisse negotii contracti tempore, quando illud a cohærede negatur, & in facta hæreditatis divisione circumscriptum aut læsum, non considerato, dolusne cohæredis majoris ejusmodi læsioni occasionem præbuerit, an vero utrimque remota fuerit omnis a divisione fraus & mala fides; sufficit enim, quod sua facilitate & ætatis lubrico lapsus minor damnum senserit: *l.* 4. *l.* 5. *l.* 8. *C. de in integrum restitut. minor.* 25. *annis:* Sichardus *ad l.* 4. *C. comm. divid. n. ult.* Variis tamen de causis hanc minoribus denegandam voluerunt restitutionem: si namque minor sponte juraverit de divisione non retractanda, jusjurandum illud inviolate custodiendum est, dum nemini perfidiæ vel perjurii auctores esse volunt Imperatores: *l.* 1. *& auth. sacramenta puberum C. si adversus venditionem*. Quemadmodum nec restituendus adversus divisionem, si per mendacium majorem sese dixerit, propter fallendi propositum: errantibus enim & deceptis, non decipientibus, jura præbent auxilium: *l.* 2. *& tot. tit. C. si minor se majorem dixerit*. Alia omnia circa minores, utpote præsentem materiam parum concernentia, sicco pede transeo.

19 Illud solummodo hic inquirendum, an & illi, qui veniam ætatis impetrarunt a Principe, restitutionem

nem in integram mereantur propter damnum levius per rerum hæreditariarum divisionem illatum. Primo quidem intuito videri posset, hisce non alias ob causas succurrendum esse extraordinario restitutionis remedio, quam propter quas idem majores possent impetrare; eo quod hi, quibus ætatis indulta venia, pro majoribus habentur, & cum ipsis tanquam cum majoribus rite contrahitur; quo eveniret, ut ipsi majores cum his contrahentes auctoritate Principali circumscriberentur: *l. 1. C. de his qui veniam ætat. impetrav.* Probabilius nihilominus est, non minus ei, qui veniam ætatis impetravit quam aliis quibuscumque minoribus subveniendum esse, si modicam solummodo læsionem per divisionem hæreditatis illatam probaverit: sancivit enim sua constitutione Justinianus, ut & hi, qui veniam ætatis habent, non aliter res suas alienent, nisi accedente judicis decreto, uti illud in cæterorum minorum rebus est desideratum; adeo ut quantum ad alienationem, non obstante venia, pro minoribus plane sint habendi: *l. 3. C. de his qui veniam ætat. impetrav.* At vero juris indubitati est, alienationis appellatione divisionem hæreditatis quoque contineri: cum emptionis loco eam haberi & quodammodo permutationem esse superius dictum fuerit *per l. 1. C. commun. utriusque judic. l. 20. §. 3. ff. famil. erciscund. l. 77. §. 18. ff. de legat. 2.*

C A P U T XV.

Quando cesset hæreditatis divisio.

1 *Præscribi non potest juri divisionem petendi longo vel longissimo tempore.*

2 *Longissimo tamen tempore cohæres solus possidens rem hæreditariam, eam præscriptione acquirit.*

3 *Cessat erciscundæ familiæ judicium, si semel eo actum fuerit; notatur opinio Gothofredi & Pichardi.*

4 *Plures tamen hæreditates pluribus delatæ etiam pluribus judiciis possunt dividi.*

5 *Cessat etiam, si testator alium in re certa, alium simpliciter hæredem instituerit.*

6 *Ut & si alius castrensium, alius cæterarum rerum, alius mobilium, alius immobilium hæres sit.*

7 *Testator ad tempus non in perpetuum in testamento suo potest prohibere divisionem.*

8 *Cessat denique propter creditorum hæreditariorum factum ac petitionem.*

1 Non usque peti potest aut fieri rerum hæreditariarum divisio per erciscundæ familiæ judicium, obstante legis dispositione, vel prohibitione testatoris aut creditorum ejus. Censuit quidem olim Azo in *summ. C. famil. ercisc. n. 10.* eumque secutus inter posteriores Hunnius ad *Treutler. vol. 1. disp. 19. th. 8. q. 13.* longi vel longissimi temporis præscriptione quoque perimi facultatem erciscundæ familiæ actionem intendi, adeo ut postmodum nequeat communione recedi, consorte repugnante. Communior tamen est Doctorum opinio, non currere præscriptionem, quamdiu durat ipsa rerum hæreditariarum communio, & uterque simul eas pro indiviso possidet; sed cohæredes semper posse familiæ erciscundæ judicio inter se experiri, nullo temporis lapsu illud impediente. Nec hæc sententia suis est destituta rationibus: si enim adinventa sit usucapio & præscriptio, ut tolleretur omnis contentionum materia, & aliquis esset litium finis: *l. fin. ff. pro suo*; non utique debebit ita rerum communionem introducere, ut in posterum ab ea nunquam recedi posset; cum eo modo lites non amputarentur, sed potius continua præberetur occasio discordiarum, quas solet excitare communio: *l. cum pater 77. §. dulcissimis 20. ff. de legatis 2.* Præterquam quod quis eo ipso, quo conjunctim cum alio possidet, consortem agnoscit; cum tamen usucapio vel præscriptio non possit ei competere, qui rem non possidet animo domini nec nomine proprio, sed communi, non tantum sibi, sed & consorti suo pro indiviso; sic ut nullus sit contra quem præscribat: *arg. l. 2. l. cum notissimi 7. §. immo & illud 5. Cod. de præscript. 30. vel 40. annorum.* Quibus & illud non leve momentum adfert, quod juri luendi pignoris ex pluriorum interpretum sententia præscribi nequeat: Mynsingerus *cent. 1. observat. 16.* Cujacius *ad l. pignori 13. ff. 13. ff. usurpat. & usucapionibus* Andr. Gayl. *lib. 2. observat. 17. n. 4. & seqq.* Bronckhorst *enantioph. cent. 4. assert. 4.* Christinæus *vol. 3. decis. 32. n. 17. 18.* Anton. Matthæus *parœm. Belg. Jurisc. parœm. 9. n. 6.* Cui in hac quæstione simillimum est jus a communione recedendi: quemadmodum enim pignoris luitio res meræ facultatis est, circa quam nulla est recepta præscriptio; ita quoque liberrimæ cohæredis voluntati & arbitrio relictum est dissoluta communione res sibi proprias habere; sic ut ipsa communio ejusque dissolutio res meræ facultatis sit, ad quam invitus nemo compelli, in qua invitus nemo detineri potest: *l. fin. C. commun. divid. l. si non sortem 26. §. si centum 4. ff. de condict. indebiti:* Balbus *tract. de præscriptionib. quart. part. quart. princ. quæst. 13.* Zasius *ad §. 20. instit. de actionib. n. 11.* Hieron. Schurp. *cent. 2. consil. 37. n. 18.* Cravetta *consil. 60. num. 1. 2.* Schneidwinus ad *§. 20. instit. de actionib. de fam. ercisc. n. 67. & seqq.* Bronckhorst *enantioph. cent. 2. assert. 14.* Fachinæus *controvers. n. 6. cap. 36.* Pichardus *post §. 20. instit. de actionib. pag. mihi 197. n. 9.* Zoesius *ad tit. ff. commun. dividund. n. 2.* Bachovius ad *Treutler. vol. 1. disp. 19. thes. 8. lit. A. B.* Struvius *in exercit. ad pand. 15. n. 4.* Brunemannus *ad l. 1. C. de annali exceptione.*

2 Quod si tamen (quod hic verbo notandum) unus cohæredum rem hæreditariam communem per tempus longissimum sine cohærede suo solus ac nomine proprio tanquam suam possederit, præscriptioni locus erit: quæ non ad eum tendet effectum, ut illius rei contemplatione perpetua inter cohæredes introducatur communio; sed potius, ut alter cohæredum, qui solus possedit, in perpetuum sibi reservet integræ illius hæreditariæ rei dominium. Qui constitutionis Justinian. sensus est in *l. 1. §. 1. C. de annali exceptione.*

3 Cessat autem in perpetuum ipsa legis prohibitione judicium erciscundæ familiæ, si semel eo cohæredes inter se fuerint experti: *l. si filia* 20. §. *famil.* 4. *ff. famil. erciscund.* Paulus *recent. sentent. lib.* 1. *tit.* 18. ibique Cujacius, Bronckhorst *enantioph. cent.* 2. *assert.* 11. Garsias *de expens. & meliorat. cap.* 19. *num.* 8. Sichardus & plerique DD. *ad l.* 1. *C. famil. ercisc.* Struvius *ad pand. exercit.* 15. *num.* 15. Cum enim facta rite divisio firma sit, frustra quis ad iteratam rerum jam divisarum distributionem contenderet, præsertim quia universale est judicium erciscundæ familiæ, quod circa bonorum universitatem, seu hæreditatem versatur: plures autem unius defuncti nequeunt hæreditates esse, proinde nec sæpius inter ejus hæredes hoc universale judicium moveri. Exceptionem tamen a regula subjungit Ulpianus *in d. l.* 20. §. 4. dum ait, causa cognita posse iterato agi familiæ erciscundæ actione: quod ad eos casus referendum existimo, quibus propter læsionem aliamve justam causam alter cohæredum rescissionem aut in integrum restitutionem impetravit adversus celebratam divisionem: cum enim hoc modo rursus introducta sit rerum hæreditariarum communio, non aliud superesse potest remedium, quo a communione illa discedatur, quam si denuo per erciscundæ familiæ judicium cohæredes inter se distribuant hæreditatem. Sic ut minus recte Gothofredus *in not. ad d. l.* 20. §. 4. & Pichardus *post* §. 20. *institut. de actionib. pag. mihi* 203. *n.* 75. autument, exceptionem, cujus mentionem fecerat Ulpianus, occurrere in casu legis 35. ff. de pactis, ubi Modestinus hanc proponit facti speciem: cum Titius & Mævius & Seja communem divisissent suæ matris hæreditatem, intervenientibus instrumentis, quibus profitebantur se omnia divisisse, neque quicquam remansisse commune; postmodum apparuit, unum ex fratribus auream subtraxisse pecuniam; quæsitum fuit, an ad pecuniam illam pro rata competat actio? respondit Jurisconsultus, non esse denegandam; & si opponatur pacti generalis exceptio, eam doli replicatione elidendam esse. Hanc actionem Gothofredus & Pichardus volunt esse universalem erciscundæ familiæ: verum maxime falluntur, nec illud ibi asseritur; simpliciter actionem competere Modestinus ait; at illa post finitum erciscundæ familiæ judicium est actio communi dividundo: illud etenim receptum est, quoties aliquæ res hæreditariæ remanserint indivisæ, toties per communi dividundo judicium cohæredes divisionem exigere: *d. l.* 20. §. 4 *in fin.*

4 Si nihilominus iidem sint plurium hæredes, cum non una sed plures sint universitates, etiam separatim possunt inter se singularum hæreditatum nomine experiri, neque necesse est, ut omnes plurimorum defunctorum res hæreditarias simul uno eodemque dividant erciscundæ familiæ judicio, ne forsan inde confusio nascatur: quamvis inficias eundum non sit, in cohæredum esse arbitrio, num velint uno judicio rerum omnium hæreditariarum communionem dirimere: *l. hæredes* 25. §. *de pluribus* 3. & *seqq. ff. fam. ercisc.* Præsertim si ad omnium successionem in æquales portiones ex testamento vel lege fuerint vocati, veluti si paterna & materna vel fratrum eodem fere tempore defunctorum dividenda sit inter fratres hæreditas: Brunemannus ad *l.* 8. *fam. ercisc.*

5 Ipso quoque jure cessat inter cohæredes divisio, si testator alium scripserit hæredem simpliciter, alium ex re certa, velut ex fundo Corneliano Semproniano: ut ut enim verum sit, talem in re certa hæredem institutum esse hæredis non adjecta rei mentione vocati cohæredem; quatenus eo non adeunte, hic accrescendi jure gaudet, & totam percipit hæreditatem, ac si simpliciter sine re fuisset institutus: *arg. l. quoties volens* 9. §. *si duo* 13. *l.* 10. *l.* 11. *ff. de hæredib. instituend.* Gomezius *tom.* 1. *variar. resolution. cap.* 10. *num.* 14. Nullum tamen inter eos esse potest erciscundæ familiæ judicium: quemadmodum enim ejusmodi divisio non obtinet inter hæredem & legatarios; ita nec inter hæredem simplicem & alium ex re certa scriptum, cum hic contemplatione judicii familiæ erciscundæ solummodo legatarii loco habeatur, usque adeo, ut nec pro rata rei institutionis titulo sibi relictæ ferre teneatur onera hæreditaria: *l. quotiens certi* 13. *C. de hæredib. instituend.* & ad eam Raguellus *in comment. ad leges Justinian.*

6 Eodem modo locum sibi non vindicat hæreditatis divisio, si testator alium castrensium alium cæterarum rerum hæredem scripserit: cum enim illic quasi duo videantur esse defuncti patrimonia, & per ipsas leges separata sint a cæteris bona castrensia, alter cum altero nihil commune possidet, nec ulla res est, quæ posset in hoc judicium dividenda deduci; licet & in eo casu, deficiente alterutro, vigere debeat jus accrescendi: *l. si certarum* 17. §. 1. *ff. de testam. milit. l. cum militi* 16. *ff. de compensationib.* Unde si quis sine testamento fuerit defunctus, & plures reliquerit ab intestato hæredes, quorum alii in immobilia, alii in mobilia consuetudine vel lege loci vocantur; etiam verius existimo, locum non esse futurum huic divisorio judicio; cum & lex & ipsa natura suas cuique partes dederit, ac prævenerit circa divisionem judicis, aut cohæredum officium. Quæ & ratio est, quod non detur hoc erciscundæ familiæ judicium, si nullæ res in hæreditate reperiantur distribuendæ, sed sola nomina per legem ipsam duodecim tabularum inter cohæredes divisa: *l. hæredes* 25. §. 1. *ff. fam. ercisc.* Illud enim in universum est observandum, toties hoc judicium cessare, quoties non sunt nec fuerunt in hæreditate res communes, quarum gratia intentaretur: *l. familiæ* 6. *C. commun. utriusque judic.*

7 Utrum autem testator in suo testamento possit efficere, ut cesset erciscundæ familiæ judicium, dum vetat bonorum hæreditariorum divisionem, & hæredibus injungit, ut in eorum communione remaneant, dissona reperiuntur responsa Jurisconsultorum: auctor enim est Ulpianus, in ea Marcellum opinione fuisse, ut inutilem esse crederet ejusmodi voluntatem testatoris, suisque viribus destitui, adeo ut ipsam quoque institutionem, cui talis adjecta conditio, nullam esse voluerit: ipse vero hac reprobata, Juliani sententiam ut æquiorem amplexus est, *l. si qui ita* 4. *ff. de condition. institution.* durum quippe foret & iniquum si testator ea non posset cum effectu suis in-

injungere successoribus, de quibus ipsi possunt inter se per conventionem obligari. Quemadmodum igitur ipsis cohæredibus liberum est se mutuo pacti vinculo constringere, ut ad certum tempus in communione remaneant: *l. in hoc judicium* 14. §. *si inter socios* 5. *ff. commun. dividund.* ita quoque licitum debet esse testatori, ut si voluerit hanc adjiciat hæredum institutioni cum effectu conditionem, ne intra certum tempus cohæredes ad divisionem prosiliant; eique prohibitioni parendum erit: *d. l.* 4. *ff. de conditionib. institut.* Fusarius *de substitutionibus quæst.* 707. *num.* 19. Peregrinus *de fideicommissis art.* 11. *num.* 80. Quapropter rejicienda opinio, quam nullo jure defendit Petrus Zans *tract. de division. bonorum lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 23. hæredem scilicet, non obstaute prohibitione de non dividendo ad tempus, etiam ante lapsum ejus ad divisionem posse procedere; hoc ductus ratione, quod quisque possit favori pro se introducto renunciare, etiamsi jurisjurandi religione cohæredes testatori promisissent, se stare velle ejus interdicto. Ut enim de jurejurando sileam, contra quod nec minores venire debere sancivit Imperator, ne perjurii & perfidiæ auctor ipsis esset: *l.* 1. *C. si adversus venditionem*, ne simplicem quidem voluntatem testatoris negligendam esse verius est: licet enim dubio careat, quemque favori pro se introducto posse renunciare, corruet nihilominus ipsius opinio, si prohibitionem illam in solam hæredum gratiam fuisse factam negaverim, & expeditum sit, neminem alterius favori posse renunciare. Quin potius major est præsumptio, eam adjectam esse in extraneorum veluti creditorum & legatariorum favorem, ut ita illi tanto facilius a cohæredibus etiamnum in communione permanentibus consequi possent sibi debitum. Quantum autem temporis spatium iis possit testator præscribere, legibus non est definitum, proinde relinquendum arbitrio jus dicentium: hoc constat, eum posse testamento prohibere divisionem per longum tempus: cum in formula institutionis in d. l. 4. proposita mentionem fecerint Jurisconsulti sexdecim annorum. Contra vero, uti ipsi cohæredes se nequeunt obligare, ut in perpetuum in communione rerum hæreditariarum persistant, nec etiam ulla societatis in æternum coitio admittitur: *d. lib.* 14. §. 2. *ff. commun. dividund. l. nulla societatis* 70. *ff. pro socio*. Sic nec testatori concedendum ut ejusmodi legem in testamento suis dicat hæredibus: Balbus, *tract. de præscriptionibus quart. part. quart. princ. quæst.* 13. *num.* 5. Boerius *decis.* 87. Andr. Gayl. *lib.* 2. *observat.* 139. *n. ult.* Tuldenus *ad tit. C. commun. dividund. n.* 2. Thesaurus *decis.* 142. Martinus Schickardus in *logica juridic. loc.* 1. *a subjecta materia cap.* 1. *num.* 3. 84.

8 Cessat denique familiæ erciscundæ judicium propter creditorum hæreditariorum factum ac petitionem: praxi namque quotidiana receptum est, creditores exigere posse a domicilii defuncti judice, ut tam diu rerum hæreditariarum divisionem inter cohæredes faciendam inhibeat, donec ipsis vel solutione satisfactum fuerit, vel cautione præstita satisdatum.

CAPUT XVI.

Ubi judicium familiæ erciscundæ intentandum sit.

1 *Judicium familiæ erciscundæ institui potest & in loco rei sitæ & in loco domicilii cohæredis.*

2 *Si cohæredes singuli ex privilegio diversum sortiantur judicem, actor rei forum sequi debet, nisi & beneficium haberet evocandi adversarium ad suum judicem.*

3 *Unus judex potest hæreditatis totius divisionem perficere, licet res sub diversis judicibus sitæ sint.*

4 *Etiam apud judicem non competentem divisio fieri potest, & facta subsistit.*

1 Duplici potissimum ratione litigantes forum sortiri competens, probatione non indiget dum illud æstimatur aut ex domicilio illius quocum contenditur, aut ex situ rei, de qua controversiam alter alteri movet: *l. quod legatur* 38. *ff. de judic. lib.* 2. *C. de jurisdict. omnium judic.* Si itaque post aditam hæreditatem unus ex cohæredibus velit a communione discedere, eumque in finem instituere familiæ erciscundæ judicium, dubium est, utrum in actoris arbitrio sit, veline cohæredem convenire in loco domicilii ipsius, an vero eo loci, ubi sita res hæreditaria? Illi quidem, qui omnino mixtum statuunt hoc erciscundæ familiæ judicium, sese facilius expediunt, utrumque forum esse competens asserentes, & actori tribuentes electionem: Petrus Zans *de divis. bonor. lib.* 1. *cap.* 3. Verum cum primo capite pluribus adstruxerim, primario judicium hoc in rem esse, per consequentiam tantum in personam; videri posset, hanc actori non esse concedendam electionem nec divisionem hæreditatis posse peti coram eo judice, ubi cohæres ad divisionem faciendam compellatus domicilium habet, sed solummodo coram eo, sub cujus jurisdictione jacent obnoxia divisioni bona: hæc enim quorundam juris interpretum est sententia, actiones in rem non aliter quam coram rei sitæ judice ventilari posse: cum in iis non tam personæ quam potius ipsius rei ratio habeatur: Donellus *comment. jur. civil. lib.* 17. *cap.* 17. ibique Hilligerus, Perezius, *tit.* 1. *Cod. ubi in rem actio n.* 1. Illa tamen non efficiunt quo minus & in loco domicilii cohæredis & in dividendæ rei loco pro actoris arbitrio hanc actionem instituti posse censeam: quod enim attinet opinionem, quæ actionem in rem illic tantum intentari posse statuit ubi res sita est; de ejus veritate non sine causa dubitaverim, cum legibus manifesto repugnet; contra namque disertis verbis rescriptum ab Imperatoribus *in l. fin. Cod. ubi in rem actio* utroque in loco forum esse competens: *actor*, inquiunt, *rei forum, sive in rem sive in personam sit actio, sequitur; sed & in locis, in quibus res, propter quas contenditur, constitutæ sunt, jubemus in rem actionem adversus possidentem moveri*. Quod facit, quod & hæ-

re-

reditatis petitio sit in rem actio: *l.* 8. *l.* 9. *ff. de hæreditat. petit.* quam tamen in loco domicilii institui posse, sancitum est, *l. unic. Cod. ubi de hæreditat. agatur*: Tyraquellus *de retract. lignag.* §. 8. *gloss.* 5. *num.* 9. Tuldenus *ad tit. C. ubi in rem actio:* Groenewegen *de legib. abrogat. ad tit.* C. *ubi de possessione agi oporteat:* Brunemannus *ad l.* 3. *C. ubi in rem actio in fine*, *ibique citati*.

2 Quod si duo pluresve sint cohæredes, quorum alii aliud habent forum, licet eodem in loco commorentur; (veluti si miles sit alter, alter paganus, alter plebejus, alter nobilis studiosus, aut advocator privilegio munitus, alter major, minor alter aut vidua aliave persona miserabilis, quales multis in locis non promiscue, coram quocunque possunt judice conveniri, ut id testatur Zoesius, *ad tit. ff. de judiciis n.* 82. 83.) observanda erit generalis illa juris regula, quod actor sequi debeat rei forum, ne judiciorum evertatur ordo: *d. l.* 2. *C. de jurisdict. omnium judic. l.* 3. *C. ubi in rem actio*. Proinde si miles ad divisionem provocet, coram civili judice suum debebit in jus vocare cohæredem paganum. Idem quod in cæteris fori privilegio gaudentibus dicendum est, nisi insuper iis & hoc ex speciali beneficio datum esset, ut adversarios quoque possent ad suum evocare judicem. Si vero miles aliusve fori præscriptione gaudens cohæres ad divisionem provocetur, non nisi coram suo militari judice conveniendus erit: *l. magisteria potestati* 6. *C. de jurisdict. omnium judicum*. Licet in Hollandia receptum sit, ut in quibuscunque causis civilibus & ad militarem judicem & ad provincialem Holland. curiam, non item ad inferiora tribunalia miles vocari possit: Groenewegen *de legib. abrogat. ad d. l.* 4. de quo latius scripsi *tract. de jure militari c.* 8. *n.* 10.

3 Quamvis autem patrimonium defuncti fuerit diversis in locis seu provinciis dispersum, quæ non eodem jure reguntur, nec iisdem aut similibus adstringuntur legibus, quas in regione domicilii defuncti solent observare; non tamen ideo necessum est, ut multiplex instituatur rerum hæreditariarum divisio, plures adeantur judices, quorum in territorio ac jurisdictione jacent bona dividenda; quasi rerum Italicarum distributio foret exigenda coram Italico, provincialium coram provinciali judice: sed potius coram uno eodemque celebrari rite potest bonorum defuncti divisio, ubicumque locorum sita quibuscunque regionum statutis adstricta fuerint; præsertim cum erciscundæ familiæ judicium sit universale quod semel tantum intentari potest: *arg. l. si idem* 11. §. *ult. ff. de jurisdictione*, *l.* 1. & 2. *ff. de quibus rebus ad eund. judicem eatur:* Anton. Faber *in C. Sabaud. lib.* 3. *tit.* 25. *defin.* 3. Christinæus *ad consuet. Mechliniens. tit.* 16. *artic.* 48. *num.* 9. Wass. *pract. judic. cap.* 11. *n. fin.* Novum etenim non est, sed quotidiana tribunalium consuetudine comprobatum, ut judex etiam de rebus sub judicis alterius jurisdictione jacentibus cognoscat, ac circa illas decidat & dirimat motas inter litigantium gregem controversias; dummodo suam tulerit sententiam convenienter iis statutis, quibus res illæ reguntur, tametsi in ipsis bonis alibi sitis ejusmodi res judicata nequeat exsecutioni mandari; nisi per judicantem imploretur judicis territorii rei sitæ auxilium, missis literis, quas vocant, requisitorias; qui tunc ipse sequetur & observabit ex comitate in justitiæ favorem, id quod per alium judicis officia fungentem judicatum fuerit; late Rebuffus *in præfat. & tot. tract. de literis requisitoriis:* Goris *ad consuetud. Velaviæ cap.* 20. *art.* 8. parens p. mem. Paulus Voet *tract. de natura mobilium & immobilium cap.* 12. *num.* 2.

Quin imo, etiamsi cohæredes judicem non competentem adiverint, ut discederent ab hæreditariarum rerum communione, & post consummatam divisionem consensum ei adhibuerint, eam quoque servare tenentur, frustra novam coram alio judice tentari distributionem: *l.* 2. *C. commun. utriusque judicii.* Ut ut illa divisio non tam subsistat auctoritate sententiæ quam vi approbationis ac velut taciti pacti inter dividentes quasi qui videantur ex compromisso judicem adivisse non suum, uti id observat Sichardus *ad d. l.* 2. *n.* 5. Brunemannus *ibidem*.

INDEX GENERALIS

RERUM ET MATERIARUM

IN COMMENT. AD PAND. CONTENTARUM.

Numerus primus Librum, secundus Titulum, tertius Paragraphum Tituli, quartus Tomos designat.

Ubi autem post numerum primum ponitur litera D. cum numero, denotatur digressio de Feudis, addita ad finem Libri trigesimi octavi.

A

Abortio partus.

Quale hoc crimen sit? Quæ sit pœna mulieris partum sibi abigentis? Quæ illius, qui poculum abortionis dedit, sive medicus, sive alius? An liceat partum abigere, si vel matri vel patrui pereundum sit? De distinctione partus vitalis & necdum vitalis. 47. 11. 5. Tom. 6.

Abbas.

An dolus Abbatis noceat monasterio? 26. 9. 5. Tom. 4.

Abdicatio bonorum.

De abdicatione bonorum post obitum mariti per viduam facta, ut se debitis subducat, & solemnitate ejus; & quid, si maritus peregre moriatur, vel uxor tempore sepulturæ mariti absit a domo mortuaria sine dolo? An debeat omnia sua abdicare? Quid, si ante vel post solemnitatem abdicationis quædam interverterit? 42. 5. 12. t. 6. p. 31.

An & marito competat hoc jus abdicationis, si uxor publica fuerit mercatrix? An ipsi uxori, publicæ mercatrici? An viduæ ratione debiti clam viro contracti, posito statuto, quod inde possit soluto matrimonio conveniri? An vidua per talem abdicationem liberetur a debitis suis matrimonio antiquioribus? An competat hæredibus mulieris, si illa in matrimonio decedat? 42. 5. 13. Tom. 6.

Abigeatus.

Quid sit hoc crimen, quo modo, & in quæ animalia committatur, in quæ non? 47. 14. 1. Tom. 6.

De pœnis; & quid sit hoc tit. ad *gladium abigeos damnari*? Monstratur, non esse ludum gladiatorium. 47. 14. 2. Tom. 6.

An *plenius*, an vero *lenius* puniendi a stabulis abigentes, aut animalia minora? 47. 14. 3. Tom. 6.

Abolitio.

De desistentibus ab accusatione sine abolitione: quando quis videatur destitisse; quæ sit pœna eorum; & quando pœna cesset? 48. 16. 1. & *seqq.* Tom. 6.

Quid sit publica seu generalis abolitio; & ex quibus causis concedatur? Quis effectus ejus; & ad quæ crimina aut personas non pertineat? 48. 16. 3. Tom 6.

De missione in possessionem, si non caveatur legatorum nomine, vide *missio in possessionem.*

De cautione *damni infecti* nomine, vide *Damnum infectum.*

De cautione *rem pupilli salvam fore*, 46. 6. 1. 2. Tom. 6.

De cautione *judicatum solvi*, 46. 7. 1. Tom. 6.

De cautione *rem ratam haberi*, 46. 8. 1. & *seqq.* Tom. 6.

Cautio de sistendo.

In jus vocati caveant de sistendo, si per se stent in judicio. Quo modo hodie caveant tum rei tum actores, 2. 8. 1. Tom. 1.

Cavendum de sistendo datis fidejussoribus idoneis facultatibus & conveniendi facilitate, 2. 8. 2. Tom. 1.

Qui sint inidonei difficultate conveniendi. Quid si sint alterius territorii, aut privilegio fori gaudentes, 2. 8. 3. Tom. 1.

Inidonei facultatibus fidejussores reprobari possunt, sed si admissi, de novo cavendum non est. Contra si pendente demum lite labantur facultatibus, 2. 8. 3. Tom. 1.

Quinam jura civili defuncti potuerint, dando fidejussores, de sistendo minus idoneos facultatibus, 2. 6. 1. & 2. Tom. 1.

Quinam jure civili potuerint defuncti jurato cavendo de sistendo, propter dignitates vel munera, vel quia fidejussores invenire nequeunt, aut immobilia possident. Et quid hodie, 2. 8. 4. Tom. 1.

Quinam tantum repromittant, 2. 8. 5. Tom. 1.

Hodie minus in usu est cautio de sistendo; nisi in criminalibus, aut arresto detentus sub cautione de sistendo laxetur. Quales tunc dandi sint fidejussores, 2. 8. 6. Tom. 1.

Si fidejussorem invenire nequeat arresto detentus, quales cautiones admittendæ sint ad impetrandum arresti laxamentum, 2. 8. 7. Tom. 1.

Reliqua de arrestu sub cautione laxando vel non, vide in verbo *arrestum.*

Cautione idonea per judicem rejecta vel admissa minus idonea, appellari ab eo decreto potest; sed appellatione omissa judex non tenetur, 2. 8. 9. Tom. 1.

In multis locis reus non laxandus, nisi cum cautione de sistendo jungat cautionem de judicato solvendo, 2. 8. 10. Tom. 1.

Quo modo cavendum sit de sistendo, si ex noxali causa agatur, 2. 9. 1. Tom. 1.

Quo modo coerceatur, qui dolo facit quo minus in judicio se sistat, 2. 10. 1. & *seqq.* Tom. 1.

Cautio judicatum solvi.

Cum cautione de sistendo in multis locis jungenda cautio de judicato solvendo. Et in eo spectanda consuetudo loci judicii, 2. 8. 10. Tom. 1.

In quibus differat cautio de judicato solvendo a cautione de sistendo; in quibus conveniat, 2. 8. 11. Tom. 1.

Plures cohæredes aut alii litis consortes pro se invicem idonei de judicato solvendo fidejussores sunt, 2. 8. 12. Tom. 1.

Parentes vocati a liberis etiam hanc præstant cautionem, & idoneos debent fidejussores dare, 2. 8. 13. Tom. 1.

Tutores litigantes pro pupillis non caveant de judicato solvendo, sed tantum obligant pro judicato bona minorum, 2. 8. 13. Tom. 1.

Quot clausulas contineat cautio judicatum solvi, & an contineat certam quantitatem, 2. 8. 14. Tom. 1.

Quando committantur clausulæ cautionis judicatum solvi, an etiam comprehendantur impensæ litis, si in eas reus damnetur, 2. 8. 15. Tom. 1.

Fidejubentes judicatum solvi easdem cum reis dilationes habent, 2. 8. 16. Tom. 1.

An etiam ordinis aut divisionis beneficium habeant, 2. 8. 16. Tom. 1.

Fidejussores hi sine nova lite ex rei principalis condemnatione executionem patiuntur, & vicissim contra reum regressum habent, 2. 8. 17. Tom. 1.

Evanescit cautio judicatum solvi, si libellus, vel actoris aut rei persona post cautionem interpositam mutetur, 2. 8. 18. Tom. 1.

Uti & mutato judice, 2. 8. 19. Tom. 1.

An is, qui apud inferiorem judicem fidejussit judicatum solvi, etiam teneatur ex sententia per judicem superiorem appellatum lata, 2. 8. 19. Tom. 1.

Cautio de non offendendo.

Est optimum remedium adversus minas, 4. 2. 13. Tom. 1.

Cautio fructuaria.

Qualis cautio in vero & quasi usufructu & usu & habitatione interponenda sit, & quid restituendum sit, ut satis fiat cautioni de restituendo, 7. 9. 1. Tom. 2.

De inventario per fructuarium faciendo, vide *inventarium.*

Cavet fructuarius datis fidejussoribus. Quid si fidejussore invenire nequeat. Quid si per contumaciam cavere nolit 7. 9. 3. Tom. 2.

Quis cavere debeat, si legatarius usumfructum legatum alteri restituere rogatus sit, 7. 9. Tom. 2.

Cavendum illis, ad quos ususfructus finitus redibit; singulis, si plures sint; utrique, si incertum, ad quem ex duobus reditus sit; etiam confructuario ob jus accrescendi, 7. 9. 5. Tom. 2.

Eva-

Evanescit cautio, si is, cui cautum, durante usufructu amittat proprietatem, 7. 9. 6. Tom. 2.
Quibus cautio a lege remissa sit, an ei, cui ususfructus pure, proprietas in diem vel sub conditione legata, an moribus etiam matri, 7. 9. 7. Tom. 2.
An donatori, 7. 9. 8. Tom. 2.
An cautio fructuaria remitti possit per eum, qui usumfructum actu inter vivos constituit. An & hæres testatoris usumfructum legantis. An & ipse testator respectu muneris utriusque fructuariæ cautionis, 7. 9. 9. Tom. 2.
Quo modo per indirectum testator possit fructuario remittere cautionem, 7. 9. 10. Tom. 2.
Cautio ab initio non exacta, postea tamen durante usufructu exigi potest, sine ulla temporis præscriptione, 7. 9. 11. Tom. 2.
Si cautio fructuaria exacta non sit, quibus remediis proprietarius finito usufructu ad rerum restitutionem experiri possit, 7. 9. 11. Tom. 2.
Cautio non est de substantia veri vel quasi ususfructus, 7. 9. 11. Tom. 2.

Cedendarum actionum beneficium.

Fidejussor tutoris solidum solvens pupillo, an & quando petere possit, sibi cedi actiones contra contutores ejus, pro quo fidejussit, & confidejussores suos, 27. 7. 2. Tom. 4.
An, si pignoribus & fidejussoribus cautum sit, etiam pignorum intuitu actio fidejussori cedenda sit. An &, si pignora adhuc in aliam causam obligata sint. An cedendæ fidejussori actiones, si tantum partem debiti, licet sua majorem, solverit. An, si solverit unam aut alteram pensionem debiti annua, bima, trima die solvendi, 46. 1. 27. Tom. 6.
Cur necessaria sit fidejussori cessio actionum contra confidejussores, & respectu pignorum pro eodem debito obligatorum. Cur & necessaria mandatori contra eum, qui credi mandavit. Cur non necessaria fidejussori contra debitorem principalem. Quibus in casibus cessio actionum fidejussori contra debitorem utilis ac necessaria sit. Ubi fidejubente pro invito, pro debito actione privilegiata exigendo, aut paratam habente executionem, 46. 1. 28. Tom. 6.
Si creditor quosdam fidejussores liberaverit, nec ideo actiones contra eos cedere possit, an reliquos pro partibus dimissorum excutere possit, si careant beneficio divisionis. Quid, si non dimissi, sed pauperes facti. Cedendæ actiones contra reliquos, deducta virili parte solventis solidum. An unus, solido soluto, solidum ab uno ex reliquis confidejussoribus petere possit, subducta sua parte virili, an magis a singulis partem virilem. Si ex reliquis, in quos actio cessa, quidam solvendo non sint, an id æqualiter omnes gravet, 46. 1. 29. Tom. 6.
An fidejussor post factam solidi solutionem petere possit, sibi actiones cedi contra confidejussores. An mandator. Et quid moribus in fidejussores. An hodie fidejussor, qui renunciavit beneficio cedendarum actionum, adhuc petere possit, actiones sibi cedi, 46. 1. 30. Tom. 6.

Census.

Quid sit census & quotuplex. Minuendus census, agris diminutis. Ubi plura videnda de veterum censu, & immunitate a censu. An coloniæ provinciales *juris Italici* fuerint in totum immunes a censu, 50. 15. 1. Tom. 6.

Censuales contractus.

De censuali contractu, indeque annuo reditu non redimibili, &c., 50. 15. 2. Tom. 6.

Cessio actionis.

An ei, contra quem juratum per jusjurandum in litem, actiones cedendæ sint, 12. 3. 7. Tom. 3.
De *cessione actionum*, vide *actio*.

Cessio bonorum.

De origine cessionis bonorum. In quo distet a cessione actionum, & solenni in jure cessione, 42. 3. 1. Tom. 6.
Qui possint bonis cedere. An peregrini, cum in eorum patria id peregrinis denegatur. Quibus locis denegetur. An filiusfamilias. An fœminæ indigeant hoc beneficio, aut municipia, jure civili ac moribus, 42. 3. 2. Tom. 6.
An cedere bonis possit, qui juravit, se soluturum, vel primo negavit, se debere, vel huic beneficio renunciavit, vel prius obtinuit rescriptum moratorium, vel ita condemnatus est, ut & sententia transiverit in rem judicatam, vel semel jam bonis cessit. Et quid, si tempore cessionis debuerit sub conditione, quæ post cessionem existit, 42. 3. 3. Tom. 6.
An hæres ejus, qui bonis cessit, gaudeat beneficio competentiæ, si sine inventario adeat, 42. 3. 4. Tom. 6.
An cedere possit ex delicto obligatus ad pœnam pecuniariam. An is, quorum alius invitus jubente Principe contraxit. An fidejussor delinquentis. An is qui dolo bona consumpsit, vel dolose corrasit, aut celavit. An publicani jure civili ac moribus. An obligatus ad factum, cujus præstatio in ejus potestate est. An, qui quid emit in nundinis publicis. An mercator minutim vendens contra eum, a quo merces emit. An tutor respectu debiti pupillaris, 42. 3. 5. Tom. 6.
De modo cessionis faciendæ jure civili ac moribus. Quis hodie concedat hoc beneficium. Quis confirmet concessum, si debitor reus degat. Quis si jussu Curiæ Hollandicæ arresto detentus obtinuerit rescriptum cessionis a Curia suprema. Quot citationibus opus, ut creditores consentiant in rescripti confirmationem. An debitor interim carceri includendus ob id, quod quidam creditores obloquantur confirmationi, 42. 3. 6. Tom. 6.
Quæ res cedi debeant. An & bona liberorum emancipatorum aut suorum, 42. 3. 7. Tom. 6.
Creditores bona cessa vendere debent, non inter se dividere, aut sibi retinere, aut occupare. Debitor cedens liberatur a carcere. An & a debito. An post cessionem gaudeat beneficio competentiæ, etiam contra creditores, quibuscum post cessionem contraxit, 42. 3. 8. Tom. 6.
An cedens bonis, ea revocare possit necdum distracta, si satisfacere velit. Si quid post dimissos creditores supersit, an reddendum cedenti, 42. 3. 9. Tom. 6.
An cedens infamis fit, aut perdat administrationem rerum ad liberos pertinentium, aut tutelam vel curam. An exercere possit actiones ante cessionem quæsitas. An & quatenus actionem injuriarum, si injuria cessione antiquior sit, 42. 3. 10. Tom. 6.
An cessio debitoris prosit fidejussori, 52. 3. 11. Tom. 6.
De abdicatione bonorum post obitum mariti per viduam facta, ut se debitis subducat, vide *abdicatio bonorum*.
Non indiget cessione, qui habet beneficium competentiæ, vel ejurat bonorum copiam, vel impetrat rescriptum moratorium, 42. 3. 14. Tom. 6.

Cessio diei.

Quando cedat dies ususfructus pure vel in diem certum legati, & quæ ratio differentiæ sit inter legatum proprietatis & ususfructus, 7. 3. 1. Tom. 2.
Quando dies cedat, si in annos, aut menses singulos, vel alternis annis, ususfructus legatus sit, & quis prior frui debeat, si alternis annis Titio & Mævio ususfructus datus, 7. 3. 2. Tom. 2.
Cur aliud circa cessionem diei in usufructu obtineat, quam in annuo legato, 7. 3. 3. Tom. 2.
Nihil hac in parte moribus mutatum, 7. 3. 4. Tom. 2.
De die cedente & veniente in obligationibus ex contractu. Quando cedat & veniat dies legati puri, si hæres pure vel sub conditione institutus sit, aut legatum sit debitum conditionale. Quando cedat dies eorum, quæ morte legatarii extinguuntur. Si testator legaverit Titio pro se & hæredibus, an Titius moriens ante testatorem transmittat legati spem ad hæredes, 36. 2. 1. Tom. 5.
De cessione diei legati in diem relicti, si certum sit, diem vivo legatario exiturum; vel incertum, an vivo an mortuo legatario exiturus sit; vel plane incertum, an unquam sit exiturus. Quid, si dies incertus morandæ tantum solutionis gratia additus sit; & unde id colligatur. Legato alicui relicto *cum erit annorum quatuordecim*, an annus debeat completus esse. An legatum dotis, *nuptura* relictum, conditionale sit, 36. 2. 2. Tom. 5.
De cessione diei legati conditionalis. Quid juris, si legatum sub contrariis duabus conditionibus relictum sit, veluti, *sive navis venerit, sive non venerit*, cur hic aliud in contractibus, aliud in ultimis voluntatibus servetur, 36. 2. 3. Tom. 5.
In quibus casibus conditio legato apposita non impediat transmissionem ejus. An & impediant conditiones tacite subauditæ. Et quid, si hæ expressæ fuerint, 36. 2. 4. Tom. 5.
Quid juris circa cessionem diei, si Titio legetur *ususfructus aut decem*, & is ante aditam hæreditatem moriatur. Quid, *si Seja decem; aut si pepererit, fundum*: Quid, *si ususfructus pure aut decem sub conditione*, 36. 2. 5. Tom. 5.

Chirographum.

De redditione chirographi, & quid juris, si ex duobus ejusdem

dam debiti chirographis unum reddatur, & quis probet, si creditor neget se reddidisse chirographum, quod debitor tenet, 2. 14. 15. Tom. 1.
De agnitione chirographi facienda per scribentem, aut viduam ejus, aut hæredes, aut in officio successores. Et quando illud juris interpretatione pro agnito habeatur, 12. 1. 26. Tom. 3.
De eo, qui chirographum scripsit spe futuræ numerationis, vide *litterarum obligatio*.

Citatio.

Citatus in diem ulteriorem libello aliquando petere potest, anticipari diem, et maturius negotium expediatur. Et quando illud utile sit, 2. 11. 14. Tom. 1.
Citatio *in persona* (ut loquuntur), aut personæ apprehensio in delictis levioribus haud decernenda, 3. 3. 15. Tom. 1.
An decreto citationis in persona appellari nequeat, 3. 3. 15. Tom. 1.
Reliqua de citatione, vide in verbis *vocatio in jus*. Et *contumacia*. Et *feria*.
De petitione, *ut citatio in personam* commutetur in simplicem citationem. An se sistens, & id petens, uti possit procuratore, 48. 2. 20. Tom. 6.
De praxi, qua reus *in persona* citatus vel carceratus, petit se sub fidejussore laxari, 48. 3. 15. Tom. 6.
De citatione reorum criminis absentium, usque ex contumacia absentibus condemnandis vel absolvendis jure civili ac moribus; de suggestione pertinentium ad innocentiam rei absentis; de exprimendis specifice criminibus in edicto citationis & de non cogendo reo respondere ad crimina, edicto non inserta, 48. 17. 1. & seqq. Tom. 6.

Civile judicium.

Vide *judicium*.

Clausula.

Clausula salutaris & imploratio *nobilis officii* judicum quid operetur, & quo usque judex supplere possit ea, quæ desunt advocatis partium.

Clausula codicillaris.

Vide *codicillus*.

Cloaca servitus.

Vide *servitutes urbana*.

Coactio ad testandum.

Quæ pœna sit cogentium aut prohibentium testari. Et quando unius coactio vel prohibitio aliis obsit, quando non, 26. 6. 1. Tom. 5.
Tenetur cogens vel prohibens etiam illis, quorum interest. Quid, si magistratus prohibuerint. Quid si prohibens solvendo non sit, 29. 6. 2. Tom. 5.
Benemeritis & blanditiis non dolosis provocare licet judicium defuncti, 29. 6. 3. Tom. 5.
Quid moribus circa hæc obtineat, 29. 6. 4. Tom. 5.
Ex quibus indiciis coactio, prohibitio, blanditiæ dolosæ colligi possint, 29. 6. 5. Tom. 5.

Codicilli, Clausula codicillaris.

Quid sint codicilli, quo modo ex testamento vel ab intestato, & qua solemnitate condantur. An mulier in iis possit testis esse, 29. 7. 1. Tom. 5.
Qui possint codicillos facere. An pater pro suo filiofam. impubere. An illi, qui non habent jus testandi. Ubi de servis, filiisfamilias, deportatis. An statuto prohibitus testari, possit tamen codicillos facere, 29. 7. 2. Tom. 5.
Quid juris, si plures unius codicilli inter se pugnent. Non facile admittenda pugna, si aliter interpretatione explicari possint. An in codicillis hæres directo institui, exhæredatio fieri, conditio institutioni in testamento factæ adscribi possit. An nomina hæredum vel portiones exprimi, vel conditum impleri possit testamento inserta. An dubia testamenti verba explicare. An hæres testamento institutus declarari indignus. An pœna privatis relictorum apponi, 29. 7. 3. Tom. 5.
Quando in codicillis scripta perinde habeantur, ac si in testamento, unde dependent, scripta essent, quando non, 29. 7. 4. Tom. 5.
Apud nos confusa testamentorum & codicillorum jura, ratione solemnitatum, & eorum, quæ in codicillis olim fieri non poterant. Cujus juris multi effectus, 29. 7. 5. Tom. 5.
An testamenta imperfecta valeant jure codicilli. Quid, si clausula codicillaris sit apposita. Quibus illa verbis concipi possit. Concipitur, ut vel ad omnia, vel ad quædam tantum disposita relationem habeat, 29. 7. 6. Tom. 5.
An clausula codicillaris non addita subaudiatur tacite. Et quid, si testamentum sit militare, vel patris inter liberos. Si expressa sit, præsumitur ex voluntate testatoris expressa esse, 27. 7. 7. Tom. 5.
Clausula hæc confirmat testamenta imperfecta ratione solemnitatis; non item imperfecta ratione voluntatis, aut alias continentia id, quod contra leges est, aut ab eo condita, qui non habet jus testandi. An jure civili firmet testamenta ob præteritionem certarum personarum nulla vel infirmanda. An efficiat, ut hæredes ab intestato restituant quasi ex fideicommisso hæreditatem ei, qui verbis directis in testamento substitutus fuerat, 29. 7. 8. Tom. 5.
An, qui prius egit tanquam ex testamento, postea possit agere ex vi clausulæ codicillaris tanquam ex codicillo? Et quid moribus? 29. 7. 9. Tom. 5.
Si clausula codicillaris inofficioso testamento sit addita, illud sustinet, sicut institutis hæreditas ex fideicommisso restituenda sit, deductis per liberos ex jure canonico & hodierno duabus quartis. Quo modo illæ computentur? 5. 2. 16. Tom. 2.
An præterito filio posthumo, vel alio filio, quem testator parens mortuum credebat, legata & fideicommissa debeantur vi clausulæ codicillaris, sic ut filio præterito tantum salvæ essent duæ quartæ? 5. 2. 17. Tom. 2.

Cognatio.

De cognationis lineis ac gradibus, & ratione computandi gradus, 23. 2. 29. Tom. 4.
Quæ cognatio impediat nuptias? vide *nuptiæ*.

Cognitio extraordinaria.

De cognitionibus extraordinariis, 50. 13. 1. & seqq. Tom. 6.

Collatio bonorum.

Quid sit collatio? Quæ prima causa & origo ejus, & varia de jure veteri collationis, 37. 6. 1. Tom. 5.
Jure novo conferunt sui & emancipati, ex testamento vel ab intestato succedentes. Non tamen descendentes testamento instituti, quoties ascendenti non successissent ab intestato, 37. 6. 2. Tom. 5.
Nepotes jure repræsentationis, avo succedentes, conferunt accepta ab avo, in gratiam & fratrum & patruorum, quibuscum concurrunt, sive vivo sive mortuo patre intermedio acceperint, 37. 6. 3. Tom. 5.
Nepotes avo succedentes, patruis, & patruorum præmortuorum liberis conferunt, quæ pater intermedius, si vixisset & successisset, contulisset; sive ei hæredes fuerint, sive non, nisi ex statuto succedant avo non in stirpes, sed in capita, 37. 6. 4. Tom. 5.
An & conferant, quæ pater intermedius contulisset, si conferenda tantæ quantitatis sint, ut, collatione facta, nepotibus legitima salva non sit? 37. 6. 5. Tom. 5.
Quid juris circa collationem, si extranei una cum liberis instituti sint? An & ascendentes conferant aut collaterales, si succedant descendenti aut collaterali? Quid, si testator collationem tunc injunxerit? Et quando videatur injunxisse? 37. 6. 6. Tom. 5.
Moribus liberi parenti succedentes etiam in gratiam parentis superstitis aut vitrici vel novercæ conferre debent. Cur tota dos & alia similia in totum in gratiam propositi parentis sint conferenda ex jure Scabinico? Contenditur, ex jure Aesdonico, & passim in aliis locis dotem ex communi parentum patrimonio datam, non nisi pro semisse, & tantum in gratiam fratrum, non item parentis superstitis, conferendam esse, totam tamen in gratiam vitrici aut novercæ, 37. 6. 7. Tom. 5.
Etiam collaterales conjugis præmorientis conferre debent in gratiam conjugis superstitis, veluti in feudum novum stante matrimonio quæsitum. An & immoderate sibi per defunctum donata? An, & quando collateralis in feudum novum succedens pretium ejus solvere teneatur? Conjux præmoriens neque descendentibus neque collateralibus remittere potest conferendi necessitatem in præjudicium conjugis superstitis, 37. 6. 8. Tom. 5.
Quando sit collatio facienda? Quibus modis re ipsa, quandoque cautionis præstatione? Cui competit electio, an res, an vero æstimatio conferenda sit? Cujus temporis æstimatio spectanda? Quid juris circa collationem & æstimationem in Hollandia? cujus temporis æstimatio inspicienda in feudis novis conferendis? 37. 6. 9. Tom. 5.

Quibus modis quis adigatur ad collatioeem? Et quid agendum, si quis uni cohæredi aut omnibus conferre vel cavere nolit aut non possit? Quid, si postea collationem offerat? 37. 6. 10. Tom. 5.
Conferenda profectitia. Quæ sub his contineantur? Ubi de variis, 37. 6. 11. Tom 5.
An & conferenda, quæ quis dolo aut culpa possidere desiit? Aut non acquisivit, cum posset? An demum quæsita post mortem parentis? An prælegata, vel ex statuto uni jure primogenituræ cedentia? An post mortem patris uni ex liberis donata ob patris benemerita? An adventitia? An ususfructus adventitiorum, quem pater filiofam. remisit? An lucrum dotis ex pacto vel statuto quæsitum? 37. 6. 12. Tom. 5.
De collatione dotis & propter nuptias donationis. An dos ab avo nepti data conferri debeat, cum neptis patri intermedio succedit. An dos a patruo data filiæ fratris, si illa patri aut patruo danti succedat? 37. 7. 1. Tom. 5.
Quid, si dos ob inopiam aut culpam mariti salva esse nequeat, jure civili & moribus? 37. 7. 2. Tom. 5.
An & conferendum, quod pater ultra donationem propter nuptias dedit, ut filius nuptias puellæ nobilis obtineret, 37. 7. 3. Tom. 5.
An & alimenta, sumptum puerperii, si pater filiam cum marito & liberis aliquandiu aluerit? 37. 7. 4. Tom. 5.
An sumptus in convivium nuptiale, ornamenta, vestes, & alia. Et unde erogatorum quantitas probetur, 37. 7. 5. Tom. 5.
An conferenda donatio remuneratoria? An, & quando donatio simplex? Et quid moribus? 37. 6. 13. Tom. 5.
An, & quæ liberis ad officinam instruendam, mercaturam, & similia, data sunt? An &, quod pater pro filio solvit tanquam fidejussor ejus, aut quæ filius succedens patri vivo debuit. An & nepotes, avo succedentes, ea, quæ pater intermedius prædefunctus avo debuit, si patri hæredes non sint? 37. 6. 14. Tom. 5.
An, quæ filius patri debuit ex delicto, quæve pater pro filio delinquente solvit? An ea, quæ liberis data in eos usus, in quos data non solent conferri, si is illa non ita erogaverit, sed inutiliter consumpserit? Cui incumbat probatio inutilis consumptionis, 37. 6. 15. Tom. 5.
An feudi novi empti aut alio titulo oneroso vel lucrativo acquisiti pretium, & cujus temporis, fratribus conferendum. An non in gratiam parentis aut novercæ superstitis, etiam a collaterali successione mariti, 36. 6. 16. Tom. 5.
An feudi antiqui nomine collatio facienda fratribus aut parenti vitricove superstiti. An melioratio feudi antiqui, quæ per impensam vel sine impensa ultimi possessoris contingit. De æstimatione meliorationis conferendæ. An conferendæ impensæ in perceptionem fructuum anni postremi, qui adhuc pendentes successori feudali cedunt, 37. 6. 17. Tom. 5.
Conferenda æstimatio feudi antiqui in gratiam conjugis superstitis, si id ex pacto vel statuto venerit in communionem conjugalem. An, si collateralis feudi novi, vel antiqui, aut meliorationem ejus æstimationem, conjugi superstiti ultimi possessoris conferat, id a cæteris allodialium hæredibus repetat, ut æs alienum hæreditarium. An ratione collationis intersit inter feuda *recta* & nostratia *hæreditaria?* Ad collationem pretii feudi obstrictus petere potest a domino directo, inter se & reliquos allodialium hæredes feudum dividi, si displiceat collatio pretii, 37. 6. 18. Tom. 5.
Dicta de feudi collatione pertinent & ad emphyteusin in locis, ubi ea ad instar feudi redacta est, 37. 6. 19. Tom. 2.
De collatione erogatorum in acquisitionem præbendæ, canonicatus, munerisve venalis, aut non venalis. An conferenda, quæ pater erogavit ad liberandum filium, a barbaris hostibusve captum, 37. 6. 20. Tom. 5.
An, & quando, ac quo usque sumptus in studia aut peregrinationem conferri debeant fratribus, vitrico, novercæ, 37. 6. 21. Tom. 5.
An conferenda bibliotheca, studiorum occasione comparata, 37. 6. 22. Tom. 5.
An filius studiis destinatus & jam initiatus, moriente patre ante ea absoluta, petere possit, ex communi sumptus dari ad ea perficienda, libros emendos, doctoris titulum obtinendum. An non saltem, cum fratres post parentis obitum in communione perdurant, 37. 6. 23. Tom. 5.
An & conferendi rerum conferendarum fructus & usuræ. An ex conferendis deducendæ & impensæ, in ea factæ. An & annotationi parentis standum, si non satis constet de erogatorum quantitate, 37. 6. 24. Tom. 5.
Cessat collatio, si conferre debens exhæredatus sit & acquiescat, vel abstineat ab hæreditate, etiam cum in gratiam vitrici vel novercæ conferendum, si legitima liberorum læsa non sit, & nihil in fraudem novercæ factum. An conferat, si jure legati aut alio titulo particulari capiat partem hæreditatis paternæ vel maternæ. An, si unus ex pluribus nepotibus avo per repræsentationem succedentibus abstineat, reliqui nepotes patruis conferre debeant, quod abstinens conferre debuisset, 37. 6. 25. Tom. 5.
An si liberi adeant cum inventario, conferre debeant in gratiam fratrum. An & in gratiam creditorum parentis defuncti, ut collata iis cedant in debiti solutionem, 37. 6. 26. Tom. 5.
Cessat collatio, si testator eam remiserit. An remissio ex indiciis colligi possit, 37. 6. 27. Tom. 5.
Ae pacto collationis necessitas tolli possit jure civili, ac moribus, 37. 6. 28. Tom. 5.
De collatione, cum conjungebantur cum emancipato liberi ejus, 38. 6. 1. & 2. Tom. 5.

Collegia.

De potestate judicandi concessa collegiis opificum &c. 5. 1. 114. Tom. 2.
Quæ sint collegia licita, quæ illicita. De pœnis illicitorum? An illicitis quid relinqui possit, vel hæc litigare. An quis membrum esse duorum collegiorum, 47. 22. 1. & 2. Tom. 6.

Colles arenacei.

Quo modo per arenæ injectionem ex collibus proximis amittatur agrorum dominium? Nulli licet frutices aut carices, *helm*, tollere ex collibus, 41. 1. 20. Tom. 5.

Collusio.

De collusione circa status controversiam detegenda, 40. 16. 1. Tom. 5.

Colonia.

De coloniis populi Romani, 50. 1. 1. Tom. 6.
An coloniæ provinciales *juris Italici* fuerint in totum immunes a censu, 50. 15. 1. Tom. 6.

Commissa.

De rebus commissis ob fraudatum vectigal, Vide *vectigalia*.

Commissoria lex.

Quid sit lex commissoria, & unde dicta? An tantum puram an etiam conditionalem faciat venditionem, 18. 3. 1. Tom. 3.
Venditor eligit, an uti velit lege commissoria, nec ne; post electionem variare potest. Quo modo tacite remittat hanc legem. Qua actione rem repetat, si hac lege uti velit, 18. 3. 2. Tom. 3.
An emptione resoluta, vi legis commissoriæ, emptor partem pretii, quam solvit, recuperet? An & arrhas aliaque impendia? An & medii temporis usuras, 18. 3. 3. Tom. 3.
An interpellatione opus sit, ut lex hæc locum habeat? Quid, si lex commissoria sine die adjecta sit, 18. 3. 4. Tom. 3.
Quibus in casibus cesset vis legis commissoriæ. Quid agendum, si venditor præsens solutionem declinet. Quid emptor agere debeat, si ante diem additum fiat tutor liberorum venditoris, 18. 3. 5. Tom. 3.
De pacto, ut pretio intra certum tempus non soluto, res vendatur periculo primi emptoris, 18. 3. 6. Tom. 3.
Lex commissoria in pignoribus improbata, 20. 1. 25. Tom. 3.

Commodatum, commodati actio.

Quo modo commodatum differat a precario, locatione, usufructu, usu, pignore cum pacto antichresios. Quales res commodato dari possint? an alienæ, furtivæ, vi possessæ, 13. 6. 1. Tom. 3
Quid sit actio directa commodati? datur & furi ac prædoni. Quid, si cum his concurrat verus rei dominus. Quid, si quis rem alienam pignori dederit, ea lege, ut illa domino reddatur, 13. 6. 1. Tom. 3.
Datur contra commodatarium. An & quatenus contra pupillum, qui sine tutore commodatum accepit. An & quando singuli pro parte aut in solidum conveniri possint, si plures sint commodatarii, vel plures unius commodatarii hæredes, 13. 6. 3. Tom. 3.
Ad quid teneatur commodatarius? quam culpam præstet. Quid, si orto incendio aut casu alio, cum posset res commodatas salvas facere, suas prætulerit. Quid, si is, qui triclinium sternebat, argentum commodaverit, & id negligentius a commodatario habitum perierit, 13. 6. 4. Tom. 3.
Non tenetur de casu. Casus & tunc est, cum res deterior fit ipso illo usu, ad quem concessa; vel facto tertii, nisi ipse po-

potuisset rem custodire; vel ipse sua culpa tertium concitaverit? vel factum commodatarii sit, 13. 6. 5. Tom. 3.
An commodatarius teneatur commodanti ex culpa nuncii, per quem commodatum restituit, 13. 6. 6. Tom. 3.
Cessat directa actio, si commodans culpam remiserit, vel rem deterioratam receperit sine protestatione, cum deterioratio patens esset, 13. 6. 7. Tom. 3.
Contraria commodati actio ad quid tendat. Si commodatarius ob rem amissam præstiterit æstimationem ejus, & postea res in potestatem commodantis redierit, an res, an æstimatio reddenda sit? & cui hic electio competat, 13. 6. 8. Tom. 3.
Petitur & id quod interest, usum ante tempus non fuisse ablatum, licet commodans doceat, se re ex nova causa ad proprios usus indigere, 13. 6. 9. Tom. 3.
Quando fieri possit repetitio commodati, si illud sine modi & temporis adjectione concessum sit, 13. 6. 9. Tom. 3.
Jure compensationis commodatarius consequi potest, quod contrario petitur judicio, si termini habiles compensationis sint, 13. 6. 10. Tom. 3.
An corpora ipsa commodata retineri possint, donec impensæ in eas factæ restitutæ fuerint, jure civili & hodierno, 13. 6. 10. Tom. 3.

Commodum rei venditæ.

Vide *periculum*.

Communes res.

Res jure gentium communes aliquando confunduntur cum publicis, 1. 8. 2. Tom. 1.
Quid proprie sint res jure gentium communes, & quotuplices? 1. 3. 8. Tom. 1.
An in littore ædificare liceat sine auctoritate publica, 1. 8. 4. Tom. 1.

Communi dividundo.

Quid sit actio communi dividundo? quibus detur. An & dominis utilibus, fructuariis, bonæ fidei possessoribus, jus pignoris prætorii vel alterius generis habentibus. Et quid, si creditori, bona fide licitanti, tota res adjudicata sit? 10. 3. 1. Tom. 2.
An competat habentibus servitutem personalem. An sociis contra socium, qui suam partem jam alienavit. An vi, clam, vel precario possidentibus, aut depositariis. An uni reo defendi qui totum solvit, adversus alterum pro partis restitutione, 10. 3. 2. Tom. 2.
Tendit ad divisionem, vel adjudicationes rerum individuarum. Quid in iis servandum sit. Petuntur & præstationes personales. Quales impensæ repeti possint. Quid si impendens putet, Titium esse socium, cum Mævius esset. Quid si putet, rem esse suam, cum esset communis. Quid si post impendia partem suam alienaverit, 10. 3. 3. Tom. 2.
An socius ad edictum non respondens teneatur socio, si propterea Magistratus ædes sociorum communes dejecerit? ad explicationem *l.* 20. *ff. commun. divid.* 10. 3. 4. Tom. 2.
Cessat hæc actio in arbore aut lapide in confinio positis & necdum exemptis. Si convenerit, ne ad tempus a communione discedatur. Item in vestibulo communi, mediano cænaculi, plurium cellarum itinere communi, puteo communi, si unus sociorum repugnet, 10. 3. 5. Tom. 2.
Non cessat, si semel eo actum sit; nec si socii rem totis triginta annis communiter possederint: secus si separatim, 10. 3. 6. Tom. 2.
Socius invito socio nihil novi facere potest in re communi. Quid juris, si fecerit aut fieri passus sit, 10. 3. 7. Tom. 2.
Pendente hoc judicio non potest suam partem alienare: nunquam ultra suam partem, licet major sociorum pars in totius rei venditionem consentiret: nisi res promercales sint, quas in totum vendere potest, 10. 2. 7. Tom. 2.
Si dissensus sociorum sit, utrum res communis vel cui sit elocanda; vel si unus sociorum tantam mercedem offerat, quantam extraneus, quid juris sit, 10. 3. 8. Tom. 2.

Communio acquæstuum.

Vide *pacta dotalia*.

Communio bonorum inter conjuges.

Jure civili non fuit ex nuptiis inter conjuges bonorum communio. Contra, multorum motibus, & quorum, 23. 2. 65. & 67. Tom. 4.
De origine statutariæ inter conjuges communionis, 23. 2. 66. Tom. 4.
An ipso jure præsentia & futura inter conjuges communicentur ratione possessionis & proprietatis, licet solius mariti nomine stante matrimonio quæsita, 23. 2. 68. Tom. 4.
An impediatur communio per patrimoniorum maximam disparitatem, vel ex eo, quod alter conjugum sit spurius, cui fiscus succedit. An per nobilitatem, 23. 2. 68. Tom. 4.
In hanc communionem veniunt hæreditates, legata, donationes. An, & quo usque turpia lucra, 23. 2. 69. Tom. 4.
Veniunt procul dubio omnia, quæ veniunt in acquæstuum communionem, 23. 2. 70. Tom. 4.
Ac feuda in Hollandia, Gelria, & Ultrajecti, aut saltem æstimatio eorum, 23. 2. 71. Tom. 4.
An feuda stante matrimonio quæsita jure successionis, aut titulo particulari oneroso vel lucrativo. An alluvio feudi, si illa stante matrimonio contigerit, 23. 2. 72. Tom. 4.
An bona dominica, Gelris dicta *Heeren gederen*. An gentilitia. An emphyteuticaria, censualia, agri adscriptitiorum. An dominium directum feudi vel emphyteuseos, 23. 2. 73. Tom. 4.
An canonicatus & præbendæ ante nuptias vel stante matrimonio quæsitæ, 23. 2. 74. Tom. 4.
An munera venalia, 23. 2. 75. Tom. 4.
An jus ipsum patronatus, 23. 2. 76. Tom. 4.
An bona fideicommissaria. An donata ea lege, ut donatario sine liberis moriente redeant ad donantis hæredes, & conditio exstiterit. An & donata ea lege, ne in statutariam veniant communionem, 23. 2. 77. Tom. 4.
An arrhæ sponsalitiæ, vel jocalia doni matutini titulo data. An ornamenta stante matrimonio per virum uxori empta, 23. 2. 78. Tom. 4.
An, si res illæ, quæ non continentur sub communione, stante matrimonio venditæ sint, aut cum aliis rebus communicabilibus permutatæ, pretium aut res permutatione quæsitæ inter conjuges communicentur, 23. 2. 79. Tom. 4.
De damnis in statutariam communionem venientibus. An, & quo usque æs alienum ante nuptias contractum. Et quid, si matrimonium sit dissolutum, in Hollandia vel Ultrajecti, & alibi. An & commune æs alienum matrimonio vetustius, si pro eo feudum, communioni exemptum, ante nuptias sit obligatum, 23. 2. 80. Tom. 4.
An commune onus, si quid in dotem, alimenta, peregrinationem privignorum binubus erogaverit, 23. 2. 81. Tom. 4.
An & onus alendi prolem adulterinam mariti. An noverca etiam soluto matrimonio obligata maneat ad privignos alendos. Et quid, si maritus binubus in assignandis bonis maternis onus alendi liberos primi thori ad certum tempus in se suscepisset, 23. 2. 82. Tom. 4.
An impensæ in funus conjugis præmorientis, 23. 2. 83. Tom. 4.
Ut lucrum aut damnum commune sit, sufficit, causam ejus stante matrimonio exstitisse, licet effectus demum soluto matrimonio sequatur, 23. 2. 84. Tom. 4.
Communio universalis, quam inter conjuges inducit vel excludit statutum domicilii mariti, etiam ex tacito conjugum pacto, inducta vel exclusa intelligitur in immobilibus sitis in eo loco, in quo statutum contrarium viget, si modo illud non prohibeat pactionem in contrarium, 23. 2. 85. Tom. 4.
Communio bonorum non æstimanda ex domicilio mariti, si is ante nuptias constituerit transire ad domicilium sponsæ, 23. 2. 86. Tom. 4.
An ex migratione ad locum, alio jure utentem circa communionem, tollatur communio, quæ nuptiis inducta erat, & vice versa. Et quid, si nominatim testati sint conjuges, sibi circa communionem placere novi domicilii leges, 23. 2. 87. Tom. 4.
Quid juris circa communionem, si maritus tempore nuptiarum in duobus locis diverso jure utentibus domicilium foveat, 23. 2. 88. Tom. 4.
Non inducitur communio ex nuptiis, per minorem sine parentum, tutorum, cognatorum consensu initis, si ea minori damnosa sit. An & per secundas nuptias in præjudicium liberorum primi thori. An per præmaturum sponsi cum sponsa concubitum. An per matrimonium putativum, 23. 2. 89. Tom. 4.
De continuatione communionis post mortem unius conjugis, vide *continuatio communionis*.
An, & quando præsumendum sit, communionem inter conjuges esse, 23. 2. 61. Tom. 4.
Quid intersit inter hanc statutariam inter conjuges communionem, & societatem juris civilis universalem, 23. 2. 92. Tom. 4.
An communio, & alii nuptiarum effectus introducantur per nuptias, licet concubitus secutus non sit, 23. 2. 93. & seqq. Tom. 4.
De pactitia communione universali; & quæ in eam veniant, 23. 4. 26. Tom. 4.

Compensatio.

Quid sit compensatio; unde dicta; quæ æquitas ejus; quid sit *pariatio*, 16. 2. 1. Tom. 3.
Compensatio jure novo tollit debitum ipso jure, ex quo cœpit utrimque deberi; licet ex uno latere usurarium sit, vel sub pœna debitum. An condici possit ut indebitum, quod potuerat compensari, 16. 2. 2. Tom. 3.
An compensatio jure civili & hodierno post sententiam opponi possit in executione. An & in appellatione, 16. 2. 2. Tom. 3.
Reus compensationem allegans, non fatetur eo ipso, se debitorem esse: aut, si eam omittat sciens prudens, non censetur adversario remisisse debitum, nisi conjuncta persona id sæpius sciens prætermiserit, cum nulla appareret justa causa, cur non compensaverit, 16. 2. 3. Tom. 3.
Compensatio uni tutori potest objici respectu ejus, quod alter tutor nomine pupilli debet, 16. 2. 4. Tom. 3.
An cessionario possit objici compensatio ejus, quod cedens, vel ipse cessionarius ex suo capite debet? Quid juris, si primus pure debeat secundo, secundus primo sub conditione, sed ea lege addita, ut existente conditione compensaret, & primus cedat actionem tertio, tertius autem existente conditione agat cum secundo? 16. 2. 4. Tom. 3.
Cessionario quanto objici potest compensatio ejus, quod primus vel secundus, vel tertius cedens debet. Nec compensationem impedit, quod cedens jam desierit solvendo esse. Nec refert, an voluntaria an necessaria cessio sit, 16. 2. 5. Tom. 3.
Nec recte objicitur cessionario, si is cum debitore cedentis novaverit, vel ex delegatione plena eum cœperit sibi obligatum habere, 16. 2. 6. Tom. 3.
Compensat reus id tantum, quod sibi ab actore vicissim debitum; non quod a tertio, licet is consentiat, nisi insuper actionem cedat: ubi de duobus reis stipulandi & promittendi; & de executore non compensante pretium rei subhastatæ a se exactum, cum eo, quod creditores in lite victores vicissim ei debent, 16. 2. 7. Tom. 3.
An tutori, suo nomine agenti, compensari possit id, quod pupillus debet? An tutori, pupilli nomine agenti, id, quod tutor suo nomine debet? An tutor suo nomine conventus, compenset id, quod pupillo debetur, & vice versa, 16. 2. 8. Tom. 3.
Quid si debitor pupilli, qui tutoris creditor est, aut vice versa, foro cesserit, an & tunc tutor, suo vel pupillari nomine conventus, compensationem objiciat. Et quid, si quis ex sua persona sit debitor simul ac creditor ejus, qui foro cessit? 16. 2. 9. Tom. 3.
An rescriptum moratorium a debitore impetratum impediat compensationem, si is alia ex causa debitum persequatur, 16. 2. 9. Tom. 3.
De tutoribus dicta obtinent & in procuratoribus, institoribus; an & in sociis? eo moribus nostris in marito & uxore, 16. 2. 10. Tom. 3.
Quid juris in debitore & fidejussore ejus? in patre & ejus filiofamilias? in hærede, suo nomine debitore, & creditore hæreditario? Et quid, si hæreditatem adiverit cum beneficio inventarii, 16. 2. 11. Tom. 3.
Qualia debita compensari possint? an pœnæ pecuniariæ ex delictis aut publicis criminibus? An pœnæ publicæ non pecuniariæ, 16. 2. 12. Tom. 3.
An debitum mere civile. An debitum naturale tantum cum eo, quod naturaliter & civiliter debitum est, 16. 2. 13. Tom. 3.
Recte compensatur, quod certo loco debitum, quod jam alio in loco cœptum peti: debitum ex sententia fiduciariam solutionem continente: impensæ litis, in quas quis damnatus est, debita intra certum tempus exigenda cum aliis exactionem perpetuam habentibus; id, quod quis se soluturum juravit, 16. 2. 14. Tom. 3.
An & debitum hypothecarium cum chirographo. An sors annui reditus cum alia sorte reditus, aliove debito, 16. 2. 14. Tom. 3.
Non habet locum in deposito. An non depositum saltem pro impensis necessariis retineri possit, 16. 2. 15. Tom. 3.
Nec in causis momentaneæ possessionis; nec in reparatione attentatorum; nec in tributis & vectigalibus, aut eo, quod fisco debitum ex causa annonaria? nec in debito reipublicæ ex calendario, vel fideicommisso; nec in pretio rei per fiscum venditæ, vel mercede vectigalium; nec in alimentis futuris; nec in implemento conditionis dandi decem, nec in pretii rerum auctione publica in utilitatem creditorum auctoritate judicis venditarum. An in canone annuo? an debitum unius tabernæ cum debito alterius tabernæ, 16. 2. 16. Tom. 3.
Requiritur ad compensationem, ut debitum sit liquidum & purum, 16. 2. 17. Tom. 3.
Necesse etiam, ut sit utrimque debita res fungibilis ejusdem generis. An corpus utrimque in genere debitum compensari possit? An corpus cum quantitate? An pecunia, quoties ut corpus consideratur, 16. 2. 18. Tom. 3.
An rejecta per judicem compensatione, adhuc debitum illud peti possit, 19. 2. 19. Tom. 3.
Jus retentionis differt in multis a jure compensationis. Recensentur casus, in quibus jus retentionis locum habeat, 16. 2. 20. Tom. 3.

Alia de *retentione*, vide *retentio*.

Competentiæ beneficium.

De competentiæ beneficio, quod datum filiisfamilias, qui sui juris facti conveniuntur ex contractibus durante patria potestate celebratis, vide *filiusfamilias*.
An & quando competentiæ beneficium competat donatario, & quid prius deducat, 39. 5. 19. Tom. 5.

Compromissum, compromittere.

Quid sit compromissum? an subsistat sine pœnæ adjectione. An nudo possit pacto fieri, 4. 8. 3. Tom. 1.
An tacitum compromissum censeatur, si partes, cum non expresse compromisissent, ratam habeant sententiam a tertio tanquam ab arbitro electo latam, 4. 8. 3. Tom. 1.
An socius unus recte compromittat in re communi? & quis tunc compromissi effectus sit, 4. 8. 4. Tom. 1.
An mulieres? & quid hodie? An & minores. An de immobilibus sine decreto, 4. 8. 5. Tom. 1.
An, & quo usque compromitti possit de causis in integrum restitutionis, liberalibus, popularibus, infamantibus, criminalibus civiliter aut criminaliter movendis, matrimonialibus, spiritualibus, & jure patronatus, 4. 8. 10. Tom. 1.
Qualia pacta compromisso possint inseri? an jusjurandum addi; an id agi, ut certam sententiam, & non aliam, arbiter dicat, 4. 8. 11. Tom. 1.
An id agi, ut pœna compromissi fisco cedat, 4. 8. 12. Tom. 1.
An id agi, ut duo arbitri inter se dissentientes tertium eligant; an, ut tunc Titium assumant; & quid moribus, 4. 8. 13. Tom. 1.
An partes resilire possint a compromisso ob parem arbitrorum dissensum; & alia plura, vide *arbiter*.
An evanescat compromissum si unus compromittentium mortuus sit, aut bonis cesserit, 4. 8. 20. Tom. 1.
Compromisso sæpe adjicitur consensus in condemnationem judicialem eorum quæ laudo comprehensa. An a tali sententia tunc appellari, aut supplicatio fieri, aut restitutio peti possit, 4. 8. 31. Tom. 1.
Consultum, non innotescere laudum partibus antequam sententia judicis firmatum sit &c. Vide *arbiter*.

Concubina.

An concubinæ donari possit jure civili ac moribus, 24. 1. 15. Tom. 4.
Quid sit concubinatus? quo modo a stupro distet, 25. 7. 1. Tom. 4.
In quibus conveniat cum justis nuptiis, 25. 7. 2. Tom. 4.
In quibus differat a justis nuptiis, & liberi naturales e legitime nati. Concubinatus jure civili non probatus sed toleratus fuit. Moribus improbatus est, & varie punitur; nec concubina differt a meretrice, 25. 7. 3. Tom. 4.

Concursus actionum.

De triplici modo, quo actiones ex uno facto concurrunt ut una earum mota alteram in totum, vel pro parte, vel nullo modo perimat. An actio injuriarum perimat actionem ex lege Aquilia, & vice versa? 44. 7. 16. Tom. 6.
Quid juris, si plures ex eadem causa concurrant rei persecutoriæ? Quid, si ex diversis causis? 44. 7. 17. Tom. 6.
De concursu rei persecutoriæ cum mere pœnali, 44. 7. 18. Tom. 6.
De concursu rei persecutoriæ cum pœnali mixta, 44. 7. 19. Tom. 6.
De concursu mere pœnalis cum alia mere pœnali, vel cum pœnali mixta, & de concursu plurium actionum, quæ singulæ pœnales mixtæ sunt, 44. 7. 20. Tom. 6.
Quo respectu vera sit regula, *nunquam actiones pœnales de eadem re concurrentes, alia aliam consumit?* 44. 7. 21. Tom. 6.
An uno modo agendi electo, adhuc ad alterum actor transire possit, priore relicto, 44. 7. 23. Tom. 6.

Concursus judicium inter creditores.

Quo modo agat de jure prælationis in generali judicio concursus creditorum is, cui ex die vel sub conditione debetur, 5. 1. 28. Tom. 2.

De judicio concursus & prælationis inter creditores, 20. 4. 10. Tom. 3.

An & quando pendente vel jam finito concursus judicio, creditores alii supervenientes adhuc audiendi sint. Et an tunc per eos, qui jure debiliore muniti sunt, cum sorte accepta etiam usuræ medii temporis reddendæ sint, 20. 4. 10. Tom. 3.

An pecunia ex pignorum venditione redacta, pendente judicio concursus fœnori collocari possit in usum creditorum, 20. 4. 11. Tom. 3.

Quibus creditoribus ante finitum concursus judicium solvi possit, 20. 4. 11. Tom. 3.

Quo modo graphiarii & similes cogi possunt ad nummos secundum sententiam prælationis distribuendos, 20. 4. 11. Tom. 5.

Quo in loco judicium concursus & prælationis agitandum sit, 20. 4. 12. Tom. 3.

Concussio.

De concussione publicanorum & pœnis eorum, 39. 4. 19. Tom. 5.

Quid sit crimen concussionis. Recensentur modi, quibus committitur, 47. 13. 1. Tom. 6.

Quæ fuerit pœna ejus. Quæ moribus in judice, militibus, præfectis, rusticos, præternavigantes, aliosque concutientibus, 47. 13, 2. Tom. 6.

Conditio.

Quid sit proprie conditio, 28. 7. 1. Tom. 4.

Quid juris, si testator scribat, *se hæredem instituere secundum conditiones infra scriptas*, & nullas subjiciat. Quid, si hæredem primo pure, dein sub conditione instituat, aut versa vice, 28. 7. 2. Tom. 4.

Conditiones, tacite subauditæ ex ipsa rei natura, non faciunt dispositionem conditionalem. Si tales per testatorem expressæ fuerint, an non tunc conditionis vim & effectum habeant, 28. 7. 3. Tom. 4.

Conditiones subauditæ ex probabili mente testatoris, dispositionem faciunt conditionalem, perinde ac si expressæ essent. Quando conditio, institutioni addita, repetita censeatur in substitutione. Et quando generaliter in priore testamenti dispositione positæ conditiones tacite repetitæ videantur in postea dispositis, 28. 7. 4. Tom. 4.

Quæ conditiones sint *dividuæ*, quæ *individuæ*, 28. 7. 5. Tom. 4.

Quando in conditionibus *in non faciendo consistentibus* locus sit cautioni Mucianæ, quando non? & de lapsu auctorum juris in assignandis exemplis Mucianæ cautionis, 28. 7. 6. Tom. 4.

Quibus præstanda sit Muciana cautio. An & hæredibus ab intestato, 28. 7. 7. Tom. 4.

Quæ sint restituenda ex hac cautione, 28. 7. 8. Tom. 4.

Quæ sint conditiones natura impossibiles. An & conditio *faciendi monumentum ad exemplum ejus, quod alteri certo in loco structum est*, si id non appareat. Quæ impossibiles jure, aut ineptæ. Quid, si tantum ad tempus a jure prohibitæ. Quæ impossibiles verborum aut rerum perplexitate, 28. 7. 9. Tom. 4.

De conditione *potestativa, causali, & mixta*; de conditione *nominis alieni assumendi*, 28. 7. 10. Tom. 4.

De conditione *nubendi*, vel *uxorem ducendi*. Et quid, si honoratus nuptias contraxerit, sed contra leges, 28. 7. 11. Tom. 4.

De conditione, *si non nupserit; si certa personæ, aut certo in loco, aut intra certum tempus, non nupserit*. Et de relictis mulieri, *cum vidua erit*. Quid, conditio tantum per obliquum, non directo, nuptias contrahi vetet. Quid si Titiæ legetur, *si Caja non nupserit*. Quid si id, quod Titiæ relictum, *si illa non nubat*, rogetur alteri restituere simpliciter, vel sub conditione *si nubat*, 28. 7. 13. Tom. 4.

Qua lege sit improbata conditio *matrimonii non contrahendi*. Quæ sententia Justiniani circa conditionem *viduitatis*. An & hodie recte adjiciatur conditione *viduitatis*, & per nuptias amissa, recuperet, si iterum vidua fiat, 28. 7. 13. Tom. 4.

An virgini possit imponi conditio, *si non nubat*. Qui scripserint de conditione *nubendi* vel *non nubendi*, & de conditione, *si patrui*, aut *extranei arbitratu* aut *consilio nubat*; item de conditione *ingrediendi vel non ingrediendi monasterium*. De pluribus aliis conditionibus possibilibus. *Remiss.* 28. 7. 14. Tom. 4.

De conditione, *si sine liberis moriatur*, expressa vel subaudita, 36. 1. 13. *&* *seqq.* Tom. 5.

Vide & *fideicommissum*.

Qui sint effectus conditionis existentis aut deficientis. Quarum conditionum implementum haud requiratur. Ubi & de differentia inter *impossibiles natura vel moribus*, & eas quæ sunt impossibiles *verborum aut rerum perplexitate*, & de conditione *jurandi* remittenda, 28. 7. 15. Tom. 4.

Cur in ultimis voluntatibus conditiones natura vel moribus impossibiles pro non scriptis habeantur: contractus autem vitient. An & hodie tales conditiones in testamentis habeantur pro non scriptis, 28. 7. 16. Tom. 4.

Conditiones in præteritum aut præsens conceptæ, & quæ tacite insunt ex natura rei, existere quidem debent sed non suspendunt dispositionem, 28. 7. 17. Tom. 4.

Conditiones casuales omnino existere debent, ut & mixtæ, quatenus casuales sunt. Potestativa censetur defecisse, si per testatorem, aut per honoratum stet, quo minus impleatur. Si honoratus professus sit, se nolle implere, an pœnitentiæ locus. Quid, si honoratus ipse in causa sit, ne tertius admittat implementum potestativæ, 28. 7. 18. Tom. 4.

Potestativa fingitur impleta, si per eum, cujus intererat eam non impleri, vel per eum, in cujus persona debebat impleri, steterit, quo minus impleatur; directo aut per consequentiam. An pœnitentia impedientis possit postea honorato imponere necessitatem implendi, 28. 7. 19. Tom. 4.

Si potestativa deficiat facto tertii, cujus nihil intererat, an, & quando pro impleta habeatur, quando non, 28. 7. 20. Tom. 4.

Si potestativa deficiat casu, an & quando pro impleta, quando pro defecta habeatur, etiam in annuis legatis, & conditione tractum temporis habente. Et quid, si duobus dare jussus, uni dare nequeat, quia ille mortuus est, 28. 7. 21. Tom. 4.

An post mortem testatoris superveniens mortalitas ejus, in cujus persona conditio implenda erat, quæ tractum temporis habet, veluti, *si cum Titio moretur*, perimat in futurum legata annua sub tali conditione relicta, 28. 7. 22. Tom. 4.

Distinctiones superiores non ita locum habent in libertate relicta sub conditione potestativa, quæ tunc favore libertatis facilius impleta fingitur, 28. 7. 23. Tom. 4.

Per quos conditio implenda sit. An per hæredem honorati, aut substitutum in conditionibus dandi vel faciendi. An per Abbatem vel tutorem pro monasterio vel pupillo honorato. An filiusfam., servus, impubes, conditionem implere possint sine jussu patris aut domini, vel tutoris auctoritate, 28. 7. 24. Tom. 4.

An conditio potestativa, contractibus addita, per hæredes impleri possit, 44. 7. 4. Tom. 6.

An implenda conditio, si inde nulla alteri accedat utilitas. An implenda specifice, & quando per æquivalens, 28. 7. 25. Tom. 4.

An vivo, an mortuo testatore conditiones tum potestativæ tum casuales impleri debeant, aut existere. Et quid sit *conditio promiscua & non promiscua*, 28. 7. 26. Tom. 4.

An conditiones potestativæ per honoratum post mortem testatoris quantocius implendæ sint, an magis id ab honorati arbitrio pendeat. An non prætor, petentibus iis, quorum interest, tempus præfinire possit, intra quod impleantur. Si testator certum tempus implemento præfinierit, ex quo die illud currat, 28. 7. 27. Tom. 4.

Si conditio testamento inserta jam extiterit, ante conditum testamentum, an iterum postea existere debeat, 28. 7. 28. Tom. 4.

Quid juris, si plures conditiones conjunctim vel disjunctim adscriptæ sint. Quando conjuncta pro disjunctis, disjuncta pro conjunctis habeantur. Qualis conditio existere vel impleri debeat, si plures conditiones diversis testamenti partibus adscriptæ sint institutioni, legato, libertati, 28. 7. 29. Tom. 4.

De ambiguæ conditionis interpretatione. Si maritus uxori leget, *si illa quandoque liberos habuerit*, de liberis ex se, non ex alio genitis sensisse videtur. Conditio, *si Titio nupserit*, non impletur, si prius Cajo, postea Titio nubat, 28. 7. 30. Tom. 4.

Qui plura scripserint de conditionibus, 28. 7. 31. Tom. 4.

Quando dies incertus institutioni vel legato appositus conditionem faciat, quando non. Dies certus legatis adjici potuit, non institutionibus, ubi pro non scripto est, at moribus hæres ex certo tempore vel ad certum tempus institui potest; & ad tempus institutus universali fideicommisso censetur gravatus, 28. 7. 32. Tom. 4.

Condictio.

De certi condictione ex mutuo, vide *mutuum*.

Condictio *causa data, causa non secuta*, non datur occasione contractus facio, ut, vel ne des aut facias; nec respectu datorum ob causam præteritam; vel ob futuram sed in men-

mentem ratentam. Nec ex vero sed quasi ex contractu descendit, 12. §. 1. Tom. 3.
Quid sit hac actio, quibus, contra quos & ad quid detur, 10. §. 2. Tom. 3.
Sub datione an & acceptilatio continеatur, an hac actione uti possit, qui aliom ob causam futuram liberaverat per acceptilationem, 12. §. 3. Tom. 3.
Condictio hæc quando detur, quando non, ubi huic secdum locus est, intentari tamen potest condictio ex capite *pœnitentiæ*; quæ & tunc datur, cum res, quæ vicissim danda, vel circa quam quid faciendum, casu perit, re adhuc integra. Ac transit pœnitendi potestas ad dantis hæredes, 12. §. 4. Tom. 3.
Quando res intelligatur integra, quando non, 12. §. 5. Tom. 3.
Mortibus cessat licentia pœnitendi; in cæteris superest usus condictionis causa data, 12. §. 6. Tom. 3.
An repeti possit, quod datum ob causam futuram, sed impossibilem natura vel moribus, 12. §. 7. Tom. 3.
An repeti possit causa non secuta quod datum est ob causam solius accipientis commodum continentem, veluti, ut vestem sibi paret, 12. §. 8. Tom. 3.
Condictio *ob turpem causam* datur, si solius accipientis, non item dantis turpitudo sit, quod exemplis demonstratur. An & si fori vel alteri *judicium* detur, ut rem furtivam indicat, 12. 5. 1. Tom. 3.
Cessat hæc condictio, si vel solius dantis, vel dantis simul & accipientis turpitudo sit, quod exemplis docetur, 12. 5. 2. Tom. 3.
An careat hac condictione, qui dedit judici, ut pro se judicaret in bona causa, vel festinato litem expediat, 12. 5. 2. Tom. 3.
Accipiens ob turpem causam reddere tenetur turpia lucra tertio, cujus interest, aut fisco, 12. 5. 3. Tom. 3.
Quid sit condictio *ob injustam causam*, 12. 5. 4. Tom. 3.
Quid juris, si quid non datum, sed tantum promissum sit ob *turpem* vel *injustam* causam, 12. 5. 5. Tom. 3.
Quid juris in eo, quod meretrici pro stupro promissum, & quid, si fingatur præcedens mutui numeratio, cum vere esset promissio ob turpem causam, 12. 5. 6. Tom. 3.
De *condictione indebiti*, vide *indebitum*.
De *condictione sine causa*, tum generali, tum speciali, 12. 7. 1. & 2. Tom. 3.
Quo sensu dominus dici possit *rem suam condicere* a fure, 13. 1. 1. Tom. 3.
Quid sit *condictio furtiva*. Datur solis dominis, qui & tempore furti facti, & quo agitur, domini sunt: non illis, qui tantum alterutro tempore dominium habuerunt, 13. 1. 2. Tom. 3.
Non datur commodatariis & depositariis. An & quatenus detur creditori, cui pignus surreptum est; & quid mortbus, 13. 1. 3. Tom. 3.
An contra hæredes furis condictio furtiva in solidum detur, licet nihil ex re furtiva ad eos pervenerit, 13. 1. 4. Tom. 3.
Quo usque detur contra dominum aut patrem filiifamilias aut servi furis. An servus post manumissionem condictione furtiva conveniri possit. An, qui non contrectarunt, sed tantum ope vel consilio juverunt, 13. 1. 5. Tom. 3.
Quid juris, si plures contrectando furtum fecerint, 13. 1. 5. Tom. 3.
Ad quid tendat hæc actio, si res dolo, aut culpa, aut casu perierit; cujus temporis æstimatio præstanda sit, 13. 1. 6. Tom. 3.
Habet locum, sive proprietatis sive possessionis aut usus furtum sit, etiam pro rebus immobilibus vi possessis, 13. 1. 7. Tom. 3.
Recensentur casus, quibus cessat furti condictio; inter quos, si dominus sua voluntate ac sponte dominium amiserit; aut ei a fure satisfactum sit, 13. 1. 8. Tom. 3.
De *condictione ex lege*, & plerisque casibus in quibus ea locum habet, 13. 2. 1. & 2. Tom. 3.
Quid sit *condictio triticaria*, & unde dicta, ei locus non est, nisi principalis actio in personam sit; & per eam non pecunia numerata, sed res aliæ, æstimationem recipientes, fuissent petenda, 13. 3. 1. Tom. 3.
Hæc actio non plene nova est, sed adjectitia qualitas actionis alterius. Cujus temporis æstimatio in ea spectetur, 13. 3. 2. Tom. 3.
Explicatur generaliter, cujus temporis, & cujus loci æstimatio spectanda sit, 13. 3. 3. & 4. Tom. 3.
Condictio de eo, *quod certo loco*, vide *locus*.

Conductio.

Vide *locatio*.

Confessio, confessus.

An hodie pro confesso habeatur qui de crimine aliquo transegit cum privato laeso vel cum publico accusatore, 2. 15. 30. Tom. 1.
Confessus ad interrogationem in jure prodest interroganti, non aliis, licet simile jus habentibus, 11. 1. 10. Tom. 2.
Confessio tacita ex quibus colligatur. An & ex silentio, fuga, oppositione solutionis, compensationis, 40. 2. 2. Tom. 6.
De confessione judiciali. Quid, si illa fiat apud judicem incompetentem. Quid, si fateatur, se occidisse, nec constet de corpore delicti. Quid, si, se debere rem, quæ non amplius existit. Quid, si, se certam debere quantitatem; sed sine expressione causæ. Quid, si fateatur ad obscurum libellum, 42. 2. 2. Tom. 6.
Necesse, ut de suo facto fateatur. Contra se, ex libera voluntate, non vi, metu, iracundia, errore. Quid, si error juris sit. Quid, si probare nequeat, se errore facti confessum esse, 42. 2. 3. Tom. 6.
Confessio debet esse certa. An obscuræ interpretatio fiat contra confessum. Quid juris, si pupillus, minor, ætatis veniam habens, aut tutor, curator, procurator fateatur, & cui noceat. An, & quando cliens corrigere possit erroneam advocati confessionem. An procurator ipse petere possit restitutionem contra suam confessionem, 42. 2. 4. Tom. 6.
Acceptanda confessio per adversarium aut procuratorem ejus. An is confessionem qualificatam dividere possit in civilibus aut criminalibus, 42. 2. 5. Tom. 6.
De effectu confessionis judicialis. An ad eam sequi debeat condemnatio in civilibus & criminalibus. An judex possit in aliud condemnare, quam quod confessione comprehensum. An & quales induciæ confesso competant, aut arbitrio judicis concedi possint, 42. 2. 6. Tom. 6.
An confessio in uno facta judicio, probet in alio. An id, quod quis ut testis in uno judicio deposuit. An revocari possit, 42. 2. 7. Tom. 6.
De confessione extrajudiciali; & ejus effectu. Quid, si geminata. Quid, si in scripto facta. An probata confessione hac, judex possit jusjurandum deferre. An unius testis depositio cum probata confessione extrajudiciali plenam fidem faciat. 40. 2. 8. Tom. 6.
De confessione in testamento facta, & ejus visibus. Quid, si quis asserat in testamento, sibi deberi, 40. 2. 9. Tom. 6.

Confessoria actio, & negatoria.

Cur non æque circa res corporales ac circa servitutes, negatoria actio recepta sit, 7. 6. 1. Tom. 2.
Ad quid tendat negatoria circa servitutes prædiales, ubi & de canalibus fistulisque aqueis ruptis, sterquilinio prope parietem alterius habito, & humectante; deque pariete ultra semipedem inclinato supra aream vicini, & onera refectionis, 8. 5. 5. Tom. 2.
An, si maritus uxori bonorum suorum usumfructum legaverit, vidua possit privata auctoritate in bonorum istorum possessionem ingredi, vel ea occupare, 7. 6. Tom. 2.
An actio confessoria detur fructuario pro servitutibus prædio fructuario debitis, 8. 3. 1. Tom. 2.
Cessat confessoria, si dominus prædii servientis quid fecerit in præjudicium servitutis, vicino consentiente, vel si prædii intermedii liberi dominus ea fecerit jure suo, quæ servituti obsunt, 8. 5. 4. Tom. 2.
Quædam actiones re ipsa sunt confessoriæ, & negatoriæ, quædam sola verborum conceptione, 8. 5. 6. Tom. 2.

Confiscatio.

Vide *publicatio*.

Confusio debiti & crediti.

Quid sit. Et quot modis fieri possit, 46. 3. 18. Tom. 6.
Quid juris circa confusionem, si debitor creditori, aut vice versa, succedat, etiam circa obligationes accessorias fidejussorum & pignorum, 47. 3. 19. Tom. 6.
Quid si fidejussor debitori, vel debitor fidejussori succedat. Et quid, si tali in casu fidejussor pro sua obligatione fidejussoria fidejussorem dederit vel pignus. Et quid, si fidejussor potuerit se ex sua persona tueri aliqua personali exceptione. Quid, si principalis debitor tantum naturaliter fuerit obligatus, fidejussor civiliter. Quid si principalis debitor ex suo capite potuerit juvari restitutione ex minorennitate, 46. 3. 20. Tom. 6.
Quid, si fidejussor succedat creditori, vel creditor fidejussori, 46. 3. 21. Tom. 6.
Quid, si ex pluribus debendi reis creditori, vel creditor uni ex pluribus debendi reis. Vel unus ex pluribus credendi reis debitori vel debitor uni ex pluribus credendi reis succedat, 46. 3. 22. Tom. 6.
Quid, si fidejussor, qui pro duobus debendi reis apud stipulatorem vel pro promissore apud duos credendi reos fidejusserat, uni reorum debendi vel credendi succedat, vel vice versa hi ei, 46. 3. 23. Tom. 6.

Quid,

Quid, si unus reus debendi correo debendi, vel unus reus credendi correo credendi succedat. De utilitate profluente ex eo, quod non fiat confusio, si correus correo debendi vel credendi succedat, si forte alter exceptione temporali vel perpetua tutus fuerit, vel repelli potuerit, alter non, 46. 3. 24. Tom. 6.
Quid, si fidejussor succedat confidejussori, 46. 3. 25. Tom. 6.
Quid juris sit, si fiscus suo succedat debitori, vel tanquam hæres, vel tanquam in bona vacantia. Quid, si successerit Titio debitori Mævii, & dein etiam ipsi Mævio, 46. 3. 26. Tom. 6.
Non contingit confusio, si aditio fiat cum inventario. Confusione extinctæ obligationes redintegrantur, si victor in petitione hæreditatis eam cedat adversario, cum pacto, ut obligationes restaurentur; vel, si quis aditam hæreditatem vendat alteri; vel ex capite minorennitatis adversus aditionem restituatur, vel hæreditas adeunti evincatur querela, aliisque modis; vel auferatur, ut indigno per culpam, non dolum. Quid, si hæres, debitor aut creditor defuncti, restituat hæreditatem ex fideicommisso, 46. 3. 27. Tom. 5.

Confusio materiarum.

Cui cedant confusi liquores ut metalla duorum, & quid, si materiæ aridæ duorum commixtæ sunt, 41. 2. 23. Tom. 5.

Conjuncta.

Quando conjuncta pro disjunctis, disjuncta pro conjunctis habeantur, 28. 7. 29. Tom. 4.

Conjuncta persona.

An conjuncta persona sine mandato possit arrestare debitorem conjunctæ personæ, 2. 4. 33. Tom. 1.
An & quando conjuncta persona pro conjuncta agere possit sine mandato, 3. 3. 11. Tom. 1.
An restitutionem in integrum petere, 4. 1. 9. Tom. 1.

Consensus parentum ad nuptias.
Vide *nuptiæ.*

Consignatio vid. *Obligatio.*
Consors ejusdem litis.

An consors ejusdem litis transigere possit invitis cæteris pendente lite, 2. 15. 6. Tom. 1.

Constitutiones.

Quæ sit auctoritas constitutionum editarum ab Imperat. post tempora Justiniani, 1. 2. 6. Tom. 1.
Quid sint Principum constitutiones, & quot modis Princeps jus constituat, 1. 4. Tom. 1.

Constitutum possessorium.

Constitutum possessorium etiam inter absentes fieri potest, & cur, 12. 1. 5. Tom. 3.

Constitutum, actio de constituta pecunia.

Quid sit constitutum, quibus fiat formulis, 13. 5. 1. Tom. 3.
Inutile est constitutum, si quis alienum debitum constituat per errorem, ut suum, vel alium soluturum. Nec stipulatio inutilis valet ut constitutum, 13. 5. 2. Tom. 3.
Quis constituere possit, quibus constitui. An adjectio solutioni. An in constituendo possit alius adjici solutioni, 13. 5. 3. Tom. 3.
An constitutum tutoribus, curatoribus, actoribus, fiduciariis hæredibus, & hæreditatis possessoribus, prosit pupillis, municipibus, fideicommissariis, & veris hæredibus, 13. 5. 5. Tom. 3.
Qualia debita constitui possint, pecuniæ appellatione hic omnia, etiam facta continentur. Etiam generaliter potest constitui omne id, quod Titius debet. Etiam debitum naturale tantum; at non civile tantum, & cur non, 13. 5. 4. Tom. 3.
An constitui possit, quod testamento imperfecto relictum est, 13. 5. 5. Tom. 3.
An debitum conditionale. An in diem certum debens constituere possit, se die citeriore soluturum, & an tunc ante existentiam diei vel conditionis conveniri possit, 13. 5. 6. Tom. 3.
An majorem quantitatem vel plus constituens, quam principali obligatione continebatur, obligetur in id, quod principali obligatione comprehensum est, 13. 5. 7. Tom. 3.
An constitui possit, quod debitum ab eo, qui ab hostibus captus deportatus est, 13. 58. Tom. 3.
Sine principali debito non consistit constitutum. Sufficit tamen, principale subfuisse debitum, cum constitueretur, licet tempore existentis conditionis constituto appositæ evanuerit, 13. 5. 9. Tom. 3.
Cur sortem debens non possit constituere usuras sortis, & cur tamen sortem debens constituere possit, se daturum pignora aut fidejussores, 13. 5. 9. Tom. 3.
Potest constitui alteri, quam cui debitum. Quod Titio & Mævio tanquam correis, aut tamquam principali & adjecto debetur, soli Titio recte constituitur, sic ut postea adjecto vel alteri reo non utiliter solvatur. Potest & aliud pro alio constitui creditori volenti, 13. 5. 10. Tom. 3.
Actio de constituta pecunia cui detur, & contra quem. Constituentes habere possunt beneficium ordinis, divisionis & cedendarum actionum. Quid, si aliquis constituerit *a se & Titio* vel *a se aut Titio* dari. Quid, si impersonaliter constituerit, 13. 5. 11. Tom. 3.
Quid petatur per hanc actionem. Si creditor debitum ex constituto sibi oblatum acceptare nolit nullam habens justam recusandi causam, non amplius ex constituto, sed tantum ex principali negotio agere potest. Nulla constituto novatio fit, 13. 5. 12. Tom. 3.
An legatus constituens id, quod in provincia debet, Romæ tempore legationis actione de constituta pecunia conveniri possit, 13. 5. 13. Tom. 3.
Constitutum convenit hodie in plerisque cum fidejussione, 13. 5. 4. Tom. 3.

Consuetudo.

Quando vicinarum gentium consuetudines in judicando sequi consultum sit, 1. 1. 2. Tom. 1.
Consuetudo legem interpretatur, 1. 3. 19. Tom. 1.
Quid sit consuetudo, & quo modo in statu monarchico ac democratico introducatur, 1. 3. 27. Tom. 1.
Debet esse justa & rationabilis, 1. 3. 28. Tom. 1.
In quo distet consuetudo a corruptela, 1. 3. 28. Tom. 1. *ibid.*
Requiritur longum tempus & actuum frequentia arbitrio judicis. Actus duo non sufficiunt, 1. 3. 29. Tom. 1.
Sufficiunt actus extrajudiciales, 1. 3. 30. Tom. 1.
Actus debent esse uniformes, nec alii dispares iis mixti; nec continentes spontaneam juris sui renunciationem, 1. 3. 31. Tom. 1.
Consuetudo per allegantem probanda, 1. 3. 32. Tom. 1.
Quo modo consuetudo probetur, an per unius doctoris assertionem, an per jusjurandum suppletorium, 1. 3. 34. Tom. 1.
An per duos testes, 1. 3. 34. Tom. 1.
An sufficiat turba testium, si testes singulares sint, aut tantum negative deponant? & quid testes de consuetudine testantes deponere debeant, 1. 3. 35. Tom. 1.
Consuetudo eandem recipit interpretationem, & extensionem, quam lex, 1. 3. 36. Tom. 1.
Consuetudo posterior an & quando abroget legem priorem, 1. 3. 34. Tom. 1.

Consul.

De consulum Romanorum origine ac potestate: & qui auctores de Consulibus scripserint, 1. 10. 1. Tom. 1.
Diminuta fuit sub Imperatoribus potestas Consulum; multa tamen adhuc per eos expedita, 1. 10. 2. Tom. 11.
Consul apud se potuit manumittere, non apud collegam, & quid si Consul esset minor annis viginti, 1. 10. 2. Tom. 1.
Consules alii fuerunt ordinarii, alii suffecti, alii honorarii, 1. 10. 3. Tom. 1.
De potestate eorum, qui nunc dicuntur Consules nationis Anglicæ, Belgicæ &c. 5. 1. 114. Tom. 2.

Contestatio litis.

Quo modo fiat litis contestatio, quæ plena, quæ minus plena sit, 5. 1. 144. Tom. 2.
De ficta litis contestatione, quæ est ex contumacia, 5. 1. 145. Tom. 2.
Rejicitur divisio litis contestationis in affirmativam & negativam, simplicem & conditionatam, 5. 1. 146. Tom. 2.
In omni judicio opus est litis contestatione, etiam in summario. Quid si reus respondens protestetur, se id non facere animo litis contestandæ, 5. 1. 147. Tom. 2.
Quinam sint effectus litis contestationis, per eam non solet deterior fieri conditio actoris, 5. 1. 149. Tom. 2.

Continentia causæ.

Forum quis competens sortitur ex continentia causæ, 5. 1. 90. Tom. 2.
Ob continentiam causæ ad eundem judicem ire debent, confines, socii, contutores, legatarii & creditores hæreditarii, ut legis Falcidiæ ratio ineatur: sæpe etiam plures de liberali causa &c. 11. 2. 1. Tom. 2.

Ter-

Terminanda apud eundem causa possessionis & proprietatis. Quid moribus, 11. 2. 2. Tom. 2.
Si plures unius debiti debitores, vel cohæredes nomine hæreditario debentes, sub diversis habitent judicibus inferioribus, omnes tamen subsint uni judici superiori, omnes, inferiore prætérito, ad superiorem vocari possunt apud nos, 11. 2. 3. Tom. 2.
Si ex pluribus actoribus aut reis quidam privilegiati sint respecto fori, etiam non privilegiati ad eundem judicem ire & vocari possint, 11. 2. 4. Tom. 2.
Hodie ex voluntate actoris aut rei quæstio civilis & criminalis non dividenda; si utraque ex uno facto oriatur, 11. 2. 5. Tom. 2.
Curatore bonis dato, ad eundem judicem ire debent omnes obærati debitoris creditores, 11. 2. 6. Tom. 2.

Continuatio communionis inter superstitem & liberos post solutum matrimonium.

In quibus locis obtineat hæc continuatio communionis? Sine speciali statuto non est in dubio admittenda. Nec in dubio ultra liberos ad hæredes extraneos defuncti porrigenda. Quæ statuta etiam extraneos includant hæredes? Pertinet in dubio etiam ad liberos majorennes, 24. 3. 28. Tom. 4.
In continuatam societatem plerisque in locis non veniunt hæreditates, sed fructus hæreditatum obvenientium. In Hollandiæ plerisque locis etiam hæreditates. An & tunc, cum inter ipsos conjoges non fuit universalis, sed aequæstuum communio. An, si tempore soluti matrimonii nulla aut pauca fuerint bona communia. An in societatis continuationem veniant sumptus in studia, honorem, alimenta liberorum, aliaque similia, 24. 3. 29. Tom. 4.
Non est continuatio societatis, si ea liberis damnosa sit. Quo modo id sciri possit, ut liberi eligant, an bona parentis defuncti petere velint, an amplecti communionem. An possint pro parte aliqua temporis amplecti communionem, pro parte eam repudiare, 24. 3. 30. Tom. 4.
An & quo usque verum sit, conjugem superstitem nec alienare nec obligare posse bona in præjudicium liberorum, quibuscum communionis continuatio est, exceptis paucis casibus, 24. 3. 31. Tom. 4.
An, si superstes ad secunda vota transeat, etiam vitricus aut noverca veniant ad continuatam societatem? & an liberis prioris thori post obitum parentis binubi continuatio sit communionis cum vitrico aut noverca, 24. 3. 32. Tom. 4.
Impeditur continuatio, aut finitur, confecto per superstitem repertorio. Si superstes solus sit liberorum tutor, cui tunc repertorium offerre debeat. Intra quantum tempus a soluto matrimonio conficiendum sit. Et, si post conficiatur, an retro a die soluti matrimonii continuatio fuisse censeatur, 24. 3. 33. Tom. 4.
Recensentur per indicem plurimæ quæstiones, & auctoritates circa hanc repertorii confectionem, ad effectum dirimendæ societatis, ut & circa modos alios, quibus continuatio interrumpitur, 24. 3. 33. Tom. 4.
Cujus loci statuta circa societatis hujus continuationem & dissolutionem spectanda sint. Et an migratio ad alium locum superveniens post inchoatam societatis continuationem possit continuationi adferre mutationem, 24. 3. 33. Tom. 4.
In quibus locis ignoratur continuatio communionis, repertorium tamen a superstite edendum hæredibus conjugis defuncti per superstitem, antequam separatio bonorum fiat, & jurejurando firmandum; quod habetur pro præstito, ubi mors præstationem prævenit, 24. 3. 33. Tom. 4.

Continuatio possessionis.

Vide *usucapio*.

Contractus.

De contractu mariti & uxoris, vide *uxor*.
De contractu inter virum & uxorem, vide *donatio inter virum, & uxorem*.
Generalia de contractibus, vide *obligatio*.
Contractus plerique quo modo ex jure gentium introducti sint, 1. 1. 18. Tom. 1.
Sortiri quis potest forum competens ratione contractus in loco, in quo contraxit, 5. 1. 73. Tom. 2.
Ubi quis intelligatur contraxisse, si per literas consensus declaratus sit, vel alibi consensus interpositus, alibi instrumentum conscriptum sit, vel alibi contractum, sed ad locum alium sit destinatum contractus implementum, 5. 1. 73. Tom. 2.
Quibus in casibus quis in loco contractus non sortiatur forum competens, 5. 1. 74. Tom. 2.
De natura contractuum in genere, 12. 1. 1. Tom. 3.
Quare contractus alii sint bonæ fidei, alii stricti juris? & unde colligatur regulariter, an bonæ fidei, an stricti juris sint, 12. 1. 3. Tom. 3.

Contractus innominati.

Quid sint contractus innominati, & quotuplices? cur nomine careant, 19. 5. 1. Tom. 3.
Omnes contractus innominati re constant. An admittant pœnitentiam, 19. 5. 2. Tom. 3.
De actione præscriptis verbis ex contractibus innominatis. An concurrere possit cum aliis actionibus? & cum quibus? ac cur, 19. 5. 3. Tom. 3.
Facilius in subsidium ad actionem præscriptis verbis, quam ad actionem doli confugiendum est, 19. 5. 4. Tom. 3.
An actio præscriptis verbis confundi debeat cum actionibus in factum, 19. 5. 5. Tom. 3.

Contrarium.

Argumentum a contrario sensu quando procedat, 1. 3. 22. Tom. 1.

Contumacia actoris aut rei.

Quo modo coerceatur, qui jus dicenti non obtemperaverit? vide *jus dicenti non obtemperare*.
De vadimonio deserto, & pœna, & justis causis excusationis, vide *vadimonium*.
Hodie contumax est, qui tribus citationibus contemptis, non venit. Quid juris de quarta citatione, & an reus tunc adhuc audiri debeat, 2. 11. 6. Tom. 1.
Enarrantur casus, quibus vel una vel geminata citatio sufficit ad contumaciam, 2. 11. 7. Tom. 1.
Actore non veniente, ad quid reus contendere possit tum in prima, tum in appellationis lite, 2. 11. 8. Tom. 1.
Non difficulter ante sententiam ex probabilibus causis admittitur purgatio moræ aut contumaciæ, saltem mediante restitutione; at difficulter post sententiam definitivam, 2. 11. 9. Tom. 1.
Quid juris, si is, qui deficiebat, post decretum defectus mox se sistat, judice adhuc pro tribunali sedente, 2. 11. 10. Tom. 1.
Etiam pro deficiente habendus, qui se quidem sistit, sed non agit ea, quæ agenda sunt, 2. 11. 11. Tom. 1.
Non censetur deficere, qui se stato tempore ac loco sistit, si alio in loco is actus expediatur. Nec is, qui se non sistit, cum nec adversarius se sisteret, mora utrimque compensata, 2. 11. 12. Tom. 1.
Nec, qui vocatus est ad judicem jure communi incompetentem; secus, si tantum ex privilegio incompetens sit. Hinc non priori, sed tantum posteriori casu petit reo exceptio fori declinatoria post primum defectum, 2. 11. 13. Tom. 1.
Nec qui citatus in diem ulteriorem, citeriore se sistit, impetrata per libellum diei anticipandi licentia, 2. 11. 14. Tom. 1.
Nec, qui se sistit per procuratorem; nisi in criminalibus, quandoque & in civilibus, judex nominatim ipsius citati præsentiam requirat: quod tamen non facile decernendum, 2. 11. 15. Tom. 1.

Correi stipulandi vel promittendi.

Quid sint duo rei debendi vel credendi; & unde dicantur *rei*. An dies, conditio, locus, unius promissioni vel stipulationi additus impediat, ne correi sint. An, si actus modicus, non extraneus interveniat. An, si diversis temporibus stipulentur aut promittant, 45. 2. 1. Tom. 6.
Recensentur plurimæ factorum species, in quibus non sunt duo correi, licet videantur, 45. 2. 2. Tom. 6.
Correi esse possunt in stipulatione, mutuo, commodato, deposito, emptione, locatione, testamento, &c. 45. 2. 3. Tom. 6.
An stipulator eligere possit, quem ex duobus correis debendi velit in solidum convenire. An promissor cui velit solidum solvere, & quo usque duret electio ista. An stipulator a singulis correis possit partem petere. An, si ab uno, quem in solidum convenit, totum consecutus non sit, reliquum ab altero petere. An, si partem ab uno petierit, vel sponte oblatam acceptaverit, adhuc reliquum ab uno ex pluribus petere; vel ab eo ipso, qui jam partem solvit. Si a singulis partem petierit, & quidam solvendo non sint, an reliquum tunc ab aliis petere. An moribus correi debendi gaudeant beneficio divisionis, 45. 2. 4. Tom. 6.
Solutioni in his correis similis est acceptilatio, novatio, uni, aut ab uno facta. An & judicatum de uno, vel juratum ab uno, aut contra unum. Quid, si unus per capitis diminutionem obligatione exemptus sit. Quid, si creditor uni reorum debendi succedat, vel unus debendi reus alteri reo debendi; vel unus credendi. Quid juris in compensatio-

tione, quæ per unum vel uni objici poterat, 45. 2. 5. Tom. 6.
An unius reorum debendi vel credendi interpellatio prosit aut noceat alteri ad id, ne fiat præscriptio. An mora vel factum unius rei debendi noceat alteri, 45. 2. 6. Tom. 6.
Si unus solidum exegerit vel solverit, an, & quando exactum alteri communicare, vel solutum repetere pro parte a correo possit. An totum ab uno exigens, possit & actionem contra cæteros debendi reos pro rata cedere? & an solvens id petere possit. An & quantum nunc unus solidum solvens etiam sine cessione actionis repetere possit a correo, 45. 2. 7. Tom. 6.

Creditor.

De pacto, quo major pars creditorum suo debitori remittit partem debiti, vide *pactum*.
Creditoribus non prodest aut nocet adjudicatio nominum uni hæredi facta, &c. Vide *familiæ erciscundæ*.
Creditores intercedere possunt, ne inter cohæredes fiat divisio, donec sibi satisfactum sit: & quæ sit utilitas hujus intercessionis, 10. 2. 32. Tom. 2.

Crimina extraordinaria.

Quid sint. Cur, cum pœnæ eorum arbitrariæ sint, pluribus tamen certæ pœnæ proponantur. An judex in hisce etiam ad ultimum supplicium possit procedere. Qui possint de his experiri, 47. 11. 1. Tom. 6.
Recensentur varia crimina extraordinaria, 47. 11. 2. *& seqq.* Tom. 6.

Crimina publica.

Quid sint. Cur publica dicantur. De antiquo Judiciorum publicorum ordine, & extraordinaria ex recentiori jure executione, ac differentiis inter publica ac privata, 48. 1. 1. & 2. Tom. 6.
De divisione in capitalia & non capitalia, 48. 1. 3. Tom. 6.
An & quando nunc in ordine judiciorum publicorum sequi debeamus jus civile, 48. 1. 5. Tom. 6.

Criminale judicium.

Vide *judicium*.
De foro competente ratione criminis, vide *delictum*.

Culpa.

Distinctio culpæ, in culpam commissionis & omissionis, 9. 2. 3. Tom. 2.
Quid designatur in jure per culpam dolo proximam, 27. 7. 5. Tom. 4.

Cumulatio actionum.

An actiones plures uno libello cumulari possint? & quales moribus possint cumulari, quales non, 2. 13. 14. Tom. 1.
An hodie cumulari possit judicium petitorium cum possessorio adipiscendæ vel recuperandæ possessionis, 45. 1. 5. Tom. 6.
An cum possessorio retinendæ possessionis, 45. 1. 6. Tom. 6.

Cura, Curator.

De curatore ventri dando. Quis detur, & quale officium ejus, 37. 9. 2. Tom. 5.
In quibus cura maritorum in uxores differat a cura minorum &c. 23. 2. 63. Tom. 4.
De utili curationis causa actione? & an durante cura moveri possit, 27. 3. 20. Tom. 4.
An curator omnia minorum bona in dotem dare possit; & quid si dotem promiserit supra vires patrimonii, 23. 3. 4. Tom. 4.
Tutela & cura hodie confusæ sunt, 27. 10. 1. Tom. 4.
Quæ jure civili fuerint differentiæ inter tutelam & curam. An minoribus invitis detur curator jure civili & hodierno. An hodie minor in judicio civili vel criminali consistat sine curatore. Curator ad litem datur a judice, coram quo litigandum, licet alibi minor domicilium habeat. Nec talis curator satisdat, rem minoris salvam fore, 27. 10. 2. Tom. 4.
De curatore dementis & furiosi. An opus sit decreto vel publicatione, ut pro furioso habeatur. An valeant gesta per furiosum in furore, sed antequam ei curator daretur, aut post curatorem acceptum, sed cum jam sanæ mentis esset factus, 27. 10. 3. Tom. 4.
Quando furiosus dilucida habet intervalla, quæ tunc sint officia curatoris tum furoris tum intervalli tempore. An in dubio quid in furore, an magis intervalli dilucidi tempore gestum præsumatur, 27. 10. 4. Tom. 4.
Quæ sint officia curatoris furioso dati. Quo modo & ad quos effectus curator pro furioso adeat hæreditatem, furioso delatam, & acquirat legata vel fideicommissa, 27. 10. 5. Tom. 4.
De curatore prodigis dando, quales illi sint, 27. 10. 6. Tom. 4.
Prodigus ex decreto nihil agere potest, fit prodigus decreto, desinit talis esse contrario decreto. De gestis per vere prodigum, sed ante decretum; de gestis per prodigum declaratum, sed in quo vere cessabat aut nunquam fuerat prodigalitas, cujo necdum contrario decreto prius esset infirmatum, 27. 10. 7. Tom. 4.
Moribus necessaria solemnis publicatio decreti prodigalitatis & interdictionis, 27. 10. 8. Tom. 4.
In quibus pupillis magis quam furiosis comparentur prodigi, 27. 10. 9. Tom. 4.
Quis apud nos curatorem prodigo dare possit, aut furioso. De confirmatione curatoris, quem pater testamento dedit filio prodigo vel furioso. An pater liberis, liberi patri furioso, vel prodigo, uxor marito, curatores dari possint. An uxor & liberi subsint curatori sui patris aut mariti furiosi, 27. 10. 10. Tom. 4.
An in loco domicilii prodigus declaratus ubique pro tali habendus sit, etiam, quoad immobilia in alio territorio sita. Quid juris, si quis degens extra locum, in quo publicatio decreti facta est, & decreti ignarus, cum prodigo contraxerit, 27. 10. 11. Tom. 4.
An & curator dandus sit turpiter viventibus, meretricibus, si res suas non dissipent, 27. 10. 12. Tom. 4.
De curatore mutis, surdis, perpetua valetudine laborantibus dato; & quo usque illi se & sua obligare aut alienare possint sine curatore, 27. 10. 13. Tom. 4.
De antiqua cura corporum Ecclesiasticorum, aut Monasteriorum, 27. 10. 14. Tom. 4.
De modis finiendi curam, & dubiis eo pertinentibus, 27. 10. 15. Tom. 4.
De curatoribus alia vide in verbo *tutela & tutores*.

Curator bonis datus.

An curator bonis datus possit petere restitutionem in integrum respectu bonorum, quorum curator est, 4. 1. 9. Tom. 1.
Quibus in casibus curator bonis detur, 42. 7. 1. Tom. 6.
Quis jure civili curatorem bonis constituerit.
Cujus loci judex hodie, si bona in diversis territoriis sita? & ubi tunc agitandum universale judicium concursus creditorum. Quis det bonis Professorum Leydæ agentium, viduarum eorum, studiosorum, secretariorum, pedellorum. Quis bonis eorum, qui societati Indicæ in India ministrant, aut advocatorum, aliorumque suppositorum Curiæ Hollandicæ, 42. 7. 2. Tom. 6.
An curator hic invitus creari possit. An, & quando deponere officium, 42. 7. 3. Tom. 6.
Quot, & qui possint creari. Ubi de advocatis, procuratoribus, fœminis, creditoribus, debitore ipso, & filio ejus, minoribus, 42. 7. 4. Tom. 6.
De inventario faciendo. An per vicarium possit curare. An vendere vel locare jam vendita vel locata per debitorem? An exercere vel excipere debeat actiones debitoris & in eum competentes. Et, si plures sint curatores, an singuli in solidum. An curator rerum Italicarum solvere possit creditori provinciali. An circa actiones movendas intersit inter curatorem bonis cessis & hæreditati jacenti datum, 42. 7. 5. Tom. 6.
An curator possit hypothecaria agere contra tertios possessores rerum, quæ per debitorem creditoribus erant obligatæ, 42. 7. 6. Tom. 6.
An curator etiam res, huic aut illi creditori specialiter pignori datas, apprehendere, administrare, ac vendere debeat. An magis ipse creditor. An non is, qui speciali gaudet jure retentionis. An non respublica, si administrator bonorum ejus solvendo non sit. An bona, quibus curator datus, in alio loco possint arrestari jurisdictionis fundandæ gratia. Retineri possunt per creditorem, invito curatore, obligationes stipendiorum militarium, *ordonnantien op soldye*, 42. 7. 7. Tom. 6.
An curator possit instituere judicium communi dividundo circa rem debitori cum alio communem? 42. 7. 8. Tom. 6.
De obligatione inter curatorem & debitorem, cujus bona curat, & quam ei culpam præstet, 42. 7. 9. Tom. 6.
An curator possit instituere judicium communi dividundo circa rem debitori cum alio communem, 42. 7. 8. Tom. 6.
De obligatione inter curatorem & debitorem, cujus bona curat, & quam ei culpam præstet, 42. 7. 9. Tom. 6.
De obligatione inter curatorem & creditores, ac culpæ præstatione, & de imputandis impensis litis temere motæ, 42. 7. 10. Tom. 6.
An debitor obæratus, aut creditores habeant hypothecam legalem in bonis curatoris, 42. 7. 11. Tom. 6.
Si plures sint curatores, an ex administratione singuli in soli-

lidum conveniri possint. An iis locum habeat beneficium divisionis, vel ordinis, 42. 7. 12. Tom. 6.
De modis finiendæ hujus curæ. Si curator munus impleverit, nec ultra quicquam possideat ex bonis debitoris, creditores postea emergentes non curatorem, sed creditores, quibus solutum, conveniunt, 42. 7. 13. Tom. 6.

Curatores operum publicorum.

Vide *administratio rerum civitatis*.

Custodia reorum.

Ab arbitrio judicis pendet modus custodiendi, 48. 3. 1. Tom. 6.
An rei ad perpetuos carceres damnari possint. Quando incarcerandi, vel non; & an vincula carceratis injici. De custodia vinculorum sine carcere. De constitutis sub custodia apparitoris, 48. 3. 4. Tom. 6.
An incarcerari, qui salvo conductu muniti. An si tales, quibus ille dari non debuit. An incarcerari accusatores aut mulieres, 48. 3. 5. Tom. 6.
De cura incarceratorum, & suggerendis judici frequenter eorum nominibus. An quis ob morbum ex carcere dimittendus; quo modo curandus, 48. 3. 6. Tom. 6.
De prohibitis privatis carceribus, & pœna, 48. 3. 7. Tom. 6.
De pœna commentariensis & ministrorum, si dolo aut culpa eorum reus evaserit, 48. 3. 8. Tom. 6.
De pœna effringentium carceres, & reis cum, aut sine effractione fugientibus, ac propinquis ope consilio juvantibus. An rei effringentes pro confessis habendi; & quo modo contra eos procedendum, 48. 3. 9. Tom. 6.
De militari custodia libera, arctiore, arctissima, & pœna, si custoditus evadat, 48. 3. 10. Tom. 6.
Cujus sumptu alendus reus custoditus, 48. 3. 11. Tom. 6.
Quando reus cautioni fidejussoriæ committendus. An si relegatio delicto sit proposita. An carcerandus, si fidejussores invenire nequeat, 48. 3. 12. Tom. 6.
De pœna fidejussoris reum non sistentis. De dilatione ulteriore fidejussori danda, & reo interim moriente. An, & quando fidejussor defendendo reum se non sistentem, pœnam evitet. Quamdiu obligatus maneat ad sistendum, si nullum tempus sistendi sit additum, 48. 3. 13. Tom. 6.
De praxi, qua reus in persona citatus vel incarceratus, petit se sub fidejussione laxari; & iis qui sub tali cautione ab instantia dimittuntur. De reis non accusatoris sed judicis arbitrio dimittendis, 48. 3. 15. Tom. 6.

D.

Damnum.

De damno ab animalibus dato, vide *pauperies*.
De damno injuria dato, vide *Aquilia lex*.

Damnum infectum.

Cur inducta sit cautio damni infecti. Quid sit damnum infectum. Quo remedio petenda hæc cautio. An ei locus, si alio remedio is, cui damnum imminet, sibi prospicere possit, 39. 2. 1. Tom. 5.
Quis jubeat hanc cautionem præstari. Ex quibus rebus damnum timeri debeat, ut cautioni locus sit. Et quid, si publico loco, vel ex publico, damnum immineat, 39. 2. 2. Tom. 5.
Quis eam petat. Ubi de iis, quorum periculo res est; superficiariis, creditoribus hypothecariis, inquilinis, & locatoribus, fructuariis & proprietariis. Petens suo vel alieno nomine præstat jusjurandum calumniæ. An tunc auxie prætor inquirat. Si juraverit petitor, & alio tempore stipuletur, an iterum jurare debeat, 39. 2. 3. Tom. 5.
Non petit eam bonæ fidei possessor, nec qui illicite exstruxit, aut alteri prius ipse ejusdem rei nomine cavere noluit. An, & quando emptor respectu rei sibi venditæ, sed nondum traditæ. An socius a socio, si rei propriæ a re communi damnum immineat, 39. 2. 4. Tom. 5.
An is, qui damnum metu ex vitio rei, non accidentali, sed naturali; aut ex eo, quod vicinus quid facit in suo, jure suo, 39. 2. 5. Tom. 5.
Qui suo, qui procuratorio nomine cavere debeant, ubi de dominis, bonæ fidei possessoribus, fructuariis, servitutem realem habentibus. Repromittit cavens suo nomine; satisdat, qui alieno. Quæ sit ratio. Quid juris, si dubiam, an suo, an alieno nomine cavere debeat, 39. 2. 6. Tom. 5.
Quis caveat, si inter petitorem & possessorem rei vitiosæ lis pendeat. Quid juris, si plures sint domini rei vitiosæ, vel rei, cui damnum timetur, 39. 2. 7. Tom. 5.
Ubi petenda hæc cautio. Dies cautionis inserendus. Quid, si consulto vel errore prætermissus sit. Quo modo prætor diem definiat. Ad quantum tempus, si ex opere in flumine publico ripave facto damnum immineat. An lapso die apposito iterum cavendum sit, 39. 2. 8. Tom. 5.
Qui agant hac cautione, & contra quos. An & contra successores particulares rei vitiosæ. Ad qualis damni reparationem agatur. Quid, si non ex vitio rei, vel non ei rei, vel non ei parti, cujus intuitu cautum, damnum illatum sit. An immoderata sit facienda æstimatio damni ob picturas & alia ad luxum spectantia. Quid, si damnum metuens fulserit parietem. Quid, si nullus integras ædes conducere velit, aut ex iis migret, ob metum vicinæ domus ruinosæ, 39. 2. 9. Tom. 5.
De missione in possessionem damni infecti nomine, vide *missio in possessionem*.
Si plures damni infecti nomine in possessionem missi sint, pro qua parte tunc quisque possideat, & damni reparationem petat, aut usucapiat. Quid, si unus eorum in rem vitiosam sumptum fecerit, 39. 2. 13. Tom. 5.
Quid intersit, utrum damnum contigerit ante petitam cautionem, an post eam ante decretam cautionem, vel post decretam missionem in possessionem, 39. 2. 14. Tom. 5.
Quo modo moribus consultum sit de damno infecto, 39. 2. 15. Tom. 5.

Debitum, debitor.

Debitum usurarium hypotheca immobilium munitum mobilibus adnumerandum, licet in quibusdam imitetur naturam immobilium, 1. 8. 27. Tom. 1.
Debita an regi debeant lege loci debitoris, an creditoris, 1. 8. 30. Tom. 1.
An & quando utiliter debitor debitum leget creditori. Et quid, si legatus non debitum, 34. 3. 8. Tom. 5.
An debitor quantitatis legans simpliciter eam quantitatem creditori, censeatur voluisse compensare. An non, si pignus creditori legaverit, ei pro debito obligatum, 34. 3. 9. Tom. 5.

Declinatoria fori exceptio.

Vide *forum competens*.

Decretum.

De decretis ab ordine faciendis, 50. 9. 1. Tom. 6.

Decurio.

De decurionibus & filiis eorum, 50. 2. 1. Tom. 6.

Defectus, vulgo defaut.

Vide *contumacia*.

Defensor.

An minor 25. annis sine mandato defensor esse possit, 3. 3. 6. Tom. 1.
Defensor in quibus distet a procuratore, 3. 3. 25. Tom. 1.

Dejectio.

Vide *effusio*.

Delatio criminis.

De delatione, qui deferant. Qui ratione officii deferre debeant, ubi & de irenarchis. Quid, si per calumniam vel imprudenter detulerint, 48. 2. 1. Tom. 6.

Delegatio.

Quid sit delegatio. Fieri potest sub conditione. An conditionalis, si quis addat, se soluturum, si delegatus intra certum tempus non solvat. Quid, si debiti adhuc contrahendi intuitu delegatio fiat, 47. 2. 11. Tom. 6.
Quot personæ, quot, & quales contractus ad eam requirantur. Recensentur casus, quibus non est delegatio, quia aliquod requisitum deest, 49. 2. 12. Tom 6.
Delegans liberatur, licet delegatus solvendo non sit, nisi dolus adsit, vel aliud sit actum. De assignatione hodierna. An, & quando liberet assignantem. Quid, si debitor nomen sui debitoris in solutum vel pignori dederit creditori suo cum potestate exigendi, 46. 2. 13. Tom. 6.
An exceptiones, quæ possunt objici deleganti, opponi possint ei, cui facta delegatio. An delegatione perimantur fidejussiones, pignora, pœnæ, priori obligationi additæ; sistatur cursus usurarum; mora purgetur priorum obligationum intuitu facta, 46. 2. 14. Tom. 6.
An utraque, an tantum alterutra, tollatur obligatio, si is, cui & Titius & Sejus quid debebat, stipuletur a Cajo *dari sibi, quod Titius aut Sejus debet*. Quid juris, si delegatus a furioso, quem putabat sanæ mentis esse, solverit creditori ejus, 46. 2. 15. Tom. 6.

De-

Deletio testamenti.

Vide *infirmatio testamenti.*

Deliberandi jus.

Quid sit jus deliberandi. Quamdiu duret namium aditionem urgente. Quo modo & olim & jure novo possit præfigi in testamento dies cretionis de adeunda hæreditate, 28. 8. 1. Tom. 4.
Urgentibus aliis, quantum tempus hæredi concedatur ad deliberandum, jure veteri, Justinianæo, & hodierno, 28. 8. 2. Tom. 4.
An deliberante instituto, tempus currat substituto vel hæredi legitimo. Si deliberans intra tempus mentem non declaraverit, an ex silentio ejus aditio, an repudiatio præsumi debeat. In quorum gratiam jus deliberandi inductum sit, 28. 8. 3. Tom. 4.
Quid juris circa jus deliberandi, si fiduciarius hæreditatem suspectam dicat, & aditionem urgeat fideicommissarius, 28. 8. 4. Tom. 4.
Quibus hæredibus præfiniatur tempus deliberandi. An & sub potestativa institutis, pendente conditione. An & suis hæredibus. Et quid, si se jam abstinuerint. An & necessariis, & prætoriis, & fideicommissariis. An & legatariis, 28. 8. 5. Tom. 4.
Hæres deliberans jure petit, sibi copiam fieri rationum, tabularum, literarum defuncti, ab iis, qui illas tenent: etiam a cohæredibus, qui jam adiverunt, ac creditoribus hæreditariis in possessionem missis, hodie etiam a conjuge superstite sibi edi inventarium bonorum defuncti, 28. 8. 6. Tom. 4.
Dum deliberat, pati debet, creditores mitti in bona defuncti; nec res hæreditarias alienare potest, nisi venia a prætore impetrata ex justis quibusdam causis, 28. 8. 7. Tom. 4.
Denegatur jus deliberandi, si probetur, hæredem jam adivisse, 28. 8. 8. Tom. 4.

Delictum.

An per ignorantiam juris aut facti committi possit, 1. 5. 5. Tom. 1.
Ratione delicti reus non modo præsens, sed & absens accusari potest in loco criminis perpetrati, 5. 1. 67. Tom. 2.
Potest tamen etiam conveniri in loco quovis alio, in quo reperitur, præcipue in loco domicilii. In Hollandia tantum in loco domicilii, si extra locum domicilii intra Hollandiam deliquerit, nec apprehensus in flagranti delicto aut fugitivus sit. Quid si Hollandus extra Hollandiam deliquerit, 5. 1. 68. Tom. 2.
An quis criminis accusari possit in quo immobilia habet, si ibi non deliquerit, nec apprehensus sit, nec domicilium foveat, 5. 1. 69. Tom. 2.
In concursu fori multiplicis in reo criminis accusando præventioni locus est. Quis censeatur prævenisse. Quid si unus prius citaverit edictis, alter reum postea apprehenderit. Quid si unus in crimen inquisiverit, alter dein edictis citaverit ante primum inquirentem, 5. 1. 70. Tom. 2.
Præventioni etiam locus, cum in confinio duorum territoriorum crimen perpetratum est, 5. 1. 71. Tom. 2.
Si inter duos de jurisdictione criminali quæstio sit, nec brevi finiatur, judex utroque superior ad se litem criminalem evocare potest, 5. 1. 71. Tom. 2.
Apud quos judices agatur de delictis adversus leges venationis, & de violatione saltuum publicorum, & de delictis in navi Indiam petente perpetratis, de fraudatione vectigalium, importatione & exportatione mercium prohibitarum ad exteros aut hostes, de fraudationibus impositionum, delictis publicanorum, aliisque similibus, vide ad verbum *forum competens.*
Quid sit delictum. An sine dolo committi possit. An ubi dolus, ibi etiam ex delicto actio sit, 47. 1. 1. Tom. 6.
Quid sint delicta privata. Distant a publicis & extraordinariis, licet ex eodem delicto, & civiliter, & extra ordinem vel judicio publico criminaliter agi possit. Unum facinus ex variis publicorum judiciorum legibus accusari potest, 47. 1. 2. Tom. 6.
Quot sint privata delicta? Moribus fiscus solus pœnalem ex delictis persecutionem facit, & hactenus nunc non multum inter delicta publica & privata interest. Privati non pœnam, sed tantum indemnitatem petunt a delinquente, & hærede ejus in solidum. Adhuc hodie dupli vel alterius pœnæ pecuniariæ persecutio privatim competit in quibusdam casibus, 47. 1. 3. Tom. 6.

Demonstratio.

An & quando sola demonstratione sive nomine quis testamento honorari possit? An digito monstrari? An falsa demonstratio, addita nomini proprio honorati, vitiet dispositionem? An, & quando falsa demonstratio circa cognationum vel affinitatem, 35. 1. 3. Tom. 5.
Falsa demonstratio rei legatæ quando inutile faciat legatum, quando non, 35. 1. 4. Tom. 5.
An debeatur legatum, si testator rem demonstret; unde legatum præstetur, & illa non appareat, vel esse desierit, vel præstationi non sufficiat, 35. 1. 5. Tom. 5.
Quid, si testator demonstret verbis futuri temporis rem in futurum acquirendam, ex qua legatum præstari velit, vel quam ipsam legat, & ea non acquiratur? Et an non talis demonstratio conditionis effectum habeat, 35. 1. 6. Tom. 5.
Falsa demonstratio non facit legatum, dum legatum dicitur, quod legatum non est, 35. 1. 7. Tom. 5.
Quid, si testator nomen & qualitatem aut artificium personæ expresserit, nominato non conveniens, & dubium sit, an in nomine, an in demonstratione erratum sit. Quid, si *Titio amico*, aut *cognato* reliquat, & plures habeat Titios cognatos, 35. 1. 8. Tom. 5.

Denunciatio litis motæ.

Vide *evictio.*

Deportatio.

Vide *exilium.*

Depositio.

Vide *oblatio, consignatio, & depositum.*

Depositum.

De Depositis in æde sacra, in horreis publicis, apud argentarios, 16. 3. 1. Tom. 3.
Quid sit contractus depositi. An depositum maneat, si id agatur, ut tantundem reddatur, 16. 3. 1. Tom. 3.
Cujus gratia depositum celebrari possit. An solius depositarii gratia. Recensentur casus, quibus dubium, an depositum an mandatum sit, 16. 3. 2. Tom. 3.
Quales res deponi possint, an & immobiles, an & res propria apud suum dominum, 16. 3. 3. Tom. 3.
Directa depositi actio quibus detur. An & tertio, de quo actum, ut ei reddatur. Quid juris, si plures eandem rem dividuam aut individuam deposuerint, vel uni deponenti plures hæredes extiterint, 16. 3. 4. Tom. 3.
Contra quos detur, quid si plures sint depositarii, vel plures unius depositarii hæredes. An detur contra manumissum de eo, quod durante servitute recepit. An & contra tertium possessorem, 16. 3. 5. Tom. 3.
Ad quid tendat, ubi & de accessionibus rerum depositarum, & cista obsignata deposita, & usuris rerum fungibilium depositarum, 16. 3. 6. Tom. 3.
Qualem culpam præstet depositarius, quando ex casu fortuito teneatur. Quid juris, si ipse vel hæres ejus rem depositam vendiderit, ac tunc illa casu perierit, 16. 3. 7. Tom. 3.
An deponens rem a depositario alienatam vindicare possit, & quid juris, si depositarius res suas secundo oppignorarit, non salvatis depositis, 16. 3. 8. Tom. 3.
An depositi restitutio impediri possit compensatione, retentione ob impensas, exceptione non numeratæ pecuniæ, intercessione tertii, pacto de *reddendo si velit*, vel ut demum post certum tempus reddatur, 16. 3. 9. Tom. 3.
Contraria actio depositi ad quid tendat. An res pro damno noxæ dari depositario possit, 16. 3. 10. Tom. 3.
De deposito miserabili, & quid in eo moribus obtineat, 16. 3. 11. Tom. 3.
Quid sit depositum sequestrarium. An sequester possideat rem sequestratam, 16. 3. 12. Tom. 3.
Quæ potestas, quæ officia sequestrorum sint, & an sequester jus patronatus ac jurisdictionem exercere possit, si res, quibus illa jura cohærent, sequestratæ sint, 16. 3. 13. Tom. 3.
Propter quas causas invito altero litigantium sequestratio fieri possit, etiam ipsius pecuniæ numeratæ. An possessor rei impedire possit sequestrationem ejus per oblationem idoneæ cautionis, 16. 3. 14. Tom. 3.
De actionibus ex deposito sequestrario natis, & quando iis locus sit. Quæ pœnæ sint subducentium auctoritate privata res sequestratas, 16. 3. 15. Tom. 3.
De depositione pecuniæ apud acta; quid si graphiarius eam in suos usus converterit. Quid si & foro cesserit, an potiores sint, qui ita deposuerunt, in bonis ejus. An & ipsi magistratus tunc teneantur, 16. 3. 17. Tom. 3.

Derelictio.

Pro derelictis habita, cui cedant, & de agris desertis. Quid, si non dominus dereliquerit. An quis possit rem suam pro parte derelinquere. An agros steriles vel oneri reficiendi ag-

aggeris obnoxios, & retinere fertiles in vicinia. An derelinquere agros post cespites inde eductos, ut tributo liberetur, 41. 1. 10. Tom. 5.

Desertio malitiosa.

De matrimonio ob malitiosam desertionem solvendo, vide *divortium*.

Dies.

De diebus continuis, utilibus, cœptis, aut de momento in momentum computandis, die intercalari, & similibus, vide *præscriptio*.
De sanctitate diei dominici, quid eo die liceat, nec ne. An contractus, an sententia die dominico lata, valeat, 2. 12. 2. Tom. 1.
Citatio die dominico facta est ipso jure nulla, 2. 12. 3. Tom. 1.
Citatus die profesto, ut se sistat die dominico, sistere se debet proxime sequenti die judiciali, 2. 12. 4. Tom. 1.
De die intercalari, 4. 4. 1. Tom. 1.
De die cedente & veniente, vide *cessio diei*.

Diffamatio.

Quando locum habeat actio ex *l. diffamari*, ejus extensio ad omnes causas æquitate nititur, 5. 1. 21. Tom. 2.
Non est locus actioni ex *l. diffamari*, nisi probetur diffamatio. Quando necesse non sit, probari jactantiam aut diffamationem, 5. 1. 22. Tom. 2.
Quo in loco intentanda sit actio ex *l. diffamari*, alibi hac actione, alibi de negotio principali litigatur, 5. 1. 23. Tom. 2.
Quot citationibus opus, antequam vocato ex *l. diffamari* silentium imponatur. An adversus impositum silentium restitutio impetrari possit, 5. 1. 24. Tom. 2.

Dignitas.

Quali dignitate tollatur patria potestas, an & sacerdotio, & quid moribus, 1. 7. 10. Tom. 1.
An jus accrescendi locum habeat, si duobus simul dignitas aut munus, lucrum adjunctum habens, collatum sit donec vixerint, 7. 2. 8. Tom. 2.

Dilatio.

Quid sint dilationes, quomodo a feriis distent, 2. 12. 10. Tom. 1.
Quæ sint dilationes legitimæ, quæ arbitrariæ, quæ conventionales, 2. 12. 11. Tom. 1.
An judex legitimarum dilationum tempus ex justa causa prorogare possit, 2. 2. 12. Tom. 1.
An ex adverso coarctare, 2. 12. 13. Tom. 1.
Dilationum dies continui sunt, 2. 12. 14. Tom. 1.
An certorum dierum dilatione data, dies ipse, quo data dilatio, computari debeat, 2. 12. 14. Tom. 1.
Dilatio ad exhibendum quandoque a judice datur, 10. 4. 5. Tom. 2.

Dispensatio.

Quid sit dispensare de legibus, qui possint dispensare, & de quo jure, & quando licita sit dispensatio, 1. 3. 25. Tom. 1.
Quales magistratus dispensatione remittant necessitatem proclamationum in nuptiis, 23. 2. 3. Tom. 4.

Divisio hæreditatis.

Vide *familiæ erciscundæ*.
Divisio rerum communium, vide *communi dividundo*.

Divisionis beneficium.

Quo usque fidejussor tutoris gaudeat divisionis beneficio ex sua vel tutoris persona, 27. 7. 1. Tom. 4.
An ab Hadriano, an magis a Pio sit inductum hoc beneficium divisionis. An locum habeat respectu confidejussorum, qui solvendo non sunt. Creditori nocet, si quidam post litem contestatam desinant solvendo esse. Nec hic minor restituitur, nisi inter vere idoneos divisionem admiserit. Quis probet, quis definiat, an reliqui sint idonei. Quid agendum sit uni in solidum convento, si dubium, an reliqui sint idonei. Quando hæc exceptio opponenda, 46. 1. 21. Tom. 6.
An ei locus, si plures fidejusserint pro conductore vectigalium aut alio debito fiscali. Et quid moribus. An si alius pure, alius sub conditione fidejusserit. Vel plures diversis temporibus pro eodem debitore in solidum. Quid, si fidejusserint *pro debito vel parte ejus*. An, si pro eodem debito, sed diversis debitoribus. An inter diversarum stipulationum fidejussores. An inter fidejussorem primum & fidejussores ab eo datos, 46. 1. 22. Tom. 6.
Cessat, si fidejussor negaverit, se fidejussisse; vel plures fidejusserint, rem pupilli salvam fore, vel cum muliere. Quid, si cum minore, & is postea restituatur, 46. 1. 23. Tom. 6.
Cessat, si ei specialiter renunciatum sit, 46. 1. 24. & 16. Tom. 6.
An, si unus solidum solverit, condicat ut indebitum, quod supra suam partem solvit. An cesset, si plures pro rei vel facti individui debito fidejusserint. Quid, si quis promiserit, *se solidum soluturum*, vel se obligaverit in solidum *ut principalem*, *& unus pro omnibus*. Quid, si plures fidejusserint in solidum, *elck een voor al*. Quid, si pro debito guarentigiato, vel habente clausulam consensus in voluntariam condemnationem, 46. 1. 24. Tom. 6.
An qui suam partem virilem debiti sponte solvit, adhuc de reliquorum confidejussorum cessantium partibus teneatur, si hi solvendo sint. An adhuc conveniri a creditore, si suam partem virilem solverit confidejussori. Et an contra fidejussorem de parte illa ei soluta creditor recte agat, 46. 1. 25. Tom. 6.
Cessante beneficio divisionis in fidejussoribus, an quatenus inter hæredes defuncti fidejussoris adhuc actio divisa sit. Si creditor singulos in solidum convenire valens, pro virili parte convenire cœperit, & dein quidam solvendo non sint, id reliquos non gravat; contra vero, si unum tantum convenerit in solidum, aut in partem, aut partem ab uno sponte oblatam acceperit, 46. 1. 26. Tom. 6.
De divisionis beneficio inter plures administratores rerum ad civitatem pertinentium, 50. 8. 4. Tom. 6.

Divortium.

Quid sit divortium, quid repudium. Quibus fiat modis, qua solemnitate. Quid, si post missum absenti libellum repudii mittentem pœniteat, & tamen libellus tradatur. Quid, si non fuerit absenti traditus, sed ad domum ejus delatus, 24. 2. 1. Tom. 4.
Nimia divortiorum licentia ex coniugum consensu Romanis tolerata magis quam probata fuit. Restricta per Justinianum ad eam, quæ fit religionis intuitu. Per Justinum secundum rursus generaliter tolerata, 24. 2. 2. Tom. 4.
Quæ jure civili medio ac novo fuerint justæ causæ repudii invito altero conjuge. Quæ pœnæ divertentium sine justa causa, 24. 2. 3. Tom. 4.
Jure civili liberi in potestate non nisi ex consensu patris poterant matrimonium dirimere; nec pater nuptias filiifamilias aut filiæf. ipsis invitis; secus in sponsalibus filiæfam. Et quid circa hæc jure hodierno. An pater possit cogere filiam, ut divertat a marito adultero, 24. 2. 4. Tom. 4.
Moribus nostris tantum ob adulterium & malitiosam desertionem matrimonium dissolvitur. Quid si uxor vim passa sit. Quid, si insons nocenti crimen remiserit, aut sciens crimen, debitum conjugale præstiterit. An & quando maritus uxorem adulteram retinens lenocinii reus sit, 24. 2. 5. Tom. 4.
Si & vir & uxor adulterium commiserint, an alteruter separationem petere possit, & quo usque par crimen mutua pensatione tollatur. An is, cui a conjuge crimen adulterii remissum est, vicissim cogi possit, ut remissionem criminis faciat, ubi & alter conjux in hoc crimen postea incidit, 24. 2. 6. Tom. 4.
An uxor excusetur, si sævitia mariti, vel ex inopia, vel ob denegatum a marito contumaciter debitum conjugale, in adulterium se prolapsam dicat. An uxor ob denegatum contumaciter debitum conjugale petere possit matrimonii dissolutionem, 24. 2. 7. Tom. 4.
Auctoritate judicis, non privata, nuptiæ ob adulterium dirimendæ sunt. Quo modo id petatur. An insonti permittendum sit alias nuptias contrahere. An, & quando ipsi nocenti. An si pœnitentia ducatur nocens, cogi possit insons, ut nocentem recipiat, 24. 2. 8. Tom. 4.
De malitiosa desertione & nuptiis ob eam auctoritate publica dissolvendis. An tunc insonti, ac nocenti, aliæ nuptiæ permittendæ sint. Quibus pœnis damni afficiatur ex moribus malitiose deserens, 24. 2. 9. Tom. 4.
Si desertus aut deserta sine prævio desertionis judicio alias nuptias contrahat, illarum dissolutionem deserens recte petit. Quid, si sponte cedere velit. Si desertus post finitum desertionis judicium alias nuptias contraxerit, an deserens possit petere ex pœnitentia earum dissolutionem, 24. 2. 10. Tom. 4.
Si non intervenerit desertionis judicium, an desertus deseren-

rentem ac pœnitentem post longum tempus recipere teneatur, 24. 2. 11. Tom. 4.
An malitiosa sit desertio, si maritus ob crimen profugus sit, vel relegatus, aut ob metum persecutionis alio migret. An si uxor talem maritum sequi nolit, ipse adversus eam desertionis judicium movere possit, 24. 2. 13. Tom. 4.
Si nuptiæ ob adulterium aut desertionem solutæ sint, non privatim, sed solemniter, redintegrari possunt, alias nec nuptiæ sunt, nec liberi inde legitimi nascuntur. Redintegratione facta reviviscunt in dubio pacta dotalia, pœnæ cessant, 24. 2. 14. Tom. 4.
Nuptiæ retro nullæ declarantur, etiam invito viro ac muliere, si incestæ sint, vel sine parentum consensu initæ. An ob impotentiam nuptias antecedentem, & quamdiu illa debeat esse continuata. Quibus illa probetur modis, & quo modo agi debeat, 24. 2. 15. Tom. 4.
An & nullæ declarandæ, si quis vitiatam & ab alio imprægnatam pro virgine vel vidua honesta duxerit ignorans, 24. 2. 15. Tom. 4.
An ob supervenientem furorem, impotentiam, morbum contagiosum, sævitiam nimiam conjugis, nuptiarum dissolutio peti possit. An non saltem thori & mensæ separatio ob furorem aut sævitiam impetrari, 24. 2. 16. Tom. 4.
De effectibus separationis thori & mensæ, 24. 2. 17. Tom. 4.
Si mulier sine publica auctoritate a viro recedens seorsim habitet, an fiat lucrorum viri particeps, aut ab eo alenda sit. An non, si publica auctoritate separatio thori facta, 24. 2. 18. Tom. 4.
An cessent effectus nuptiarum, si conjuges communi consensu, sed privata auctoritate seorsim habitent. Et quid, si aliud pacti fiat, 24. 2. 19. Tom. 4.
De *judicio de moribus* sublato, 24. 2. 20. Tom. 4.

Doerium.

De petitione doerii post solutum matrimonium vi pacti vel statuti. An divortio facto insons doerium petere possit; & an statim, an demum mortuo nocente, 24. 3. 23. Tom. 4.
Si pacto dotali certa res, veluti domus Corneliana, designata sit, tanquam in doerium cessura superstiti, & stante matrimonio exusta, iterumque restituta sit, an soluto matrimonio nova domus peti possit ut doerium, sine refusione impensarum, 24. 3. 24. Tom. 4.
An superstes pro doerio ex pactis dotalibus aut statutis debito habeat hypothecam legalem in bonis defuncti, 24. 3. 25. Tom. 4.
An evanescat obligatio ad doerium, sive certæ rei semel præstandæ, sive annuæ præstationis, si præmoriens superstiti legaverit bonorum omnium aut quarundam rerum usumfructum, 24. 3. 26. Tom. 4.
Cujus loci statuta circa doerium pactitium aut statutarium spectanda sint, 24. 3. 27. Tom. 4.

Dolus.

De exceptione doli, vide *exceptio doli*.
Qualis dolus insit metui, 4. 2. 2. Tom. 1.
Dolus vel bonus vel malus est; vel ex re vel proposito, 4. 3. 1. Tom. 1.
Dolus non præsumitur, sed probandus: quibus modis probetur, 4. 3. 2. Tom. 1.
Si dolus causam dederit contractui bonæ fidei, is ipso jure nullus est, nec transit dominium, nec opus restitutione: agi tamen potest ad id quod interest, 4. 3. 3. Tom. 1.
Si dolus inciderit in contractum bonæ fidei, non datur doli actio sed actio ex ipso contractu, 4. 3. 4. Tom. 1.
Quid juris, si tertii dolus intervenerit in negotio bonæ fidei, 4. 3. 5. Tom. 1.
Si dolus causam dederit negotio stricti juris, vel in illud inciderit, negotium non est ipso jure nullum, sed rescindendum, 4. 3. 6. Tom. 1.
Ratum manet omne negotium dolo gestum, si ita velit is, qui dolum passus est, 4. 3. 7. Tom. 1.
Quid sit doli actio, quibus datur, non ei, qui ipse in dolo fuit; nec ei, qui adversarii dolum scivit, 4. 3. 8. Tom. 1.
Contra quos detur, de dolo procuratorum, tutorum, decurionum. Quid si plures dolum fecerint, 4. 3. 9. Tom. 1.
Non datur contra tertios possessores. An contra parentes, patronos, & hæredes eorum, an contra honoratos. Quo modo tunc verbis actio temperanda sit, ut *bonæ fidei* mentio fiat, 4. 3. 10. Tom. 1.
Ad quid tendat doli actio, 4. 3. 41. Tom. 1.
Intentanda intra biennium. Actio tamen in factum in id, in quo alter locupletior factus est, perpetuo durat, etiam contra hæredes. Quid moribus, 4. 3. 12. Tom. 1.
Quibus casibus cesset doli actio. An ei locus, si alia actio aliudve juris remedium supersit. Et cum quibus actionibus possit concurrere, 4. 13. Tom. 1.
Non concurrit actio doli cum indebiti condictione; nec cum condictione causa data &c. nec cum actione præscriptis verbis, 4. 3. 14. Tom. 1.
Nec cum actionibus ad promissum animal competentibus, si illud ante vel post moram occisum sit, 4. 3. 15. Tom. 1.
Nec cum actione tutelæ, aut restitutione ex capite minorennitatis, 4. 3. 16. Tom. 1.
Nec cum actione ex testamento, 4. 3. 17. Tom. 1.
Nec cum actione judicati, 4. 3. 18. Tom. 1.
Nec cum pristina actione, si actor, dolo rei inductus, quasi nihil deberetur, consenserit in rei absolutionem, 4. 3. 19. Tom. 1.
Nec cum actione ad exhibendum aut rei vindicatione, 4. 3. 20. Tom. 1.
Nec cum actione depositi aut legis Aquiliæ, 4. 3. 21. Tom. 1.
Nec cum actione negotiorum gestorum, 4. 3. 22. Tom. 1.
Nec cum condictione ob causam datorum ex contractu do ut des, vel do ut facias, 4. 3. 23. Tom. 1.
Moribus doli actio perpetuo durat, 4. 3. 24. Tom. 1.

Domicilium.

An reus criminis in loco domicilii conveniri possit, & quid in Hollandia, 5. 1. 68. Tom. 2.
An actio in rem intentari possit in loco domicilii possessoris, 5. 1. 77. Tom. 2.
De foro competente ratione domicilii, & in quibus origo distet a domicilio, 5. 1. 92. Tom. 2.
Domicilium est mutabile; potest quis esse sine domicilio; potest & simul plura habere, ubi tunc conveniendus sit, 5. 1. 92. Tom. 2.
Præsumitur quisque domicilium habere in loco originis, donec contrarium probetur, 5. 1. 92. Tom. 2.
De domicilio necessario, qui illud habeant, & de domicilio litis causa eligendo. An electio illa duret post sententiam & appellationem, & mortem eligentis, 5. 1. 95. Tom. 2.
Quid sit domicilium proprie sic dictum, quid domicilium improprium. An & quo usque studiosi domicilium habeant in eo loco, in quo studiorum causa degunt, 5. 1. 94. Tom. 2.
Uxor mariti domicilium sequitur, & retinet vidua facta, nisi sponte mutet. An & uxor illegitima, vel sponsa, 5. 1. 95. Tom. 2.
Famuli & ancillæ sequuntur domicilium domini cui ministrant, 5. 1. 96. Tom. 2.
Ex quibus conjecturis colligi possit, aliquem domicilium certo loco constituisse, 5. 1. 97. Tom. 2.
Non constituitur domicilium solo animo, sola contestatione, sola habitatione; nec ex eo solo, quod quis tabernam, pergulam, horreum certo loco habet; aut operis, aut litis, aut negotiationis gratia ibi moratur, 5. 1. 98. Tom. 2.
Ratione domicilii quid juris in illis, qui Indias petunt, quive delegati sunt ad collegia Ordinum Generalium, Consilii Status, Architalassica &c. & an ac quo usque hi omnes istis in locis conveniri possint, 5. 1. 98. Tom. 2.
Migrare quisque ac domicilium mutare potest; & tunc evitat onera personalia prioris domicilii; amittit & jura ac privilegia ejus. Improbata tamen migratio, quæ catervatim fit in præjudicium utilitatis publicæ, 5. 1. 99. Tom. 2.
Migrantes in multis locis certam inferunt bonorum partem fisco loci, unde migrant, jure *issuæ* vel *exuæ*, 5. 1. 99. Tom. 2.
Nemo præsumitur domicilium mutasse, sed id probandum, 5. 1. 99. Tom. 2.
Filius majorennis seorsim a patre domicilium sibi constituere potest. Filius minorennis una cum patre migrante migrare potest & domicilium mutare, nisi id fiat animo fraudandi eos, qui ex domicilii prioris lege successissent minori, 5. 1. 100. Tom. 2.
Marito domicilium mutante ex voluntate vel necessitate, uxor quoque illud mutat, licet uxori damnosum sit; nec tunc uxor petere potest a marito migrante vel hæredibus ejus id quod interest, nisi nominatim pacto dotali id actum sit, ne maritus alio migret, 5. 1. 101. Tom. 2.
Hæres non succedit in domicilium defuncti, nec ex ejus domicilio forum competens sortitur, nisi lis cum defuncto jam contestata sit, 5. 1. 102. Tom. 2.
An mutatio domicilii mutet vim pacti, quod divisioni hæreditatis circa successionem rerum divisarum est appositum, & aliis in locis probatum, aliis improbatum est, 5. 2. 29. Tom. 2.

Dominium.

Dominium latius & strictius accipitur. Est vel plenum vel minus plenum; vel naturale vel civile; vel directum vel utile; vel bonitarium vel quiritarium, 6. 1. 1. Tom. 2.

Do-

Dominium quibus probetur modis, 6. 1. 24. Tom. 2.

Domus.

An quis de domo sua in jus vocari possit, 2. 4. 2. Tom. 1.

Si domus sit diruta ob ortum incendium, ne latius serpat, an vicinia domino ædium id reparare debeat, 14. 2. 18. Tom. 3.

Donatio.

Quid sit donatio? In quo donum distet a munere. An tutor pupilli nomine possit matri vel sorori pupilli mittere munus nuptalitium, 39. 5. 1. Tom. 5.

An donatio sit contractus. An sit modus an causa acquirendi dominii, an vero simul modus & causa? An donatio jure veteri ac novo potuerit perfici pacto vel stipulatione, 39. 5. 2. Tom. 5.

Quid sit donatio propria & impropria. An remuneratoria pertineat ad propriam, 39. 5. 3. Tom. 5.

Quid sit donatio inter vivos. An &, si quis dicat, se *donare post mortem suam*. An donatarius talem donationem ad hæredes transmittat, si vivo donante moriatur, 39. 5. 4. Tom. 5.

An in dubio donatio præsumatur. Recensentur casus, quibus præsumitur, 39. 5. 5. Tom. 5.

Quis, & cui, donare possit. An & ignoto vel merito per turpem affectionem. An & quando pater filiofamilias, vel filius patri? An morte patris vel emancipatione confirmetur donatio a patre filiofamilias inutiliter facta, 39. 5. 6. Tom. 5.

An & quando filiusfam. extraneo donare possit peculium profectitium. An & adventitium. Quid moribus, 39. 5. 7. Tom. 5.

An reus perduellionis donare possit post crimen commissum. An rata maneat donatio facta post crimen ab alterius criminis reo, si condemnatio sequatur, vel autocheiria ex sceleris conscientia. An ante crimen facta infirmetur per condemnationem. An donationes mortis causa. Cur non etiam donationes inter virum & uxorem, 39. 5. 8. Tom. 5.

An uxor donare possit sine consensu mariti.

An maritus donando nocere uxori. An minores suis tutoribus, præceptoribus, &c. Et an sic inutiliter donata possint revocare cum fructibus. An conjugi, concubinæ, meretrici, liberis incestuosis a patre, advocato a cliente, medico ab ægroto donari possit. De moribundis immobilia alicubi donare prohibitis, & resignatione canonicatuum ab ægroto in utilitatem tertii. An senes, muti, stupidi, religiosi, decuriones donare possint, 39. 5. 9. Tom. 5.

Quæ res donari possint. An alienæ, & quis tunc effectus. An hæreditas defuncti vel viventis.

An bona cognati proximi superstitis. An omnia bona præsentia & futura. An simpliciter donatis omnibus futura contineantur. An & tunc incorporalia seu jura. An & tunc, cum donata mobilia & immobilia. An & feuda, 39. 5. 10. Tom. 5.

An donatio perfici possit sine acceptatione donatarii. Et quid, si pactis dotalibus absenti sponsæ fiat, 39. 5. 11. Tom. 5.

An quis per epistolam aut nuncium possit donationem acceptare. An & pro infante, furioso, posthumo, servus ejus, aut tutor, aut curator. An & pro donatariis per servos publicos seu tabelliones acceptatio fieri. An & per procuratorem aut notarium jure civili ac moribus, 39. 5. 12. Tom. 5.

An pluribus rebus simul donatis, donatarius unam acceptare, alteram repudiare possit. An donatio acceptari post mortem donantis. Et quid, si executio donationis dilata sit post mortem donantis. An hæres donatarii possit acceptare. Et an donans donationem non acceptatam possit revocare. An &, si notarius pro donatario ignorante acceptaverit. Quo tempore possit donatarius acceptationem a notario factam, ratam habere, 39. 5. 13. Tom. 5.

An si pluribus donetur simul, portio non acceptantis accrescat cæteris, 39. 5. 14. Tom. 5.

Actis insinuanda donatio excedens 500. aureos. Quid, si neglecta sit. Recensentur casus, quibus cessat insinuandi necessitas. Quid, si donata non excedant quingentos, sed fructus ex donatis percepti. An & remissa insinuatio, si quis donet per juris sui renunciationem, 39. 5. 15. Tom. 5.

Quid, si diversis temporibus plures ab eodem donationes in eundem fiant, singulæ non excedentes quingentos solidos, conjunctæ excedentes. Quid, si plures eodem tempore, eodem instrumento, donent uni, vel unus pluribus. Quid, si donatio quingentos excedens pluribus pensionibus, quingentos haud excedentibus, solvenda sit. Quid, si donatus sit reditus annuus, qui successu temporis aureos quingentos excedere potest, 39. 5. 16. Tom. 5.

An reciproca vel remuneratoria donatio indigeat insinuatione. Cur donatio propter nuptias ex parte viri insinuanda sit, 39. 5. 17. Tom. 5.

An adhuc moribus hodiernis insinuatio requiratur. An & traditio immobilium coram lege loci & scriptura coram tabellione & testibus confecta, nunc pro insinuatione sit. Quid nunc veniat aurei appellatione, 39. 5. 18. Tom. 5.

De effectu donationis traditione aut stipulatione aut pacto perfectæ. Donator gaudet beneficio competentiæ, licet constituerit, quæ prius donaverat. An deducat, quod aliis debet ex titulo oneroso vel lucrativo. An gaudeat hoc beneficio, qui, cum vellet donare secundo, ex ejus voluntate promisit tertio, ac a tertio conveniatur, 39. 5. 19. Tom. 5.

An donatis bonis omnibus, vel maxima eorum parte, donatarius teneatur ad solvendum æs alienum donantis; & quo usque. Et quid moribus. An is cui donatur res pignori obligata, eam luere debeat, 39. 5. 20. Tom. 5.

An donatio conditionalis evanescat, si donatarius aut donans moriatur pendente conditione, 39. 5. 21. Tom. 5.

An donatio perfecta infirmari possit rescripto Principis. An ex eo, quod donans dicit, se in alterius fraudem donasse. De revocatione ob ingratitudinem donatarii. Quid, si donator pacto vel jurejurando promiserit, se ex ea causa non revocaturum. Quæ sint justæ revocandi causæ; & quibus actionibus fiat revocatio. An ad causas similes extendi possint. Mater binuba tantum revocat ob causas tres. Ob leviorem ingratitudinem non fit revocatio, 39. 5. 22. Tom. 5.

An ob ingratitudinem hæres donantis agere, vel hæres donatarii conveniri possit. Quid, si donatarius occiderit donantem, & is non revocaverit. Quid, si donatarius vulnerans lethaliter donantem, tamen ipse ante donantem mortuus sit. An ecclesiæ donata revocentur propter ingratitudinem prælati, 39. 5. 23. Tom. 5.

An & revocentur, quæ ante litem contestatam donatarius bona fide alienavit titulo oneroso vel lucrativo. Quis luat, si donatarius res pignori obligaverit. An donator revocans stare debeat locationi per donatarium factæ, 39. 5. 24. Tom. 5.

An & revocetur ob ingratitudinem donatio remuneratoria, vel propter nuptias, aut dos a patre vel extraneo data. An & fructus ab ingrato ante litem contestatam percepti, 39. 5. 25. Tom. 5.

An propter liberos donatarii post donationem natos revocari possit donatio jure civili & hodierno, 39. 5. 26. Tom. 5.

Posita affirmante sententia, an fieri possit revocatio propter liberos naturales a patre vel matre. An propter legitimatos nuptiis aut rescripto.

Quid, si naturales ante donationem nati, sed post legitimati sint, 39. 5. 27. Tom. 5.

An, ut propter legitimatos rescripto revocetur donatio, donatarius in legitimationem consentire debeat. An & propter adoptivos vel spirituales liberos revocatio fieri, 39. 5. 27. Tom. 5.

An & propter unicum filium, vel filios ulterioris gradus, vel fratres postea natos, 39. 5. 28. Tom. 5.

An revocationi locus, si liberi post donationem nati decesserint iterum ante factam revocationem. An redintegretur donatio, quæ ob liberos revocata fuit, si hi postea vivo donatore moriantur, 39. 5. 29. Tom. 5.

An & quando locus sit remedio *l. 8. C. de revoc. donat.* si donans tempore donationis unum habeat filium, ac post donationem alios suscipiat. An, si tempore donationis liberos quidem non habuerit, sed probabile fuerit, eum liberos suscepturum, 39. 5. 30. Tom. 5.

An solus donans, an vero & liberi donatoris postea nati, vel hæredes extranei, ex *d. l.* 8. donationem revocare possint. An donans ipse, si renunciaverit remedio *d. l.* 8? 39. 5. 31. Tom. 5.

An & propter liberos revocationi locus, si tantum pars bonorum donata sit, vel res singularis majoris momenti. Arbitrio judicis definiendum, quanta pars donata revocationi subjaceat, & inspiciendum in eo tempus donationis, non vero secutum postea incrementum & decrementum patrimonii, 39. 5. 32. Tom. 5.

An & huic revocationi locus, si ecclesiæ donatum, vel donans tantum remiserit jura sibi competentia. An &, si renunciaverit juri primogenituræ, cum liberos non haberet, 39. 5. 33. Tom. 5.

An ex hac causa revocari possit donatio remuneratoria, vel propter nuptias, vel dos, ab extraneo data. An & donatio facta pactis dotalibus & sequatur matrimonium, alias haud secuturum, 39. 5. 34. Tom. 5.

An ob liberos postea natos revocetur in totum, an ad legitimam. An alienata ante litem contestatam. An fructus ante litem contestatam percepti exstantes vel consumpti. An fructus non compensandi cum meliorationibus a donatario factis, & ei restituendis. An ipso jure propter libe-

ros

[ros infir metur donatio. Qua actione fiat donatorum repetitio? & an illa detur contra tertios possessores. An & contra hæredes donatarii, 39. 6. 35. Tom. 5.
Si quis donet immoderate, liberos jam habens, datur querela inofficiosæ donationis. Quæ prima origo ejus. An in dubio disposita statuto de querela inofficiosi testamenti etiam ad hanc querelam extendi debeant, 39. 5. 36. Tom. 5.
Hæc querela non est actio in rem, sed in personam. Datur liberis primi & ulterioris gradus, etiam emancipatis, etiam post donationem natis. An & naturalibus. An & parentibus aut fratribus. Contra quos instituenda sit. An per hanc donatio revocetur ultra legitimam, si adsit consilium fraudandi, 39. 5. 37. Tom. 5.
Si pluribus donatum sit diversis temporibus, an sola postremo donata revocentur, an omnia pro rata. Quo tempore inspici debeat, an legitima læsa sit, mortisne, an donationis. Quid, si pater quædam donaverit, reliqua luxu consumpserit, 39. 5. 38. Tom. 5.
Cessat hæc querela lapsu quinquennii a morte donatoris, si liberi ingrati, si pater non donatione, sed oneroso titulo alienaverit, nisi emptor fuerit doli particeps, 39. 5. 39. Tom. 5.
Cessat etiam in donatione remuneratoria, aut si aliud remedium supersit. An cesset in donatione mortis causa. An, si ei renunciatum sit vivo, vel mortuo donatore, expresse vel tacite, 39. 5. 40. Tom. 5.
De querela inofficiosæ dotis, 39. 5. 41. Tom. 5.
Quid intersit inter querelam inofficiosæ donationis, & remedium ex *l. 8. C. de revoc. donat.* Quid inter querelam inofficiosi testamenti, & inofficiosæ donationis. An requiratur, ut hæreditas adeatur per eos, contra quos movenda, 39. 5. 42. Tom. 5.
Donatarii fideicommisso per donantem tempore donationis gravari possunt. Qualis actio inde competat fideicommissario. An donans fideicommissum, donationi additum, revocare possit cum vel sine consensu donatarii, si fideicommissarius spem fideicommissi acceptaverit, 39. 6. 43. Tom. 5.
An si donatum sit ea lege, ut donata ad donantem revertantur, si donatarius sine liberis decesserit, inde liberis donatarii jus fideicommissi datum sit, 39. 5. 44. Tom. 5.

Donatio propter nuptias.

In quibus donatio propter nuptias conveniat cum dote, in quibus differat? & quæ sit origo ejus, 23. 3. 21. Tom. 4.
Inter dotem & propter nuptias donationem æqualitas hodie non servatur. An hodie hujus donationis usus sit. An non tunc, cùm id actum, ut uxor omnia ferat onera matrimonii, maritus donationem salvam habeat. An tunc marito competat hypotheca legalis in bonis uxoris pro ea recuperanda, 23. 3. 22. Tom. 4.

Donatio inter virum & uxorem.

Munera solemnia conjux conjugi mittere potest, at non donare inter vivos. Cur liceat mortis causa, & non inter vivos, 24. 1. 1. Tom. 4.
Si donatio simplex inter conjuges facta sit, qualis possessio transeat. An inde competat interdictum unde vi. An facultas usucapiendi, 24. 1. 2. Tom. 4.
Dominium non transit in conjugem donatarium. Quando & quo usque donator donata vindicare aut condicere possit. Quid, si donatarius rem iterum alienaverit. Quando videatur factus locupletior ex re donata, quando non. An & quales fructus aut usuræ cum ipsis rebus donatis repeti possint, 24. 1. 3. Tom. 4.
Confirmatur hæc donatio morte donantis, modo actis insinuata vel testamento confirmata sit, si excodat 500. aureos. An & morte civili? & quali. Quid, si uterque conjux simul moriatur naturaliter aut civiliter, 24. 1. 4. Tom. 4.
Morte confirmatur etiam donatio, quæ non traditione, sed stipulatione vel pacto legitimo facta est, 24. 1. 5. Tom. 4.
Quibus in casibus morte donantis non confirmetur donatio. Si donantem pœniteat, ultima pœnitentia spectanda est. An hæres pœnitere possit. An pœnitentia præsumatur. An ex superveniente divortio, vel si donatarius donantem occiderit? vel donans donata alienaverit aut obligaverit, 24. 1. 6. Tom. 4.
Non confirmatur morte aut servitute donatarii. Quid si is donanti ampla legata dederit. Quid si donans eam tunc ratam habeat, 24. 1. 7. Tom. 4.
Inter conjuges jure civili & hodierno contractus onerosi consistere possunt; nisi simulentur in fraudem prohibitæ donationis. Quando simulati tales contractus in totum, quando pro parte nulli sint. Quid juris, si marito debeat uxor & Titius, ac maritus Titio aut uxori accepto tulerit, 24. 1. 8. Tom. 4.
Quo modo per interpositas personas fraus fiat prohibitioni donationis? ubi de donatis socero, genero, socrui, fratris uxori, & similibus. An & hæc morte firmentur, 24. 1. 9. Tom. 4.
Subsistit tamen donatio remuneratoria. An & ea, qua senex uxori juvenculæ, uxor plebeja marito nobili donat in compensationem nobilitatis, &c. An valeat donatio mortis vel exilii vel divortii causa, 24. 1. 10. Tom. 4.
Non amare, nec ut inter infestos jus prohibitæ donationis tractandum, hinc variis casibus donatio statim firma est. Quo modo uxor probet, res sibi a viro donatas esse, 24. 1. 11. Tom. 4.
Valet statim, si vel donans non fiat pauperior vel donatarius non ditior. Recensentur casus multi, quibus rata donatio; quia donatarius non fit ditior, ex jure civili & hodierno, 24. 1. 12. Tom. 4.
Recensentur casus, quibus donatio valet, quia donans non fit pauperior, ubi & de repudiatione hæreditatis aut legati; rogatione, ut legaturus aut donaturus sibi leget aut donet uxori, &c. Et quid moribus circa hæc, 24. 1. 13. Tom. 4.
Valet donatio inter Principem & Augustam; item ad reparationem ædium exustarum. Potuit & uxor ante nuptias pœnam pacisci in certum casum, eamque stante matrimonio exigere, 24. 1. 14. Tom. 4.
An valeat donatio inter sponsum & sponsam. An inter conjuges putativos. An concubinæ donari possit? & quid moribus, 24. 1. 15. Tom. 4.
Si non appareat, unde uxor rem habeat, an præsumatur habere ex mariti donatione: & quid moribus, 24. 1. 16. Tom. 4.
Quale jus nunc apud plures populos obtineat circa inter conjuges liberalitatem inter vivos aut testamento factam. An nun subsistat testamento facta, si proximi cognati consentiant vivo testatori, 24. 1. 17. Tom. 4.
Recensentur per indicem plurimæ quæstiones, præsupponentes statutum, ne conjux conjugi quid ultra usumfructum donet aut leget; & de necessitate ususfructus reciproce relinquendi. Qui de his scripserint, 24. 1. 18. Tom. 4.
Cujus loci statuta circa prohibitam inter conjuges donationem spectanda sint, 24. 1. 19. Tom. 4.

Donatio mortis causa.

An, si quis permittat alteri rem donare, is eam possit donare mortis causa. Quid sit donatio mortis causa. Unde colligatur, an inter vivos, an mortis causa donatio sit. An & quo modo valeat donatio mortis causa ita facta, *ut nullo casu revocetur*, 39. 6. 1. Tom. 5.
In dubio magis præsumitur donatio inter vivos. An & tunc, cum in periculo constitutus donat? An &, cum in testamento donat, & donatio per donatorem præsentem acceptatur, 39. 6. 2. Tom. 5.
De tribus speciebus donationis mortis causa, & in quibus effectu differant inter se. An evanescat donatio, si quis propter certum præsens aut imminens periculum donaverit & ex illo periculo evaserit. Et an tunc hæres ejus possit dona revocare, 39. 6. 3. Tom. 5.
De exæquatione legatorum & mortis causa donationum in variis ex jure civili ac moribus, 39. 6. 4. Tom. 5.
An uxor sine mariti consensu possit mortis causa donare. An minor ea ætate, qui & testamentum condere. Inter quos liberalitas testamento exerceri potest, vel non, inter eos & donatio mortis causa licita vel illicita est, 39. 6. 5. Tom. 5.
In quo differat legatum a mortis causa donatione. Ubi de filiofam. mortis causa donante. Quo tempore donatarius capax esse debeat. An una sit donatio annuæ præstationis, an multiplex. An dominium ex legato & mortis causa donatione transeat sine traditione, & an acceptatio requiratur. An interdicto, quod legatorum teneatur donatarius mortis causa, 39. 6. 6. Tom. 5.
Quibus modis evanescat hæc donatio. An morte donatarii ante donantem, si donans donaverit *Titio & ejus hæredibus*, vel *Titio pro se & hæredibus*. Quid, si donans & donatarius, vel duo, qui sibi invicem mortis causa donaverant, uno casu simul pereant. Si diversis temporibus sint factæ mortis causa donationes, & creditores donantis non possint suum consequi, an omnes pro rata, an solæ postremæ infirmentur? 39. 6. 7. Tom. 5.
An evanescat, si donator rem donatam postea alienaverit, vel pignori obligaverit. An, si hæreditas ejus adita non sit, 39. 6. 8. Tom. 5.
An fideicommisso gravari possint mortis causa donatarii, 39. 6. 11. Tom. 5.
De mortis causa capione, vide *capio mortis causa*.

Dos.

Dos.

Dotes quidem, at non jura dotium, apud nos obtinent, nisi pacto dotali reducta sint, 23. 3. 1. Tom. 4.

Quid sit dos? quo sensu dotis causa *perpetua* dicatur. Quo modo differat a paraphernis & receptitiis? & quid moribus, 23. 3. 2. Tom. 4.

Quæ res in dotem dari possint. An & id, quod maritus uxori debet? & quid tunc dotale sit, 23. 3. 3. Tom. 4.

An curator omnia adultæ bona in dotem dare possit? & si supra vires patrimonii dotem promiserit, an puellam aut se obliget jure civili & hodierno, 23. 3. 4. Tom. 4.

An omnibus bonis in dotem datis etiam futura contineantur? An uxor credatur omnia in dotem dedisse, si patiatur maritum omnibus frui, 23. 3. 5. Tom. 4.

An sub omnibus in dotem datis etiam feuda contineantur, 23. 3. 6. Tom. 4.

Quibus modis dos detur. An res fiat dotalis, si tertius, qui ante nuptias rem tradiderat, *ut nuptiis secutis dotalis esset*, moriatur ante nuptias, 23. 3. 7. Tom. 4.

Quibus modis promittatur. Quid juris, si dos generaliter sine certa quantitate promissa sit a muliere, extraneo, patre. Quid moribus. An extraneus aut pater dotem certæ quantitatis promittens supra vires patrimonii gaudeat beneficio competentiæ, 23. 3. 8. Tom. 4.

Quando ad dotem promissam agi possit. An dos promissa peti, si repudio ante nuptias misso, postea sponsalia redintegrata, & nuptiæ secutæ sint, 23. 3. 9. Tom. 4.

Quo usque dotis solutio in diem differri possit. Quæ sit pœna moræ in dote solvenda ex jure civili & moribus? An uxor ob dotem non solutam de domo expelli possit, 23. 23. 9. Tom. 4.

Pater jure Romano invitus cogitur dotare filiam. Quid juris, si pater furiosus aut ab hostibus captus sit, 23. 3. 10. Tom. 4.

An & locupletem dotare teneatur, 23. 3. 11. Tom. 4.

An & emancipatam, 23. 3. 12. Tom. 4.

An & secundo nubentem. An naturalem, aut ingratam. An minorem sine consensu nubentem, 23. 3. 13. Tom. 4.

Quando avus & mater cogi possint dotem dare. An & frater sororem dotare teneatur, 23. 3. 14. Tom. 4.

Hodie commune patris & matris onus est, dotem dare liberis. An & quo usque pater binubus dotem constituens prioris thori liberis, censeatur eam etiam ex bonis secundæ conjugis constituisse, 23. 3. 15. Tom. 4.

Si liberi bona propria habeant, hodie pater non de suis sed liberorum bonis in dubio dotem constituisse creditur. Pater moribus magis ex liberis dotem dat, nisi injuria prohibeat nuptias liberorum majorennium, & illi eas auctoritate magistratus contrahant. Si plus, quam erat in patrimonio liberorum, promiserat pater aut mater binuba, unde supplendum sit, quod deest, 23. 3. 16. Tom. 4.

De exceptione non numeratæ dotis. An mariti apocha de dote numerata obsit mariti creditoribus; & qualis probatio numerationis sufficiens sit contra creditores. An hæc etiam obtineant in donatione propter nuptias, 23. 3. 17. Tom. 4.

Si constet de dotis numeratione, an & accessoria promissa præsumantur numerata, veluti certa pecuniæ quantitas ad ornatum & vestitum sponsæ, 23. 3. 17. Tom. 4.

Quid sit dos adventitia, quid profectitia, 23. 3. 18. Tom. 4.

An maritus sit dominus dotis, & quale dominium acquirat rei dotalis æstimatæ vel inæstimatæ. An æstimatio dotis venditionem faciat jure civili & moribus, 23. 3. 19. Tom. 4.

Quales actiones maritus exerceat circa res dotales. Quid, si res aliena in dotem data sit? De vituperio dotatarum perperam concepto, 23. 3. 20. Tom. 4.

De fundi dotalis & rerum dotalium alienatione. Vide *fundus dotalis*.

Quo modo repetatur dos, quæ ante nuptias data est, si nuptiæ non sequantur, 24. 3. 1. Tom. 4.

Propter quas causas dos stante matrimonio ad uxorem redire possit. An & ob inopiam mariti. Quid tunc mulier circa dotem possit facere. Quid, si maritus idoneam pro dote cautionem offerat. Quid, si mulier sciens inopi nupserit. An dos marito iterum reddenda, si ad meliorem fortunam revertatur, 24. 3. 2. Tom. 4.

De rei uxoriæ actione & actione ex stipulatu pro dote recuperanda. Quis repetat dotem adventitiam, 24. 3. 3. Tom. 4.

Quis dotem profectitiam repetat ex pacto dotis dationi addito, 24. 3. 4. Tom. 4.

Si desit pactio, cui tunc sit reddenda dos profectitia, si filia dotata soluto matrimonio superstes sit, sive sui juris, sive patriæ subiecta potestati, 24. 3. 5. Tom. 4.

Si filia in matrimonio moriatur, & mortis tempore fuerit in patris potestate, dos profectitia patri reddenda; sin emancipata fuerit, dos non ad patrem, sed filiæ hæredes revertitur, 24. 3. 6. Tom. 4.

Revertitur ad patrem dos filiæfamilias in matrimonio morientis, licet liberi supersint ex illa filia, 24. 3. 7. Tom. 4.

Quis repetat, si avus nepti dotem dederit. An & pater, avo mortuo, 24. 3. 8. Tom. 4.

Cui moribus hodiernis dos reddenda sit. An vidua pro dote, & aliis ex pacto dotali reddendis, incumbere possit rebus mariti defuncti. An tamquam spoliata restitui debeat, si fraude hæredum mariti possessionem reliquerit, nec ei solutio fiat, 24. 3. 9. Tom. 4.

An maritus teneatur de dote, si dotem a patre mulieris vel extraneo promissore, vel debitore delegato petere neglexerit, aut remiserit dotis obligationem, 24. 3. 10. Tom. 4.

Quo tempore dos soluto matrimonio reddi debuerit jure veteri & novo. Ex quibus causis mox a soluto matrimonio reddi debuerit. An pro restitutione mobilium in diem dilata uxor fidejussorem exigere possit. Quando hodie dos reddenda, 24. 3. 11. Tom. 4.

Quales dotis accessiones cum dote restituendæ sint? Quid juris circa fructus præcipue anni postremi, tum naturales, tum civiles? Et quid moribus, 24. 3. 12. Tom. 4.

An una cum dote reddenda alimenta aut munera modica, quæ parens mulieris stante matrimonio dedit, cum ante nuptias non promisisset, 24. 3. 23. Tom. 4.

Si maritus jure licito res dotales stante matrimonio vendiderit, quale pretium reddere debeat. Quid, si fraudandæ uxoris causa minoris vendiderit dolo. Quid, si vendiderit pretio annua, bima, trima die solvendo, & necdum venerit dies omnium pensionum, 24. 3. 14. Tom. 4.

Quo modo ususfructus a muliere vel alio in dotem datus, aut dotis causa constitutus, soluto matrimonio reddi debeat, 24. 3. 15. Tom. 4.

Contra quos detur actio ad dotem restituendam, 24. 3. 17. Tom. 4.

Quo in loco dos restituenda. Cujus loci spectanda æstimatio circa nummos in dotem datos ac restituendos, 24. 3. 18. Tom. 4.

Quibus in casibus cesset dotis repetitio. Ubi de divortio culpa uxoris facto. Quando ne quidem ob adulterium uxoris dos marito cedat, sed vel uxori, vel liberis, vel parentibus, vel extraneis reddi debeat. Quales de dote conventi gaudeant beneficio competentiæ jure civili ac moribus, 24. 3. 19. Tom. 4.

Quid juris circa restitutionem, si dos inæstimata perierit. Qualem culpam maritus præstet. Et quæ sint adscribenda culpæ mariti? Quid juris, si perierit in totum vel pro parte dos æstimata, 24. 5. 20. Tom. 4.

An, & quando, & quo usque moribus nostris maritus præstet, si fuerit bonorum omnium vel acquæstuum communio, vel mulier sibi dotem salvam pacta sit, 24. 3. 21. Tom. 4.

Marito dotem reddenti vicissim de indemnitate cautio præstanda, ubi se dotis intuitu obligavit, 24. 3. 22. Tom. 4.

De *doario* ex pacto vel statuto, vide *doarium*.

De impensis in dotem factis, vide *impensæ*.

Si dos legetur puellæ nupturæ, non transit ad hæredes, si illa innupta moriatur. Si pater filiæ leget certam quantitatem in dotem, & postea nubenti minorem det dotem, an reliquum ex causa legati peti possit, 33. 4. 1. Tom. 5.

Cur dos & quædam alia dicantur *prælegari*.

Prælegatur dos expresse vel tacite. Quando prælegatum doti valeat & peti possit, quando non, 33. 4. 3. Tom. 5.

Mille in dotem datis, & mille per maritum uxori legatis sine dotis mentione, an uxor bis mille petere possit. Si matri uxoris ex pacto dos reddenda sit, & maritus uxori dotem prælegeet, vel pater, qui dotem a nuru acceperat, nurui aut filio suo illam leget, an bis dos debeatur. Quid, si primo specialiter fundum dotalem, dein totam dotis universitatem leget, 33. 4. 4. Tom. 5.

In quibus pinguius sit legatum, quam de dote actio? ubi de repræsentatione, liberatione ab obligatione dotis cautæ, non numeratæ; cessante impensarum deductione. An uxor, cui fundus dotalis prælegatus, colonum mariti possit ante tempus expellere, 33. 4. 5. Tom. 5.

An uxor, cui dos prælegata, fideicommisso restituendæ dotis gravari possit, 33. 4. 6. Tom. 5.

De doario primo pactis dotalibus dato, & postea legato, 33. 4. 7. Tom. 5.

Dotalia pacta.

Vide *pacta dotalia*.

Duo rei debendi vel credendi.

Vide *correi stipulandi & promittendi*.

E

Ecclesia.

An quis ab Ecclesia abstrahi aut in jus vocari possit, 2. 4. 2. Tom. 1.

Ec-

Eccletia ao rettitui possit exemplo minorum, 4. 4. 55. Tom. 1.
Ecclesia & alia pie loca, an respectu fori privilegiati miserabilibus personis sint annumeranda, 5. 1. 119. Tom. 2.

Edictalis in jus vocatio.

Vide *vocatio in jus*.

Edictum adilitium.

De edicto adilitio & actione in factum ob servum puerum castratum, & ob id, quod quis canem, verrem, aprum &c. ibi habuit, qua vulgo iter fit, si hæc animalia nocuerint. Cur actio de dejectis ob hominem liberum occisum in aureos quinquaginta detur, & hæc in ducentos, 21. 1. 12. Tom. 3.
De actione redhibitoria & quanti minoris ex adilitiis edictis, vide *redhibitoria actio*.
Editio actionis, vide *libellus*.
Actor reo ante litem contestatam edere tenetur instrumenta, sive in conventione sive in reconventione actor sit, vel actione cessa egat, 2. 13. 16. Tom. 1.
Non edit actor reo ab initio nomina testium, quorum depositione usurus est; nec instrumenta, quibus ipse usurus non est; nisi ea sint rei propria, vel actori & reo communia, quales etiam sunt rationes accepti & expensi, debiti & crediti ex libro mercatorio, 2. 13. 17. Tom. 1.
An, & quando, & qualia instrumenta reus actori edere teneatur. An etiam ad firmandam actoris replicationem, 2. 13. 18. Tom. 1.
Regulariter non totum instrumentum edendum, sed tantum ea pars, quæ ad litem istam spectat, una cum capite, 2. 13. 19. Tom. 1.
Rationes suas edere tenentur argentarii, (quibus non absimiles in multis hodierni tabelliones) etiam cum argentariam exercere desierunt; & hæredes eorum, non successores particulares, nisi rationes possideant, 2. 13. 20. Tom. 1.
Edunt argentarii, tabelliones, & similes instrumenta illis tantum, quorum interest: & in dubio consultum, expectari decretum judicis ad exhibendum: nec judex promiscue editionem jubere potest, 2. 13. 21. Tom. 1.
Edunt argentarii etiam contra se, 2. 13. 22. Tom. 1.
Ipsis argentariis & eorum hæredibus, aut illis quibus semel est facta editio, non est edendum, nisi causa cognita, rationibus deperditis, &c. 2. 13. 23. Tom. 1.
Venditor emptori, & emptor venditori debet edere instrumentum venditionis ab alterutro forte amissum, 2. 13. 23. Tom. 1.
Quo in loco argentarii debeant rationes edere, 2. 13. 24. Tom. 1.
An cum, an sine die rationes & instrumenta edi debeant, jure civili & hodierno. Cujus loci consuetudo in editione spectanda sit, 2. 13. 24. Tom. 1.
Qua actione quis cogatur ad editionem, & ad quid damnandus, si non edat. Quid si juret, se nec possidere nec dolo malo desiisse possidere, 2. 13. 25. Tom. 1.
An actio ad id quod interest ob non factam editionem in hæredes detur, aut post annum, 2. 13. 26. Tom. 1.

Educatio.

Ubi divortio facto liberi educandi sint, 25. 3. 10. Tom. 4.
De definitione patris vel prætoris ubi pupilli educari debeat. An apud matrem vitricum super inducentem, aut luxuriosam, aut hæreticam. An apud vitricum aut novercam. An apud tutorem Pontificium, si parens alteruter reformatæ Religionis fuerit. Quid si remotior cognatus gratis offerat educationem, cum mater vellet alere ex reditibus pupilli, 27. 2. 1. Tom. 4.

Effractio.

De pœnis effringentium ædes, horrea, &c. & subministrantium ferramenta, 47. 18. 1. Tom. 6.
De carcerum effractione, vide *custodia reorum*.

Effusio, dejectio,

Quales actiones competant ob dejectionem vel effusionem, cur inhabitantes teneantur de dejectis. Quid, si plures inhabitent. An actio de dejectis detur contra viatorem hospitio receptum. An contra studiosum ex cujus Musæo quid dejectum. Quis teneatur si quis cœnaculariam exercuerit, & quid illud sit, 9. 3. 1. Tom. 2.
Quis conveniendus, si ex filiifamilias aut servi inquilini cœnaculo quid dejectum sit, 9. 3. 2. Tom. 2.
Ad quid tendat actio de dejectis jure civili & moribus, 9. 3. 3. Tom. 2.
Ad quid agatur, si homo liber dejectione læsus aut occisus, jure civili & hodierno, & qui tunc agere possint, 9. 3. 4. Tom. 2.
Quo in loco, & quo tempore, & unde debeat dejectum esse, ut actioni de dejectis locus sit, 9. 3. 5. Tom. 2.
Inquilinus hac conventus actione regressum habet adversus eos, qui dejecerunt, 9. 3. 7. Tom. 2.
Cur actio de dejectis ob hominem liberum occisum detur tantum ad quinquaginta aureos, actio vero ex ædilitio edicto in ducentos, si quis canem, verrem &c. ibi habeat, qua vulgo iter & inde liber homo perierit, 21. 1. 12. Tom. 3.
De actione de positis & suspensis, vide *suspensa*.

Electio.

An differat optio & electio legata, An incorporalium & fungibilium optio legari possit, & quæ sit utilitas in optione fungibilium. Optari possunt tres res, optione in plurali numero data. Optari potest optimum. Si testator ex genere, unde optandum, speciem unam præstiterit vivus legatario, optio adhuc salva, 33. 5. 1. Tom. 5.
Eligitur ex rebus testatoris, quæ sunt mortis tempore. Quid, si res quædam testatoris apud tertium sint. Quid, si pauciores sint res in hæreditate, quam optari debuerant. Si uni certus servus, alteri optio legata sit, an optari possit servus illi alteri legatus, aut servus sub conditione liber esse jussus. An optari ex rebus per hæredem alienatis, aut servis ab eo manumissis. An ex synthesi vestium, aut quadriga equorum optare it, cui tunicæ aut equi optio data, 33. 5. 2. Tom. 5.
Quo tempore optandum. An prætor, & ad cujus petitionem, tempus ad optandum præscribere possit. An post illius temporis lapsum adhuc optio legatario permittenda. Si non, cui tunc cedat, quod optari potuisset, 33. 5. 3. Tom. 5.
An optio fieri per procuratorem. An per filiumfamilias legatarium sine patris consensu. Quid, si servus, cui optio legata, post diem legati cedentem manumissus sit. Quid, si plures legatarii, vel plures hæredes unius legatarii, in optando dissentiant. Quid, si unus legatarii hæres impediat optionem. Omnes simul optare debent. Uno optante, ac mox moriente vel furente, si & reliqui eandem rem optant, sustinetur optio, 33. 5. 4. Tom. 5.
Si tertius optare jussus non optet, legatarius ipse optat, sed non optimum, nisi testator ipsi in subsidium expresse optionem dederit: & cur non currat legatum, tertio illo non optante. Quid, si ipsi hæredi permissa sit optio, & is pro legatario optare nolit, 33. 3. 3. Tom. 5.
Re in genere legata, cui competat electio, & qualis res eligi possit. Si ejus generis res in hæreditate non sint, an legatum generis corruat. Quid, si domum leget, nullam habens domum, sed pecuniam in domus emptionem repositam. Quid, si leget fundum Cornelianum, habens plures ejusdem nominis, 33. 5. 6. Tom. 5.
De electione ex duabus rebus alternative legatis. Si duæ res alternative legatæ sint, sed altera pure, altera sub conditione, an corruat legatum, legatario ante conditionis eventum moriente. Quid, si ex alternative legatis una perierit, vel a vivo testatore legatario sit præstita, 33. 5. 7. Tom. 5.
Eligens in legato optionis, generis, aut alternativorum, quando variare possit, quando non. An &, si præstita sit una ex alternativis, sed cum crederetur sola in specie legata esse, 33. 5. 6. Tom. 5.
Vino vel tritico legato sine expressione qualitatis, cui competat electio ratione qualitatis, 33. 6. 3. Tom. 5.
Genere debito ex stipulatu, vel duabus rebus alternative, cui competat electio. An creditor sibi stipulatus electionem, eam transmittat ad hæredem, vel eum, cui cessit aut legavit suum jus. An, qui elegit, mutare possit, 45. 1. 22. Tom. 6.

Emancipatio.

Emancipatione tollitur potestas; & triplex est emancipatio, an adhuc hodie in usu sit, 1. 7. 11. Tom. 1.

Emphyteusis.

An Ultrajecti bona emphyteuticaria cum reliquis bonis computari debeant, ut legitimæ ratio ineatur, 5. 2. 60. Tom. 2.
Ager emphyteuticarius a vectigali non differt; tamen a prædiis tributariis & stipendiariis, uti & a prædiis elocatis, 6. 3. 1. & 2. Tom. 2.
Emphyteusis accepta pro contractu, consensu perficitur; nec scriptura ad substantiam, sed probationem pertinet, 6. 3. 3. Tom. 2.
Constituitur jus emphyteuseos conventionibus, ultima voluntate, præscriptione, 6. 3. 4. Tom. 2.

Quan-

Quanto temporis spatio hodie acquiratur per præscriptionem, 6. 3. 5. Tom. 2.
An præsumatur emphyteusis in dubio, si quis longissimo tempore uniformem annuam, vel difformem seu variantem præstiterit pensionem, 6. 3. 5. Tom. 2.
Qui dare in emphyteusin possint, an minores, an prælati Ecclesiæ rem Ecclesiæ. An, qui habent beneficium Ecclesiasticum, fundos istius beneficii ultra tempus pro ipsis frui possint, 6. 3. 6. Tom. 2.
Qui accipiant in emphyteusin, 6. 3. 6.
Conceduntur in emphyteusin solæ immobiles non mobiles. An domus. An molendina. An annui reditus tales, qui solvat in immobilium classem referri, 6. 3. 7. Tom. 2.
Canon an etiam in certa fructuum ponderatione consistere possit, 6. 3. 8. Tom. 2.
Emphyteusis est vel secularis vel Ecclesiastica; ad quos olim & jure novo emphyteusis Ecclesiastica transire potuerit, 6. 3. 9. Tom. 2.
Emphyteusis hodie vel simpliciter conceditur, vel certæ familiæ certisve personarum gradibus. Quid inter hæc duo intersit, 6. 3. 10. Tom. 2.
Habet emphyteuta commoda fere omnia, quæ fructuarius. Amplius ei cedit utilitas insulæ ante fundum emphyteuticarium natæ; uti & thesaurus in eo fundo repertus, 6. 3. 11. Tom. 2.
Fert etiam onera eadem, quæ fructuarius, nisi circumstantiæ aliud suadeant, 6. 3. 12. Tom. 2.
An habens emphyteusin Ecclesiasticam exemptus sit oneribus illis, quibus & Ecclesia in emphyteusin concedens exempta est, 6. 3. 13. Tom. 2.
Servi hic a lege æstimati. Quo modo æstimandæ actiones inanes ob inopiam debitoris; vel obligationes conditionales, aut ex incerto certove die contractæ, vel legata sub conditione aut ex die relicta; vel debita naturalia, aut quæ ob exceptionem perpetuam peti nequeunt; sponte tamen soluta condici nequeunt ut indebita; quid, si defunctus sit unus ex reis debendi vel credendi, 35. 2. 30. Tom. 5.

Quibus remediis hæres Falcidiam servare possit.

Ubi de retentione, & variis actionibus ad repetendum id, quod supra modum Falcidiæ penes legatarium est, 35. 2. 31. Tom. 5.

De cautione de reddendo, si plus, quam per legem Falcidiam licuerit, legatum esse dicetur. Quando & quibus in casibus interponatur, quibus legatariis remissa sit, 35. 3. 1. Tom. 5.

Non promiscue, sed justa causa urgente imponitur. An & post solutionem exigi possit. Quando vires perdat jam interposita? an testator eam remittere possit, 35. 3. 2. Tom. 5.

Quo modo fideicommissarii caveant legatariis.

Quomodo caveatur, si uni ususfructus, alteri proprietas rei legata sit, 35. 3. 3. Tom. 5.

Falsum.

Quid sit falsum, quid quasi falsum, in adscribentibus sibi in alieno testamento, ac tutoribus cum fisco contrahentibus, & vivi testamentum aperientibus, 48. 10. 1. Tom. 6.

Verum falsum non fit sine dolo, 48. 10. 2. Tom. 6.

Recensentur casus, quibus falsum fit *dicto*. An & recitato instrumento falso, non facto, 48. 10. 3. Tom. 6.

De falso per *reticentiam & simulationem*; ubi de testibus subducentibus, ne testes sint; de tabellionibus requisitas solemnitates dolo omittentibus; de mendicantibus, & militibus morbum simulantibus, 48. 10. 4. Tom. 6.

Quibus modis scriptura falsum fiat, 48. 10. 5. Tom. 6.

De modis, quibus falsum re seu facto fiat, 48. 10. 6. Tom. 6.

De crimine falsæ monetæ, 48. 10. 7. Tom. 6.

Quæ sint pœnæ falsi; quæ eorum, qui falsæ monetæ rei sunt, sive directo sive per consequentiam criminis participes sint; & quando non mortis, sed levior pœna irroganda, 48. 10. 8. Tom. 6.

Qui latius de falso videndi, 48. 10. 9. Tom. 6.

Fama.

An fama probet? vide *probatio*.

Familia.

De fideicommisso *familiæ* relicto, vide *fideicommissum*.

Familiæ erciscundæ.

De divisione hæreditatis, quæ per ipsum testatorem fit? An tunc cohæredes sibi invicem præstent evictionem divisorum, si forte res aliena uni per testatorem assignata sit, 10. 2. 1. Tom. 2.

Post divisionem a testatore factam, si quæ remanserint indivisa, qua proportione dividenda sint? & alia plura, 10. 2. 1. Tom. 2.

De divisione, quæ mortuo inter cohæredes fit. Quo modo ea fieri possit, 10. 2. 2. Tom. 2.

An repertorii confectio sit necessaria ad id, ut inter cohæredes communi consensu divisio fiat, si hæredes omnes majorennes sint. Quid, si quidam sint minorennes? & de assignatione bonorum paternorum aut maternorum per parentem superstitem facta liberis sine inventario, 10. 2. 3. Tom. 2.

An & quando unus hæredum a reliquis cogi possit ad inventarii confectionem? & an in illud tunc etiam referri debeat, quod sibi a defuncto donatum ait, 10. 2. 4. Tom. 2.

An & viventis hæreditas ex consensu ejus inter futuros hæredes dividi possit? an tunc nova peti possit divisio, si defunctus priorem non reprobaverit, 10. 2. 5. Tom. 2.

An etiam testator testamento suo divisionem suæ hæreditatis possit extraneo mandare, qui hæres non est? & quando hæredes tali divisioni debeant acquiescere, 10. 2. 5. Tom. 2.

Ante divisionem deducenda prius omnia, quæ hæreditaria non sunt, quorum variæ species recensentur, 10. 2. 6. Tom. 2.

Non dividendum inter cohæredes, quod pro cæde defuncti, quidam ex his tanquam sanguine vel affinitate juncti ab homicida consecuti sunt, 10. 2. 7. Tom. 2.

Non etiam dividenda, quæ uni ex jure primogenituræ vel aliter cedere debent jure præcipui, nec uni hæredum prælegata. Et, si hæc per errorem divisa sint, restitutio datur, manente in cæteris divisione, 10. 2. 8. Tom. 2.

Inter nullos alios, quam cohæredes, quive eorum loco habentur, hoc judicium locum habet. Quid agendum, si reus actorem neget cohæredem esse, 10. 2. 9. Tom. 2.

An actor provocans hoc judicio, censeatur fateri, reum cohæredem esse, 10. 2. 10. Tom. 2.

Datur etiam hoc judicium inter fiduciarium & fideicommissarium, vel filium impuberem adrogatum respectu quartæ & cæteros hæredes, uti & inter emptorem partis hæreditariæ & hæredes, 10. 2. 11. Tom. 2.

Nihil refert quantum ad hoc judicium, utrum cohæredes possideant, nec ne, 10. 2. 12. Tom. 2.

Datur etiam inter pauciores ex pluribus hæredibus; qui tamen cæteris non præjudicant. Quomodo consulium sit hæredibus, dividere volentibus, si quidam diutius absentes nullum suo loco substituant ad divisionem peragendam, 10. 2. 12. Tom. 2.

Si plures sint hæredes unius cohæredis, omnes simul ad divisionem provocare debent, aut unum simul procuratorem constituere; non quidam ex his, 10. 2. 13. Tom. 2.

Ad divisionem provocare vel provocari nequit hæres conditionalis pendente conditione. Quid agendum ea pendente, si quidam pure, alii sub conditione instituti sint, 10. 2. 14. Tom. 2.

Provocare nequeunt pupilli, furiosi &c. nec eorum tutores aut curatores. Provocari tamen possunt, & tunc tutores etiam immobilia dividunt sine decreto. Quandoque & provocant, decreto impetrato, si non expediat pupillis communio, vel inter pupillos plures dividant. Quid juris, si diviserint sine decreto, 10. 2. 15. Tom. 2.

Si maritus statuto prohibeatur alienare immobilia uxoris sine consensu ejus, etiam divisio prohibita videtur, 10. 2. 16. Tom. 2.

Divisio hæreditatis, si quas impensas requirat, illæ communiter de hæreditate faciendæ, nisi fiant ob singularem qualitatem unius hæredis, veluti ob decretum, si unus minor sit, 10. 2. 17. Tom. 2.

Dividi potest hæreditas ejus, qui diu abfuit, & ignoratur, an vivat nec ne, modo caveant, qui dividunt. Nec tamen hoc ipso fiunt hæredes, sed tantum fiduciarii possessores, 10. 2. 18. Tom. 2.

Quid si post talem fiduciariam divisionem diutius supervixisse absentem constet, & interim quidam ex possessoribus fiduciariis mortui, vel nova lege a successione depulsi sint, 10. 2. 19. Tom. 2.

Quanto tempore debeat esse continuata incertitudo, an quis vivat, an mortuus sit, ut ad divisionem fiduciariam procedi possit, 10. 2. 20. Tom. 2.

Uno judicio de duabus hæreditatibus, veluti paterna & materna dividendis agi potest, licet non omnes, sed quidam tantum, ad utramque concurrant, 10. 2. 21. Tom. 2.

Res adjudicandæ singulis singulæ, quantum fieri potest, si dividi commode nequeant; vel ei, qui licitando vicit; extraneo etiam ad licitandum admisso, maxime, si unus hæredum pauper aut pupillus sit; licet statuto cautum esset, so-

socium socio posse afferre electionem, an rem pretio a se æstimatam, an pretium habere malit, 10. 2. 21. Tom. 2.
Judex non potest inter cohæredes dividere, sed nec adjudicare debet partem, quam vel defunctus vel cohæredes pro indiviso habent in re sibi cum alio communi, dum defunctus habuerat socium rei, vel fundi sui partem legaverat, vel unus hæredum ante hoc judicium partem suam rei hæreditariæ vendiderat, 10. 2. 23. Tom. 2.
An & quo modo veniant in hoc judicium res ab hostibus captæ, commodatæ, depositæ, litigiosæ. thesaurus; res ex pecunia hæreditaria emptæ, lucra turpia, jura sepulchrorum, patronatus, servitutum? ea conditionis implendæ causa uni hæredi data, prædia feudalia, emphyteuticaria, adscriptitiorum, &c.? 10. 2. 24. Tom. 2.
Quales in hoc judicium veniant præstationes personales. An & unus cohæredum, qui solus gessit res hæreditarias, salarium petere possit, 10. 2. 25. Tom. 2.
Circa præstationes personales debent condemnationes & absolutiones fieri in omnium personis, alias non valent, 10. 2. 25. Tom. 2.
Nomina ipso jura divisa sunt. Si unus hæredum non sit solvendo, id cæteros non gravat, 10. 2. 26. Tom. 2.
Si judex singulis singula nomina adjudicaverit, id non prodest nec nocet creditoribus, & si creditor unum hæredem vi adjudicationis in solidum convenerit, adhuc contra reliquos agere potest, si prior solvendo non sit, 10. 2. 26. Tom. 2.
Si testator voluerit, vel inter cohæredes convenerit, ut singuli certa debita in solidum solverent, vel defunctus contractu suo unum ex pluribus futuris hæredibus in solidum obligaverit, an is invitus in solidum a creditore conveniri possit? & quid moribus, 10. 2. 27. Tom. 2.
Quid agere possint cohæredes cæteri, si pro sua parte hæreditaria conveniantur a creditore respectu debiti, cujus solutio uni erat imposita, 10. 2. 27. Tom. 2.
Pro qua parte quisque feret onus æris alieni, si alter mobilium, alter immobilium hæres sit; paterna paternæ, materna maternæ lineæ cedant; vel pro statutorum diversitate unus in quædam tantum bona successerit, 10. 2. 28. Tom. 2.
Qualia pacta divisioni hæreditatis possint adjici? & in specie de pactis successionis in bona ex divisione cuique cedentia; quod in Hollandia probatur, non ita aliis in locis. Quæ sit pacti hujus utilitas ac ratio. Qualium bonorum intuitu tale pactum operetur. An mutatio domicilii mutet vim pacti talis circa mobilia, 10. 2. 29. Tom. 2.
Cessat hoc judicium, si semel eo actum sit; & ideo agere possunt hæredes judicio communi dividundo, si tantum a quarundam rerum communione resilire velint, 10. 2. 30. Tom. 2.
Cessat, si unus ex re certa, alter simpliciter, unus in mobilibus, alter in immobilibus institutus sit, 10. 2. 31. Tom. 2.
Potest testator ad tempus, non in perpetuum, prohibere divisionem, 10. 2. 32. Tom. 2.
Possunt & creditores per judicem intercedere, ne divisio fiat, donec ipsis solutum aut satisfactum sit. Quæ sit utilitas hujus intercessionis, 10. 2. 32. Tom. 2.
An cesset hoc judicium, si cohæredes plures communiter & pro indiviso res hæreditarias possederint totis triginta annis. Quid juris, si toto tempore pro diviso & suo nomine possederint, 10. 2. 33. Tom. 2.
An rescindi possit divisio, quæ inter verum & falsum hæredem per errorem facta est, sive privatim, sive per judicem. Et quid si verus hæres diviserit cum falso hærede, cum non plane erraret, sed dubitaret, an is esset hæres, nec ne, 10. 2. 34. Tom. 2.
Si inter veros hæredes divisio facta sit, ob qualem læsionem rescindi tunc possit, cum judicis auctoritate facta est, 10. 2. 35. Tom. 2.
Variæ quæstiones circa rescissionem ob enormem læsionem ex divisione natam, 10. 2. 36. Tom. 2.
Quamdiu duret licentia petendi rescissionem ob enormem læsionem, 10. 2. 37. Tom. 2.
Si fiduciarius hæres, pendente fideicommissi conditione, diviserit hæreditatem cum cæteris cohæredibus, an fideicommissarius isti divisioni stare debeat, 10. 2. 38. Tom. 2.
Communi consensu a facta divisione recedi potest. An tacite recessum videatur, si post solemnem divisionem hæredes perseveraverint in communi ac indivisa rerum possessione per tempus ad præscriptionem requisitum, 10. 2. 39. Tom. 2.
An cum hac actione concurrere possit judicium expilatæ hæreditatis, 10. 2. 40. Tom. 2.
An cum hac actione concurrere possit actio negotiorum gestorum, ita ut cohæres eligere possit, utra velit experiri, 10. 2. 41. Tom. 2.
Quo in loco judicium familiæ erciscundæ intentandum sit, 10. 2. 42. Tom. 2.
An & quando quadragesima pars pretii & alia laudimia ac munera præstanda sint moribus nostris propter alienationem, quæ per divisionem aut adjudicationem rerum hæreditariarum, similesque modos fit, 10. 2. 43. Tom. 2.

Famuli.

Famuli & ancillæ hodie sequuntur domicilium domini, cui ministrant, 5. 1. 96. Tom. 2.
An & quo usque hodie domini teneantur ex delicto famulorum & ancillarum, 9. 4. 10. Tom. 2. & 15. 2. 11. Tom. 5.

Felonia.

Vide *feudum*.

Feria.

Quid sint feriæ, dies nefasti, justitium &c. 2. 12. 1. Tom. 1.
Sunt vel solemnes vel repentinæ, vel divinæ vel humanæ. Quid die dominico expediri possit, quid non, 2. 12. 2. Tom. 1.
Citatio die dominico facta, est ipso jure nulla, 2. 12. 3. Tom. 1.
Citatus die profesto, ut se sistat die dominico, sistere se debet die proxime sequente judiciali, 2. 12. 4. Tom. 1.
Quid sint feriæ humanæ, 2. 12. 5. Tom. 1.
Humanis feriis nullus invitus litigare cogitur; sponte potest: & si contra invitum sententia lata sit, eam ratihabitione potest efficacem reddere, 2. 12. 6. Tom. 1.
Feriis humanis recte fit citatio in diem non feriatum; & alia peragi possunt favorabilia, publice utilia, moræ impatientia, 2. 12. 7. Tom. 1.
Ferias solus Princeps indicit, mutat, tollit, quandoque & populus consuetudine, 2. 12. 8. Tom. 1.
Observandæ tantum feriæ receptæ in loco judicii, non aliæ, nisi privilegium in id concessum sit, 2. 12. 9. Tom. 1.

Ferruminatio.

Vide *applumbatura*.

Feudum.

Feuda arrestari possunt etiam per judicem non feudalem, si de controversia non feudali litigandum sit, 2. 4. 51. Tom. 1.
De retractu in feudis venditis obtinente, vide *retractus*.
An feuda imputentur in legitimam. An augeant legitimam, & similia, vide *legitima*.
An & quando feuda veniant in statutariam communionem? Vide *communio bonorum inter conjuges*.
An & quando collateralis in feudum novum succedens, pretium ejus solvere teneatur, 37. 6. 8. Tom. 3.
De feudorum aut æstimationis collatione, vide *collatio*.
De feudorum origine, & convenientiis ac differentiis eorum, quæ proxime ad feuda & vasallos videntur accedere, 38. *Digr.* 1. Tom. 5.
De auctoribus librorum feudalium, numero librorum, & eorum distributione, 38. *D.* 2. Tom. 5.
Unde *feudi* nomen descendat? Quot modis accipiatur. Quid sit, 38. *D.* 3. Tom. 5.
Feudis opponuntur *allodia*. In dubio res magis allodialis, quam feudalis præsumitur, 38. *D.* 4. Tom. 5.
De feudis masculinis & fœmininis, idque duplici sensu. In dubio magis præsumenda masculina. An ab initio masculina, deinde converti possint in fœminina moribus nostris, 38. *D.* 5. Tom. 5.
De feudo *veteri* seu *paterno*, & *novo*. In dubio vetus præsumitur. An & quando feudum novum alicui concedi possit jure feudi veteris. An vicissim vetus concedi jure feudi novi, 38. *D.* 6. Tom. 5.
Feudum, quod venditione, testamento, aut aliter transfertur licite in tertium, hujus intuitu pro novo habetur, nisi hic simul successor feudalis sit. An recuperet antiqui feudi naturam, si alienans illud redemerit. An & quando feudum comparatum ex pretio feudi veteris alienati pro antiquo habendum sit. Feudum ex antiquo novum fit, si de eo investiantur ex beneficio domini, tanquam successores, qui ex tenore primæ investituræ non debebant succedere. An ex antiquo novum fiat, si dominus vasallo, qui feloniam commiserat, eandem remiserit, 38. *D.* 7. Tom. 5.
De feudo *ligio* & *non ligio*. Quis feudum ligium concedat. An quis duorum vasallus ligius esse possit, 38. *D.* 8. Tom. 5.
De feudo *franco* & *non franco*. In dubio præsumitur non francum. De feudo *conditionato*. An in conditionato præter certum servitium expressum alia ordinaria servitia præstanda sint, 38. *D.* 9. Tom. 5.

De

De feudo *Ecclesiastico* & *seculari*. An apud nos illa distinctio usum inveniat, 38. *D.* 10. Tom. 5.

De feudo *corporali* & *incorporali*. Quid sit feudum *cameræ*, *cavenæ soldatæ*. An debeatur, si non sit in camera vel cavena, unde solvatur. Quid sit feudum *gratuitum* & *officiosum*. Quid feudum *guardiæ*, *guälstaldiæ*, *advocatiæ*, *habitationis*, 38. *D.* 11. Tom. 5.

De feudo *in curte & extra curtim*, 38. *D.* 12. Tom. 5.

De feudo *perpetuo* seu *reali* & *temporali* seu *personali*, 38. *D.* 13. Tom. 5.

Quid sit feudum *magnum*, *medium*, *parvum*, & unde id dijudicetur, 38. *D.* 14. Tom. 5.

De feudo *nobili* & *ignobili*, *plebejo*, *burgense*. Quis nobile concedat. An nobile præsumatur, quod concessum ab habente majestatem. Nobile vel magis vel minus nobile est: item *regale* vel non *regale*. An plebejus emptione vel aliter acquirens feudum nobile, fiat nobilis. Quid apud nos requiratur, ut quis tanquam nobilis adscribatur Hollandiæ Ordinibus, 38. 15. Tom. 5.

De feudis *dividuis* & *individuis*, & quales sint nostratia. De feudis principalibus, & subfeudis, *hoost leenen*, *en achter leenen*, 38. *D.* 16. Tom. 5.

De feudis *hæreditariis* & *non hæreditariis*, seu *ex pacto & providentia*, vel *familiaribus*. An in his succedere possit, qui neque primo acquirenti neque ultimo possessori hæres fuit. Unde dicantur, *ex pacto & providentia*? De feudis *mixtis*, partim hæreditariis, partim familiaribus. In quibus feuda nostra hæreditaria, *onversterseyhe orfleenre*, differant ab *hæreditariis* proprie dictis. Quo tempore & qua occasione, hæc apud nos inducta, & ex vasallorum allodiis feuda facta fuerunt, 38. *D.* 17. Tom. 5.

De feudis *propriis* & *impropriis*. In dubio magis *propria*, quam *impropria*; magis ex pacto & providentia, quam hæreditaria præsumuntur. Si in aliquo tertio recta feudi natura pacto mutata sit, in cæteris tamen rectum intelligitur. Qualia feuda ex ipsa juris feudalis dispositione recesserint a recti feudi natura, 38. *D.* 18. Tom. 5.

Qui feuda dare possint. An fœminæ, possessores bonæ fidei, minores, &c. An rerum alienarum administratores. An maritus res uxoris. An abbates, prælati, res monasterii vel Ecclesiæ? &c. 38. *D.* 19. Tom. 5.

Vasalli potuerunt rursus de feudo suo alios subinfeudare, vel res suas proprias iis in feudum dare, & hi subinfeudati rursus aliis, ac sic deinceps. Qui fuerint *regni vel regis capitanei*, *valvasores majores*, *valvasores minores*, *valvasores minimi seu valvasini*. Apud nos de quibus rebus, & quot vicibus subinfeudatio fieri possit, & de denominationibus in hac subinfeudatione. An necesse, subinfeudationem iisdem fieri conditionibus, quibus prima feudi concessio. An in dubio præsumatur ita facta, 38. *D.* 20. Tom. 5.

Qui possit feuda accipere; ubi de fœminis, minoribus, mutis, surdis, cæcis, imperfectis: item de Regibus & ipso Imperatore feuda accipiente: de Ecclesiis & personis Ecclesiasticis. An hodie Ecclesiæ, nosocomia, aliaque corpora, feuda acquirere possint sine licentia ejus, penes quem majestas est. Si collegia, seu *manus mortua*, feuda teneant, persona eligenda, per quam repræsententur, ex cujus morte vel mutatione renovatio investituræ petatur, aliaque a vasallo præstanda præstentur, 38. *D.* 21. Tom. 5.

Quibus nominibus designentur jure feudali, qui in feudum dederunt aut acceperunt. Unde *Vasallus* & *senior* dicatur, 38. *D.* 22. Tom. 5.

Quæ res in feudum dari possint. An mobilis, aut extra commercium. Quæ accedant & vasallum sequantur, si prædium aut castrum in feudum detur, 38. *D.* 23. Tom. 5.

An res incorporales, reditus ex camera vel cavena. Reditus annuus feudo impositus feudalis fit ratione successionis &c. non tamen in Hollandia ratione petendæ renovationis investituræ: & regitur secundum jus feudi, cum impositus est. Quid si pluribus prædiis feudalibus sit impositus. Si tantum pro debito personali feudum pignori obligetur, debitum ex eo non fit feudale, 38. *D.* 24. Tom. 5.

An, feudo per vasallum in emphyteusin datum, emphyteusis induat feudi naturam, 38. *D.* 25. Tom. 5.

An id, quod alluit fundo feudali, feudale fiat, 41. 1. 15. Tom. 5.

An jus alluvionis in feudum dari possit. An dominus vivente vasallo possit alium de eo feudo investire. Quando talis investitura effectum sortiatur. An &, si investiens vel investitus moriatur ante vasallum possessorem, vel ante conditionis additæ aut subauditæ eventum. An & fieri possit eo tempore, quo possessor vasallus liberos habet aut agnatos successionem sperantes. An & in casum caducitatis feudi. An necesse, ut vasallus possessor in eam consentiat, 38. *D.* 26. Tom. 5.

An *regalia* in feudum dari. Quid sint. Quid *majora* & *minora*, 38. *D.* 27. Tom. 5.

Res propria dantis in feudum danda. Quo usque feudalis fiat, si communis detur. Quo modo vasallus rem suam propriam in feudum accipere possit, & qua ratione id frequentissimum in nostratibus feudis hæreditariis fuerit, 38. *D.* 28. Tom. 5.

Si tertius res alienas in feudum datas evincere velit, quid vasallo agendum sit. An dans evictionem vasallo præstet. An, si vasallus danti non denunciaverit, litem motam esse, sententia domino directo noceat, 38. *D.* 29. Tom. 5.

Quo modo feudum de novo acquiratur ultima voluntate. An per donationem mortis causa; & quis tunc effectus, 38. *D.* 30. Tom. 5.

Quo modo actu inter vivos quis acquirat jus ad feudum sibi ab alio constituendum. Ubi de donatione, emptione, & præcipue de contractu feudali. An id sit *bonæ fidei*, *nominatus*, 38. *D.* 31. Tom. 5.

De constitutione feudi per investituram, & de investitura ac renovatione ejus, vide *investitura*. Feudum præscriptione acquiritur. Cujus qualitatis in dubio tunc feudum præsumatur. Quot modis præscriptio hæc fieri possit, 38. *D.* 32. Tom. 5.

Quæ concurrere debeant ad præscriptionem per quam res ex allodiali feudalis fit, 38. *D.* 33. Tom. 5.

Qua ratione paulatim invaluerit, mortuo vasallo ad successores ejus feudum transire, 38. *D.* 42. Tom. 5.

De feudo vasallus testari nequit, nisi hæreditarium sit, vel consentiant omnes illi, quorum interest, 38. *D.* 43. Tom. 5.

De feudis Hollandiæ hæreditariis testari vasallus potest, si dominus consentiat, nec agnatorum consensu opus, 38. *D.* 44. Tom. 5.

Venia testandi de feudis impetrari potest ante vel post conditum testamentum, non post mortem vasalli. Nec alius, cujus interest, recte veniam aut confirmationem petit, 38. *D.* 49. Tom. 5.

Non necesse, ut in testamento veniæ impetratæ mentio fiat. Quis probet, si negetur veniæ impetratio? 38 *D.* 49. Tom. 5.

An pereat licentiæ impetratæ vis morte concedentis? An coram tabellione & testibus, vel apud acta, vel coram septem testibus, vel coram duobus Ordinum Hollandiæ vasallis, de feudo Hollandico vasallus testari possit? An, si coram domino & duobus curiæ paribus vasallus testatus sit, alia veniæ impetratione Ultrajecti aut in Hollandia opus sit? An tacitus domini consensus, aut coram testibus sine scripto expositus sufficiat? An Pontificiæ religionis vasallus Hollandicus alibi, quam coram Hollandiæ Curia de feudo testari possit? 38. *D.* 47. Tom. 5.

An, si vasallus, impetrata venia, aliquem simpliciter instituat, nulla feudorum mentione facta, is etiam feuda vi illius institutionis capiat? 38. *D.* 48. Tom. 5.

Pertinet hæc venia ad ultimam vasalli voluntatem, licet sæpius mutatam, & ad quoscunque instituendos, Ordines Hollandiæ veniam dant testandi de feudis a se aut vasallis suis concessis, licet extra Hollandiam sitis, & vice versa. Ultrajectini Ordines de feudis concessis a se aut suis vasallis aut subditis, licet non vasallis, & quæ horum ratio sit? 38. *D.* 49. Tom. 5.

Subinfeudatus an de subfeudo testari possit ex venia subinfeudantis, an domini superioris? 38. *D.* 50. Tom. 5.

An vasallus, cui feudum jam jure successionis delatum, sed qui necdum de eo investitus est, de eo testari possit? 38. *D.* 51. Tom. 5.

Venia testandi de feudo, aut illud inter vivos alienandi, strictam recipit interpretationem. An ejus vi testetur, qui de jure non habet testamenti factionem, ut pupillus? An spurius? An ejus vi feudum relinqui ei, qui caret passiva testamenti factione, aut spurio? 38. *D.* 52. Tom. 5.

Vi veniæ hujus, vasallus etiam vulgariter substituere potest, at non per fideicommissum, nisi & id impetratum sit. An & quando tunc plures substitutionis fideicommissariæ gradus fieri possint? 38. *D.* 53. Tom. 5.

An impetrata testandi venia, liceat etiam feudum inter plures dividere? An vasallus in dubio præsumatur voluisse dividere? Si Titio in feudo instituto liberos ejus nomine collectivo substituerit per fideicommissum, non omnes simul, sed primogenitus primo loco admittendus. Si hæreditas, etiam feuda continens, ex fideicommisso proximioribus restituenda sit, feuda soli nato maximo restituenda, qui ex illo latere, unde feudum processit, conjunctus est, exclusis aliis, licet proximioribus, 38. *D.* 54. Tom. 5.

De feudis *hæreditariis* apud nos promiscue venia testandi petita conceditur. De *rectis* rarius, & non nisi plenissima causæ cognitione: nec per alios, quam ipsos Hollandiæ Ordines, 38. *D.* 55. Tom. 5.

Si quis sine venia de feudo testetur nec res nec æstimatio debetur. Potest tamen æstimatio feudi legari sub conditione, si feudum legatum non præstetur, vel hæres institui sub conditione, si feudum tertio dederit. Potest pater liberis reliquis tantum prælegare, quanti valet feudum primogenito cessurum, 38. *D.* 56. Tom. 5.

Ju-

Jure feudali adscendentes non succedunt in feuda nova vel antiqua descendentium, nisi id pacto actum sit, vel fundum filio contemplatione patris sit quæsitum; vel mero hæreditarium; uti & in Hollandicis feudis *hæreditariis*, non rectis, 38. *D*. 59. Tom. 5.

Non succedunt collaterales primi acquirentis, sed omnino collaterales ultimi possessoris, si simul acquirentis primi descendentes sint; & non primo acquirenti, sed ultimo possessori proximi præferuntur. Quibus in casibus frater fratri in novo feudo succedat? An in feudis rectis Hollandicis succedant collaterales ultimi possessoris, si sint acquirentis primi descendentes, 38. *D*. 58. Tom. 5.

Non succedunt descendentes ex jure civili incapaces, nec liberi adoptivi, nec fœminæ aut ex fœminis descendentes, licet deficerent omnes masculi, & feudum non gratuitum, sed pretio comparatum esset, 38. *D*. 59. Tom. 5.

Recensentur casus, quibus fœminæ in feudum succedere possunt, & casus, quibus id ambiguum, 38. *D*. 60. Tom. 5.

Quibus casibus fœminæ admittuntur, subsidiaria tantum est earum successio, nec veniunt, quamdiu masculi supersunt, licet longe remotiores. Deficientibus tamen postea masculis, per quos exclusæ fuerant, admitti possunt, 38. *D*. 61. Tom. 5.

An & quo modo fœminæ in Hollandicis feudis *hæreditariis* succedant, a *rectis* exclusæ sint? 38. *D*. 62. Tom. 5.

Jure feudali non succedunt descendentes muti, surdi, cæci, furiosi, aut aliter imperfecti; nec clerici aut monachi; exceptis paucis casibus. Quid, si rursus habitum religiosum deponant? 38. *D*. 63. Tom. 5.

His tamen, si pauperiores, aliquid ex reditu feudi debebatur. An moribus tales succedant? 38. *D*. 64. Tom. 5.

An liberi naturales, aut spurii, vel ex naturalibus legitime nati succedant in feudum paternum aut maternum, jure feudali ac moribus, 38. *D*. 65. Tom. 5.

An legitimati ulli succedant in feuda jure feudali? An moribus legitimati per nuptias? An natus ex concubina, & post intermedias nuptias, prolemque inde superstitem, legitimatus per nuptias succedat in feudum ut primogenitus? Legitimati rescripto non aliter, quam si ad feuda quoque legitimati sint. An tunc legitimatio se extendat ad feuda extra territorium legitimantis sita? An ad eam opus sit consensu domini directi aut agnatorum? An simpliciter ad feuda legitimatus succedat etiam in feuda regalia, 38. *D*. 66. Tom. 5.

Succedunt descendentes etiam ex secundo vel ulteriore matrimonio. Quid, si matrimonium secundum ad *morganaticam* contractum sit? Et quid, si omnes prioris thori liberi postea deficiant? Quid, si pater pacta talia matrimonio adjuta mutare velit, 38. *D*. 67. Tom. 5.

An jure feudali filius in universe allodialium parte institutus, vel præteritus, vel cum aut sine causa exhæredatus, nihilominus æqualiter cum cæteris fratribus in feuda succedere debuerit? 38. *D*. 68. Tom. 5.

An & quo usque jus repræsentationis locum habuerit in linea descendente circa feuda. Quo usque in linea collaterali ultimi possessoris. Si semel ad aliquam lineam feudum devenerit, non aliter ad aliam transit, quam si ea totum prior defecerit, 38. *D*. 69. Tom. 5.

Feudalis successio moribus adhuc distat in multis a successione in allodialia. Quo modo succedatur in feudis Hollandicis, Ultrajectinis, Gelricis, Zutphaniensibus, Clivensibus, & multis aliis locorum aliorum, ut & quibusdam certa lege concessis. *Remiss*. Adhæc de varia significatione feudi concessi, *ten onversterfelyken rechten*, *tot een eeuwig*, *onversterfelyk leen*, aut alia simili formula, 38. *D*. 70. Tom. 5.

Moribus Hollandicis, Ultrajectinis, & multorum aliorum, jus repræsentationis cessat in feudi successione, & proximus gradu vocatur, exclusis remotioribus, 38. *D*. 71. Tom. 5.

In Hollandia tamen proximus ultimi possessoris non succedit, nisi sit simul ejus lineæ, unde feudum ad ultimum possessorem pervenit: sed deficiente illa linea, proximus ultimi possessoris utcunque alterius lineæ, succedit, 38. *D*. 72. Tom. 5.

An in Hollandia aut Ultrajecti in feuda succedant cognati undecimi aut ulterioris gradus, 38. *D*. 73. Tom. 5.

Duplicitas vinculi sanguinis hic non attenditur, & uno latere junctus ultimo possessori potior esse non potest in feudi successione, quam alius ejusdem gradus duplici vinculo junctus, 38. *D*. 74. Tom. 5.

An, deficiente cognatione, conjux apud nos in feuda succedat, 38. *D*. 75. Tom. 5.

In feudis Hollandicis filius secundo genitus præfertur nepoti ex primogenito prædefuncto; nepos natu major ex filio vel filia natu minore, nepoti natu minori ex filio natu majore, etiam in feudis rectis. Quid hic Ultrajecti, & vicinis in locis obtineat, 38. *D*. 76. Tom. 5.

In feudis Hollandiæ *hæreditariis* fœmina proximior excludit masculum etiam uno tantum gradu remotiorem; at in *rectis*, si fœminis quoque successio ex speciali concessione deferri possit, fœmina non aliter, quam deficientibus omnibus masculis primi acquirentis, 38. *D*. 77. Tom. 5.

Si vasallus feudum vendiderit, ac pretium acceperit, sed necdum tradiderit, non emptoris sed venditoris successor feudalis ad illud venit. An tunc cogi possit ad feudum emptori tradendum? Quid juris, si ex adverso emptor sit mortuus, antequam ei a venditore feudum esset traditum, 38. *D*. 78. Tom. 5.

Summa successionis in feuda Hollandica hæreditaria est, ut primo lineæ, secundo gradus, tertio sexus, quarto ætatis ratio prælationem tribuat. An in hisce feudis succedatur ultimo possessori, an primo acquirenti, 38. *D*. 79. Tom. 5.

Cujus loci leges in successione feudali observandæ sint; uti & in quæstione, an de feudis vasallus testari possit. Productis varii tenoris instrumentis in successione in dubio prævalet id, quod antiquius est. Et consuetudo in successione interpretatur primum investituræ tenorem, 38. *D*. 80. Tom. 5.

De jure primogenituræ in successione feudali, vide *primogenitura*.

Olim feudorum alienationes non adeo prohibitæ, sed posteriore feudali jure in scripturam redacto rigidissime, & cur, 38. *D*. 86. Tom. 5.

Quales alienationum species prohibitæ fuerint, ubi de venditione, permutatione, in solutum datione, donatione simplici, aut propter nuptias, dote, pignore, vel hypotheca, 38. *D*. 87. Tom. 5.

Subsistunt tamen ex consensu domini. Quid, si plures sint domini. An etiam requiratur consensus agnatorum. An descendentes alienantis feudum revocare possint. Consensus generalis primo tenore investituræ concedi potest. Si ad unam alienationis actum concedatur, strictissimam recipit interpretationem ratione modi, personarum, temporis, &c. Hæres ex consensu per defunctum obtento alienare potest. Sufficit ratihabitio ac tacitus consensus; non item sola præsentia ac patientia, 38. *D*. 88. Tom. 5.

Licita sine domini consensu locatio feudi, non item contractus libellarius. Licita fructuum feudi venditio etiam in tempus vitæ vasalli secundum mores Gelriæ. An licita transactio, aut compromissum, & an hæc domino noceant, feudo aperto, 38. *D*. 89. Tom. 5.

An sine domini consensu licita subinfeudatio, & quibus ea sit facienda conditionibus. An quo usque obsit agnatis subinfeudantis. Resoluto jure subinfeudantis, resolvitur jus subinfeudati, qui tamen invito domino superiore feudum retinere potest, si ab eo feudum agnoscere paratus sit, 38. *D*. 90. Tom. 5.

An & quatenus realis servitus feudo sine domini voluntate possit imponi. An & ususfructus, 38. *D*. 91. Tom. 5.

An sine consensu domini possit dividi feudum jure feudali, aut Hollandico, 38. *D*. 92. Tom. 5.

An refutatio feudi invito domino recte fiat. Quid & quotuplex sit. An ad eam requiratur consensus agnatorum. An consensus domini, si refutatio fiat agnato. An consensus agnatorum proximiorum, si fiat remotiori, aut vice versa, 38. *D*. 93. Tom. 5.

An refutari possit domino, ut recipiatur, & ex antiquo novum fiat, quo alii succedant, quam qui ante successissent, 38. *D*. 93. Tom. 5.

Feudo ex consensu domini oppignorato, an creditor id sine novo consensu vendere possit. An sine novo consensu vendere suum creditum, pro quo feudum obligatum est, 38. *D*. 94. Tom. 5.

Valet statutum, ut feudum alienari possit sine domini consensu. Quibus in locis ad alienationem feudi inter vivos consensu opus sit, quibus non. An facile denegetur consensus petitus. An sub generali vel legali hypotheca contineantur feuda. An in subsidium judicati causa capiantur, 38. *D*. 95. Tom. 5.

Feuda recta Hollandica nec alienantur nec obligantur sine consensu domini, qui & raro conceditur, nec aliter, quam post plenam causæ cognitionem. An judicati causa capi possint. An dividi ea, quæ jurisdictionem adjunctam habent. An alienari hæreditaria Hollandica ex consensu domini, si concessa ex lege, ne alienentur. An ex his effodi cespites, terra ficalis, &c. sine consensu domini. An de his valeant sine domini confirmatione, vivo vasallo impetrata, pacta dotalia, quid disponentia de futura successione, 38. *D*. 96. Tom. 5.

Quoties consensus domini aut agnatorum hodie ad alienationem requiritur, ex juris feudalis scripti regulis controversiæ decidendæ, 38. *D*. 97. Tom. 5.

Ubi facienda sit traditio feudorum & subfeudorum, 41. 2, 38. Tom. 5.

De renovatione investituræ: vide *investitura*.

Qualia commoda, jura, actiones vasallus ex feudi concessione

ne

ne habeat. Ad quæ domino directo præstanda teneatur, utilitatem, salutem, honorem domini respicientia, 38. *D.* 108. Tom. 5.

Cujus sumptu vasallus servitia militaria domino præstet. An sponte & non rogatus servitia offerre debeat. An per substitutum servire possit. Quid sint *hostenditiæ*. Hodie apud nos servitia aut militia haud incumbunt; secus olim, 38. *D.* 109. Tom. 5.

Quæ commoda dominus ex feudi concessione habeat. Ad quæ vasallo teneatur. An & quando directum suum dominium invito vasallo in alium transferre possit, jure feudali, & hodierno, 38. *D.* 110. Tom. 5.

Amittitur feudum ob ingratitudinem insignem in dominum commissam. Quæ causæ satis graves sint, & an ad similes extendi possint. An ob ingratitudinem, commissam antequam vasallus esset. An, si tales ingratitudinis causas non in dominum, sed extraneum commiserit. Quid sit *Felonia* sensu proprio & improprio, 38. *D.* 111. Tom. 5.

Recensentur plurimæ causæ speciales ex jure feudeli, quæ vim in dominum, aut res ejus, aut grandem rerum ejus læsionem, personæve contemptum continent, 38. *D.* 112. Tom. 5.

Recensentur causæ aliæ; ubi de vasallo, filium aut domesticam, per quem dominus est læsus, non adducente ad dominum, ut ei satisfiat; de ebnegatione feudi vel partis vel conditionis; de non petita intra tempus legitimum renovatione investituræ, jure feudali & hodierno: de alienatione feudi sine consensu domini a vasallo sciente facta, in totum vel pro parte. An redimendo evitet pœnam amissionis, 38. *D.* 113. Tom. 5.

Ob quas causas, non in dominum sed tertium commissas, vasallus feudo cadat. Ubi de parricidio, fratre domini occiso, nimia in subditos feudales sævitia. An hodie ob facinus in extraneum commissum vasallus feudo cadat. An & qualia feuda apud nos ob crimen vasalli publicentur, publicatis bonis ejus, 38. *D.* 114. Tom. 5.

An vasallo ad amissionem feudi noceat factum tertii, veluti, filii vel domestici; tutoris in feudo pupilli: mariti in feudo uxoris. Et quid moribus, 38. *D.* 115. Tom. 5.

An feudo cadat, si annuum, feudi nomine domino debitum, ei non solvat toto triennio? 38. *D.* 116. Tom. 5.

Ad quem pertineat feudum, quod vasallus ob factum illicitum amisit. Ad quem, si subinfeudatus deliquerit. Quid, si prælatus, qui tenebat feudum nomine Ecclesiæ. Quid moribus, 38. *D.* 117. Tom. 5.

An hæres domini feudum ob feloniam vasalli avocare possit. An hæres vasalli ob feloniam defuncti feudo privari. Quid juris circa fructus & meliorationes feudi ob feloniam amissi. An feudum apertum ex delicto redeat cum oneribus, ei a vasallo impositis, 38. *D.* 118. Tom. 5.

An dominus ob feloniam possit auctoritate privata vasallum expellere, 38. *D.* 119. Tom. 5.

Ex quibus causis, in vasallum commissis, dominus directus privetur dominio directo? An &, si contumaciter deneget petitam investituræ renovationem, 38. *D.* 120. Tom. 5.

Desinit res feudalis esse, si dominus directus præscriptione acquirat utile dominium: refutatione: præscriptione directi dominii per vasallum facta; & quo modo illa fiat. Item lapso tempore, ed quod feudum concessum: contrarii conventione, ne res amplius feudalis sit. An agnatorum consensus ad id requiratur. Et quid moribus. An desinat feudalis esse, si dominus creditoribus vasalli permittat, feudum alienari ut allodium, 38. *D.* 121. Tom. 5.

Finitur feudum vasallo sine hærede moriente; nec fisco, sed domino cedit. An is privata auctoritate feudum vacans occupare possit. Finitur & domino directo sine hæredibus decedente, ac vasallo cedit, excluso Fisco, 38. *D.* 122. Tom. 5.

Jure feudali feudum extinguebatur, si vasallus Imperator crearetur, vel dominus directum suum dominium in Ecclesiam contulisset. Perit & interitu rei. Quid, si pars perierit. Quid, si dominus præ egestate feudum cameræ vel cavenæ solvere nequeat. Quid, si feudum inundatum, aut ab hostibus captum sit, 38. *D.* 123. Tom. 5.

De foro competente in negotiis feudalibus; de modis probandi, deque *jurejurando cum duodecim sacramentalibus* præstando, 38. *D.* 124. Tom. 5.

Fidejussor.

De fidejussoribus in cautione de sistendo, vide *cautio de sistendo*.

De fidejussoribus in cautione de judicato solvendo, vide *cautio judicatum solvi*.

Mandatori quidem, at non fidejussori actiones adversus debitorem principalem cedi debent, 2. 14. 14. Tom. 1.

Fideicommissarius, Fideicommissum.

An fideicommissarius censeatur renunciasse fideicommisso conditionali, si mutuo fideicommisso gravati hæreditatem dividant, & promittant, se adversus divisionem non venturos. Et quid juris, si fideicommissum purum fuerit tempore divisionis, 2. 15. 21. Tom. 1.

Alia de fideicommissario, vide ad verbum *fiduciarius*.

In dubio magis directa quam fideicommissaria substitutio præsumitur: utraque tamen conjungi potest. De origine & incremento fideicommissorum, 36. 1. 1. Tom. 5.

Quibus formulis inducantur fideicommissa universalia, 36. 1. 2. Tom. 5.

Quid sit fideicommissum *reale seu reciprocum*, quid *graduale*. Quibus formulis inducantur, 36. 1. 3. Tom. 5.

Quid fideicommissum *simplex seu absolutum*, quid *conditionale*, seu, *in casum contrafactionis* inductum, 36. 1. 4. Tom. 5.

Quid in Hollandia fideicommissum *simplex & duplex*, & quid inter hæc intersit, 36. 1. 5. Tom. 5.

Qui relinquere possint. Qui gravari. Si pater liberos institutos fideicommisso gravet, & præmorientibus liberis primi gradus, nepotes ex substitutione vulgari vel ab intestato succedant, an ad fideicommissa teneatur, 36. 1. 6. Tom. 6.

Prohibitione alienationis facta, quamdiu durat secundus consanguinitatis gradus, si ad bona non alienanda veniant fratres & fratrum filii, an etiam fratrum filii ex jure repræsentationis gravati maneant, 36. 1. 7. Tom. 5.

An & nutu fideicommissa relinqui. Quot testes requirantur. De hærede præsente ac restituere rogato sine testibus, jure civili & hodierno. An tunc fiduciario puberi, sed minori jusjurandum deferri possit. An huic jusjurandi delationi etiam nunc locus, cum legato vel mortis causa donationi solemnitas quædam deest. An epistola fideicommissaria subsistat sine testibus, 36. 1. 8. Tom. 5.

An actu inter vivos fideicommissa induci possint, & an distent ab inductis ultima voluntate, 36. 1. 9. Tom. 5.

De fideicommissis, quibus donatarii tempore donationis gravantur a donatore, & variis circa ea dubiis, 39. 5. 43. & 44. Tom. 5.

An fideicommisso gravari possint mortis causa donatarii, & mortis causa capientes, 39. 6. 11. Tom. 5.

De variis formulis, quibus tacite inducitur fideicommissum. An & tacite, si alias eveniret, ut persona minus dilecta melioris fieret conditionis, quam magis dilecta. Quid, si fideicommissum colligi possit per necessariam consequentiam verborum expressorum, 36. 1. 10. Tom. 5.

Quid, si Titium a me institutum rogem, ut is *Sempronium instituat*. Vel ut *hæreditatem Mævii, cui jam successerat, alteri restituat*. Vel ut *suæ propriæ hæreditatis certam partem restituat*. Quid si quis dicat, *peto cum morieris, fili, licet alios quoque liberos susceperis, Sempronio nepoti meo plus tribuas in honorem mei nominis*. Vel, *peto, filia, ut bona tua quandoque distribuas liberis tuis, ut quisque de te meruerit*, 36. 1. 11. Tom. 5.

An fideicommissa jure civili, ac moribus, actis publicis insinuanda, ut valeant, 36. 1. 12. Tom. 5.

De fideicommisso sub conditione, *si gravatus sine liberis moriatur*. An liberi naturales vel spurii faciant hanc deficere, in masculo vel fœmina, 36. 1. 13. Tom. 5.

An & per nuptias legitimati. Et quid, si conditio concepta *de liberis ex legitimo matrimonio natis*. An & adoptivi, aut rescripto legitimati, 36. 1. 14. Tom. 5.

An & deficiat conditio, uno tantum filio superstite. Quid, si supersint nepotes aut pronepotes. Quid, si moriente gravato sint adhuc in utero. Quid, si gravati hæredes non fuerint. Quid, si nati, sed ante gravatum mortui. Et quid, si conditio concepta, *si liberos susceperit*, 35. 1. 15. Tom. 5.

Cui incumbat probatio, si dubium, an gravatus sine liberis decesserit. Quid, si una cum liberis uno casu perierit. An ita gravatus teneatur restituere, dum vivit, si constet, liberos non posse sperari, 36. 1. 16. Tom. 5.

Tacite subauditur hæc conditio, si ascendens descendentem gravet. An &, si pater filium naturalem a se institutum. An &, si descendentes gravantis, aut pia causa per fideicommissum substituta sit, 36. 1. 17. Tom. 5.

An subaudiatur, si tempore facti testamenti gravatus liberos habuerit, sciente gravante, 36. 1. 18. Tom. 5.

An subaudiatur, si liberi parentes institutos gravent, vel frater fratrem. An &, si pater duos instituens filios, alterum, sub expresse conditione, *si sine liberis*, alterum simpliciter gravet. An si pater, filium & extraneum instituens, utrumque simpliciter gravet, 36. 1. 19. Tom. 5.

Qui plura scripserint de tacita conditione *si sine liberis*, 36. 1. 20. Tom. 5.

Quibus relinqui possint fideicommissa. An incapacibus. An ca-

capaci per intermediam personam incapacis, 36. 1. 21. Tom. 5.

Substituens fideicommisso fratris sui vel extranei *liberos* (*Kinderen*) an & nepotes complectatur, 36. 1. 22. Tom. 5.

Si pater filio substituat duas filias, & ex tertia prædefuncta nepotes, an præmortuis filiabus, nepotes ex illis nati veniant ad fideicommissum, 36. 1. 23. Tom. 5.

Si liberos aut fratres instituens, velit, *ut portio morientis sine liberis cedat reliquis cohæredibus & eorum successoribus ab intestato*, an præmortuorum cohæredum successores simul cum cohæredibus superstitibus admittant. Si ad fideicommissum vocaverit *fratres & eorum adhuc viventium liberos*, an tunc fratres cum liberis ex se genitis concurrant. *Si Titium & hæredes ejus* an tunc contineantur hæredes extranei, 36. 1. 24. Tom. 4.

Si per fideicommissum substituti sint *proximiores*, vel *sanguine proximiores*, an tunc sanguine proximi veniant, licet statutum iis non deferat legitimam successionem. Et an remotiores cum proximioribus jure repræsentationis. Si substituti sint *proximiores ab intestato*, qui, & quo ordine, & secundum cujus loci legem tunc veniant, 36. 1. 25. Tom. 5.

Substitutis per fideicommissum *proximioribus*, an admittendi, qui moriente fiduciario, seu existente conditione sunt proximi, an potius, qui testatori morienti mortis tempore fuerunt proximi, eorumve hæredes, 36. 1. 26. Tom. 5.

Fideicommissum familiæ relinqui potest. Qui tunc veniant nomine *familiæ*. An prohibitio, *ne res alienetur extra familiam*, contineat fideicommissum familiæ. An sola prohibitio alienationis inducat fideicommissum, si personæ non designentur, quarum gratia fiat. Quid, si prohibitio fiat circa res tales, in quas cadebat specialis affectio prohibentis. Quid, si ne in certas personas fiat alienatio, ex odio justo in eas. Quid, si prohibens jubeat alienata cohæredibus vel fisco cedere. An prohibitus alienare inter vivos, hoc possit ultima voluntate. Ad quas alienationes pertineat generalis prohibitio alienationis. Quales partes alienare possint, vel non, cum plures simul alienare prohibiti, 36. 1. 27. Tom. 5.

Ex quibus formulis fideicommissum *familiæ* relictum una restitutione evanescat, vel ex adverso graduale fiat, & sæpius multis familiæ personis restituatur, 36. 1. 28. Tom. 5.

Non est fideicommissum, cum in gravati arbitrio est, an velit restituere. An fiduciarius de fideicommisso *familiæ* relicto testari possit, & remotiorem ex familia præferre proximiori, vel actu inter vivos in eum alienare. Deque libera vel minus libera facultate eligendi unum ex familia, & an semel facta electio mutari possit. An fiduciarius unum eligens eum gravare possit fideicommisso. An facultas eligendi faciat, ut hæres eligentis ex reliquis restituendis Falcidiam deducat. Qui admittantur, si electio fiduciario permissa non sit, vel is non elegerit, vel in extraneum alienaverit, 36. 1. 29. Tom. 5.

Qui tanquam proximiores succedant in fideicommisso familiæ relicto. An talia fideicommissa imitentur successionem ab intestato, & admittant jus repræsentationis. Quando cesset repræsentatio. An, si fideicommittens reliquerit familiæ, *salva gradus prærogativa*, 36. 1. 30. Tom. 5.

An in fideicommisso familiæ relicto admittendi & præferendi, qui gravanti, an qui gravato seu ultimo possessori proximi sunt. An hac in parte intersit, utrum in casum mortis, an in casum alienationis extra familiam fideicommissum relictum sit, 36. 1. 31. Tom. 5.

Non necesse, ut fideicommissarii vivo fideicommittente nati aut concepti sint. Qui tempore existentis conditionis fideicommissi nec nati nec concepti sunt, non admittuntur ad fideicommissum, nisi aliud voluerit fideicommittens, ut potest, 36. 1. 32. Tom. 5.

In dubio fideicommissa perpetua non durant ultra quartum gradum, nisi aliud testator voluerit. Unde illa voluntas colligi possit. Quid hoc casu obtineat Daventriæ, in Belgio Hispanico, Ultrajecti, in Hollandia, & Frisia; & quo modo gradus computentur, 36. 1. 33. Tom. 5.

Restitutio fideicommissi fit re, verbis, epistola, nuncio, per procuratorem. Quo fiat tempore. Quando ante tempus a testatore præfinitum. An duobus institutis substitutus per fideicommissum in casum mortis utriusque instituti mortem expectare debeat. An, & ad quem effectum fiduciarius ante conditionis eventum restituere possit, 36. 1. 34. Tom. 5.

An & quo modo pupillus aut minor gravatus restituat tum ipsi tutori fideicommissario, & quid moribus, 36. 1. 35. Tom. 5.

Restituuntur res juxta repertorium. An confectio ejus fiduciario per testatorem remitti possit. An restituens deducat, quod sibi a defuncto debitum. An res suas proprias in hæreditate repertas restituat. An jus patronatus civile aut ecclesiasticum. An quæ acquisivit indebita ex errore vel imprudentia judicis, vel stultitia tertii. An jure sepulchrorum. An feuda, de quibus impetrata testandi venia. An fiduciario per defunctum inter vivos donato. An per fideicommissarium ex hæreditate surrepta. An quæ conditionis implendæ causa hæres a cohærede, vel fideicommissario, vel legatario accepit. An populares actiones, 36. 1. 36. Tom. 5.

An & quando prælegata cum hæreditate restituenda sint per fiduciarium. An & dos prælegata. An & id, quod liberi gravati lucrifecerunt ex eo, quod soror eorum, accepta dote renunciavit hæreditati paternæ, 36. 1. 37. Tom. 5.

An ex semisse institutus, & restituere rogatus, restituat & partem alteram, quæ ex jure accrescendi ob defectum cohæredis ei cessit, si sponte vel coactus adiverit. An & hæreditas impuberis, si fiduciarius etiam ex pupillari substitutione hæres fuerit filio impuberi gravantis, 36. 1. 38. Tom. 5.

An restituenda, quæ defuncto naturaliter tantum debita, fiduciario soluta sunt. An legata inutilia penes hæredem remanentia. An per fiduciarium diminuta, corrupta, & qualem in iis culpam præstet. Codicillis rogatus restituere, an & restituat, quæ ei testamento relicta, 36. 1. 39. Tom. 5.

Legatarii, aut fideicommissarii rerum certæ regionis, velut Italicarum, non cogunt hæredem, ut adeat & restituat, at omnino fideicommissarii universales. Si Titius a Mævio institutus, & ante aditionem mortuus, hæredem rogaverit, ut is Mævianam hæreditatem Lucio restituat, an, & quatenus Lucius fiduciarium cogere possit ad adeundum, 36. 1. 40. Tom. 5.

An & cogi possit adire, postquam jam repudiavit. An cogens postea recusare possit hæreditatem. Quid, si moriatur ante factam sibi restitutionem. Quid, si fiduciarius moriatur antequam cogeretur; vel post decretum coactionis contumaciter adire nolit. An fiduciarius pressus ad adeundum petere possit tempus deliberandi. Coacta aditio etiam firmat omnia testamento disposita, 36. 1. 41. Tom. 5.

An fiduciarius cogi, si fideicommissum valere neget, & de eo disputetur. An si urgeat secundus aut ulterior fideicommissarius, primo non urgente. An ex asse institutus, & assem restituere rogatus, si tantum partis capax sit. An ex asse institutus, & tantum partem uni vel pluribus totum, vel uni pure alteri sub conditione restituere rogatus, ab uno ad adeundum cogi possit etiam pendente conditione. An coactio locum habeat, si fiduciario alius vulgariter substitutus sit, cum substitutus eodem vel alio fideicommisso gravatus esset, 36. 1. 42. Tom. 5.

An cogi possit acceptare & restituere, cui pars hæreditatis cum onere fideicommissi relicta est. An, qui tantum ex parte institutus, partis illius restitutione gravatus est. An uterque cogi, si duo instituti partium suarum fideicommisso onerati sint, 36. 1. 43. Tom. 5.

An pure institutus, & sub conditione, vel ex die gravatus, pendente conditione vel die cogi possit, 36. 1. 44. Tom. 5.

An institutus sub conditione, & restituere rogatus, ea pendente cogi possit adire, aut implere conditionem potestativam in dando vel faciendo consistentem. Et quid juris, si ipse implere nolit, & ea per fideicommissarium cogentem impleri non possit, 36. 1. 45. Tom. 5.

Moribus hodiernis an opus sit solemni coactione. An adhuc vigeant effectus coactionis. An & quando fideicommissarius pro fideicommisso persequendo habeat remedium possessorium, 36. 1. 46. Tom. 5.

Deductione quartæ Trebellianicæ, vide *Trebellianica*.

Restituta hæreditate, pro qua parte fiduciarius & fideicommissarius ferant onus æris alieni & legatorum. An fiduciarius onus legatorum respectu quartæ, quam retinet. An ferat hæc onera, si præceptis certis rebus hæreditatem restituere rogatus sit. Quid, si tunc fideicommissarius repudiet fideicommissum. Quid, si admittat, sed solvendo non sit, an fiduciarius in subsidium, 36. 1. 60. Tom. 5.

Fiduciarius restituens quales recuperet impensas, ubi de sumptibus repertorii, centesima vel ducentesima patrimonii, vicesima hæreditatis. Quales recuperet meliorationes, & quo modo illæ æstimandæ. An & actionem habeat ad impensas repetendas. An pati debeat compensationem fructuum cum meliorationibus & impensis, 36. 1. 61. Tom. 5.

Bona fideicommissaria alienari nequeunt, nisi ad æs alienum aut legata solvenda, vel nisi consentiant omnes, qui sperant fideicommissum. An ad dotem constituendam. An, ut quis se aut suos liberet a pœna delicti. Quid operetur alienatio, si pendente fideicommissi conditione facta sit, 36. 1. 62. Tom. 5.

Pendente fideicommissi conditione an debitores hæreditarii recte solvant fiduciario. An hic alienare possit res, quæ servari nequeunt. An res fideicommissarias permutare cum utilioribus; servitutem iis acquirere, eas ab onere census, tributi, canonis liberare; ex feudalibus allodiales facere. An ædes vetustas ex decreto vendere, vel res pignori obligare pro mutuo ad centesimam solvendam. An alienare, si gra-

gravans id nominatim permiserit. An rata maneat alienatio, si emptor & venditor ignoraverit onus fideicommissi ee facto testatoris. An transactio, compromissum, sententia inter fiduciarium & tertium noceat fideicommissario, 36. 1. 65. Tom. 5.
Si fiduciarius res quasdam extra casus superiores alienaverit, alienata imputantur in partem, quam fiduciarius deducere potest. Si ultra alienatum, sola vindicantur posterius alienata. An usucapio impediat vindicationem. An & revocentur fructus medii temporis. An fideicommissarius alienata revocet, si fiduciario hæres sit. An pars illa, quam unus revocare nequit, quia alienanti hæres est, per cæteros ejusdem juris fideicommissarios revocari possit, 36. 1. 64. Tom. 5.
Evanescit fideicommissum repudiatione, remissione per omnes illos facta, qui sperant fideicommissum, vel si remotior sperans proximiori remittenti hæres sit. An remissio noceat etiam necdum natis aut conceptis tempore remissionis, si remittenti hæredes sint. An fideicommissum remisisse censeantur qui bona fideicommissaria inter se diviserunt, addito, se contra divisionem non venturos, 36. 1. 65. Tom. 5.
Evanescit & deficiente conditione; deficientibus illis, quibus relictum; pœnitentia gravantis. Cui incumbat probatio mutatæ voluntatis. An pœnitentia probetur ex eo, quod pater filium naturalem, quem instituerat cum onere fideicommissi, curet rescripto legitimari, cum inserta libera testandi facultate. An per concessam in ela testamentifacte alienandi facultatem. Quid juris, si institutum impuberem gravet, eique insuper interdicat, ne in minorennitate alienet, sed demum, ubi major erit, 36. 1. 66. Tom. 5.
Evanescit, si fideicommissarius moriatur pendente fideicommissi conditione. Quando ea voluntate testatoris vel ea conjectura pietatis spes fideicommissi pendente conditione transmittatur ad hæredes. Si testator Titium instituens, ei sine liberis morienti Mævium substituat, & Titius vivo testatore moriatur, liberi ejus substituto potiores sunt. An in fideicommissis pacto introductis spes ad hæredes transeat, si pendente conditione fideicommissarius decedat, 36. 1. 67. Tom. 5.
An fideicommissarius jus transmittat, si post eventum conditionis, sed ante agnitum fideicommissum moriatur, vel ante editam a fiduciario hæreditatem. An fideicommissum necdum agnitum altari cedi possit per fideicommissarium, 36. 1. 68. Tom. 5.
An evanescat, si fiduciarius ante fideicommittentem moriatur. An & tunc, cum testator conjunxit substitutionem directam cum fideicommissaria. An &, si clausulam codicillarem adjecerit. An & particulare fideicommissum corruat, si legatarius ao gravatus moriatur ante testatorem, aut legatum repudiet, 36. 1. 69. Tom. 5.
Publica auctoritate ex justa causa laxari potest vinculum fideicommissi. An alius præter Principem hoc possit facere, 36. 1. 70. Tom. 5.
An in fideicommissis locus sit juri accrescendi, 35. 1. 71. Tom. 5.
De fideicommissorum interpretatione, 36. 1. 72. Tom. 5.
De cautione fideicommissorum nomine præstanda, vide *cautio*.

Fidejussor.

Cur fidejussor dicatur aliquando *adpromissor*, *præs*, *vas*, *auctor secundus*. Differt a mandatore, expromissore, constituente. Hodie etiam pacto vel scripto, sine verbis, fidejuberi potest, 46. 1. 1. Tom. 6.
Fidejussorem dare obligatus ex conventione, vel jussu prætoris, an liberetur dando pignus, aut jurato cavendo. An de novo cavendum, si dederit eum, qui per leges non poterat fidejubere; vel facultatibus minus idoneum. An is, qui non promisit dare fidejussorem, ad eum pro delicto dandum cogi possit. An non is, qui promisit indemnitatem. An fidejussore facultatibus labente, alius dare debeat. An obligatus ad dandum fidejussorem sponte offerre debeat, 46. 1. 2. Tom. 6.
An teneatur, qui fidejubet, alium soluturum. Et quid moribus. An, qui fidejubet apud alium quam creditorem. An in fidejussione possit alius adjici, tanquam adjectus solutioni. An teneatur creditori, qui promisit debitori, se pro eo soluturum. An non saltem ipsi debitori. An fidejubere possit in aliud, quam quod reus debet. Quando fidejussor in duriorem, quando in leviorem causam acceptus videatur, exemplis multis declaretur, de quibus dubitari posset, 46. 1. 3. Tom. 6.
Fidejussor in majorem acceptus quantitatem quam reus debet, tenetur ad summam concurrentem, 46. 1. 4. Tom. 6.
An fidejubere possit filiusfam. mulier, mutus, surdus, miles, clericus, advocatus, procurator, notarius, judex, nobilis, aut potens, minor 25. annis; uxor posita in potestate mariti, prodigus, ebrius, &c. An plures pro se invicem alterna fidejussione, 46. 1. 5. Tom. 6.
Cui obligationi accedat fidejussor. An ei, cui jam præscriptum. Quo sensu antecedere & sequi possit. An & pro debitore apud fidejussorem, 46. 1. 6. Tom. 6.
An & quo usque pro delicto jam commisso vel committendo, si de pœna pecuniaria agatur. Quid, si de pœna corporali, 46. 1. 7. Tom. 6.
An & pro debitis incertis aut illiquidis. An pro omni eo, quod Titius debet aut debiturus est. Et ad quid tunc fidejussor teneatur. An fidejubens pro eo, quod constiterit, Mævium Titio debere obligatus maneat, si id demum constiterit post mortem Titii, 46. 1. 8. Tom. 6.
An & quando pro naturali obligatione. An pro muliere intercedente, filiofam. mutuum accipiente, prodigo sine curatore permittente, pupillo sine tutoris auctoritate obligato. Et de sensu *l.* 25. *ff.* *h.* *t.* 46. 1. 9. Tom. 6.
De fidejussione ex jure hodierno pro naturali obligatione; ubi de fidejubente pro firmitate mutationis pactorum dotalium per pacta alia stante matrimonio inita, vel pro pactis dotalibus conjugi secundæ plus, quam portionem filialem tribuentibus; aut pro uxore, quæ sine viri auctoritate contraxit, in Hollandia, & Ultrajecti, 46. 1. 10. Tom. 6.
An fidejussor accedere possit obligationi impossibili, vel actibus contra leges gestis. An pro populari actione. An pro dotis datione, vel restitutione, stante vel soluto matrimonio. Et quid moribus, 46. 1. 11. Tom. 6.
An fidejussor teneatur ad mulctam aut pœnam, in quam principalis incidit. An ad æstimationem affectionis ex jurejurando in litem. An se obligans pro ædium pensione, teneatur de deterioratione. Et quid, si fidejusserit pro tota conductione. Fidejubens de impensis litis pro arrestante res debitoris, an & teneatur de rerum depretiatione. An, si pro hærede ex semisse fidejusserit legatorum nomine, reliqua hæreditas accrescat cum onere, ad solida legata teneatur. An fidejubens, rem pupill. salvam fore teneatur de gestis post finitam tutelam, 46. 1. 12. Tom. 6.
An fidejussor vel ex mora propria, vel ex mora debitoris principalis, ad usuras teneatur, distinctionibus explicatur. Quando videatur in omnem causam fidejubere pro eo, quod alterum *dare oportet oportebitve*; vel *rem pupilli salvam fore*; vel *legatorum nomine*. Quid, si simpliciter fidejusserit pro obligatione, quæ promissionem aut obligationem usurarum ex sua natura continet. Quid Amstelodami circa obligationem usurarum in fidejussore, 46. 1. 13. Tom. 6.
De beneficio ordinis seu excussionis, vide *ordinis beneficium*.
De beneficio divisionis, vide *divisionis beneficium*.
Fidejussor contra debitorem habet actionem mandati vel negotiorum gestorum. Ad quid utraque tendat. An & ad impensas litis, quas fidejussor, et talis sustinuit. An fidejussor id quod interest etiam repetere possit a reliquis confidejussoribus, contra quos actione cessa agit, 46. 1. 31. Tom. 6.
An fidejussor præmium pro fidejussione accipere vel pacisci possit a debitore. An id agere, ut debito inter certum tempus non soluto, lege commissoria res aliqua cedat fidejussori pro debito, vel ut ei justo pretio empta sit, 46. 1. 32. Tom. 6.
Quando fidejussori denegatur repetitio soluti. Ubi de fidejubente pro invito, jure civili ac moribus; vel sine mandato pro naturaliter tantum obligato; vel pro meretrice ex mandato adolescentis luxuriosi. Quid, si injuria judicis condemnatus non appellaverit; aut omiserit exceptionem reo competentem; aut omne debiti periculum in se receperit; aut ita solverit, ut solutio debitori non profuerit. Quid, si fidejussor solverit, dein reus non certioratus iterum solverit, aut vice versa. Quid, si solverit ante diem principali debito appositum, 46. 1. 33. Tom. 6.
Quando fidejussor agere possit contra debitorem, antequam ipse solverit. Ubi de eo, si ita convenerit; si fidejussor jam condemnatus sit; si debitor incipiat labi facultatibus, si fidejussor debitum creditori oblatum deposuerit obsignatum; si proprium suum debitorem idoneum creditori delegaverit; si debitum fidejussori, ipsius contemplatione remissum sit. An sufficiat confessio creditoris, sibi solutum esse a fidejussore, ut fidejussor repetere possit, 46. 1. 34. Tom. 6.
An fidejussor vi sententiæ contra se latæ iterum debitorem excutere possit sine nova lite. Et quid, si sit fidejussor de judicato solvendo. An uti possit parata executione, vi clausulæ voluntariæ condemnationis, quæ debiti principalis instrumento inserta est, 46. 1. 35. Tom. 6.
Evanescit fidejussio confusione, nisi separatio petatur. An & quo modo lapsu temporis adjecti, An novatione vel præscriptione principalis debiti. An interpellatio debitori facta ad interrumpendam præscriptionem noceat fidejussori non interpellato, 46. 1. 36. Tom. 6.
Quando vires perdat fidejussio de *judicato solvendo*. An de sul-

solvenda pœna ex delicto jam agnito fidejussio facta evanescat morte rei. An non si quis fidejusserit pro eo, qui actione injuriarum conveniendus est, & ante litem contestatam moritur, 46. 1. 57. Tom. 6.

An fidejubens in id, quod a debitore, vel ex pignore, haberi nequit, liberetur, si creditor in excutiendo moram fecerit, & interim debitor aut pignus inidoneum fiat. An id etiam obtineat in illis, qui non renunciarunt beneficio ordinis. An &, si renunciaverint, ac denunciaverint creditori, ut debitorem aut pignus excutiat, & ille cesset. An non saltem sponte solvere possit, & mox a reo repetere, 46. 1. 58. Tom. 6.

Non liberatur fidejussor, si bona debitoris publicata sint, vel is bonis cesserit, vel rescriptum moratorium impetraverit. An oblatione aliorum æque ac magis idoneorum. An ex eo, quod postea alii pro eodem debito intercesserint. An ex eo, quod fidejussor diu steterit in fidejussione. An & quando talis fidejussor ob id petere possit, se liberari, & a quo id petat, 46. 1. 59. Tom. 6.

Fiduciaria solutio.

Vide *sententia.*

Fiduciarius.

Fiduciarius an de rebus sub conditione restituendis transigere possit, in præjudicium fideicommissarii, 2. 15. 8. Tom. 1.

Quid juris, si fiduciarius transigat cum fideicommissario de dubio fideicommisso, & an hæredes transigentium transactioni isti stare debeant, 2. 15. 9. Tom. 1.

Fiduciarius, qui pendente fideicommissi conditione rem alienavit, non potest eam vindicare existente conditione, 6. 1. 18. Tom. 2.

An fiduciarius pendente fideicommissi conditione dividere possit cum cæteris cohæredibus hæreditatem, ita ut fideicommissarius isti divisioni stare debeat, 10. 2. 58. Tom. 2.

Filii legitimi.

Vide *liberi.*

Filiusfamilias.

Quo modo filiifamilias ex suis contractibus obligentur, & dissoluta patria potestate obligati maneant, & quando in solidum conveniri possint, sui juris facti, quando gaudeant beneficio competentiæ, 14. 5. 1. Tom. 3.

An in casibus, quibus filiusfamilias gaudet beneficio competentiæ, deducat prius, quod debet his, quibuscum sui juris factus contraxit, 14. 5. 3. Tom. 3.

Cessat variis in casibus competentiæ beneficium. An &, si conveniatur post multos annos, ex quo sui juris factus est. Et quid moribus obtineat, 14. 5. 4. Tom. 3.

De filiisfamilias mutuum accipientibus, vide *Macedonianum senatusconsultum.*

Fines.

Quæ sit actio finium regundorum, qui olim judices fuerint in finium quæstionibus, 10. 1. 1. Tom. 2.

Cur hæc actio magis stricti juris, quam bonæ fidei aut arbitraria sit, 10. 1. 2. Tom. 2.

Cur hæc & familiæ erciscundæ vel communi dividundo actiones *duplices* dicantur, 10. 1. 3. Tom. 2.

Quo sensu dicantur actiones mixtæ, & an dentur actiones mixtæ partim in rem & partim in personam, 10. 1. 4. Tom. 2.

Non habet locum hæc actio, si via publica vel flumen publicum sit intermedium inter duos agros, nec in ædibus an in hortis, 10. 1. 5. Tom. 2.

Datur hæc actio dominis, & aliis, qui habent jus in re. Non tamen malæ fidei possessoribus. An sociis contra socios, si communis & proprii prædii fines turbati sint, 10. 1. 6. Tom. 2.

Tendit ad id, ut fines quomodocumque turbati restituantur, remotis vel repositis iis, ex quibus positis vel amotis confusio nata erat, 10. 1. 7. Tom. 2.

Si fines pristini restitui commode nequeant, per adjudicationes novi fines constituuntur: & singulare, quod in hoc judicio adjudicatio pluribus pro indiviso fieri possit. Quæ sit ratio, 10. 1. 7. Tom. 2.

Petuntur etiam præstationes personales. In quibus illæ consistant, 10. 1. 8. Tom. 2.

Quibus modis fines probentur; & de oculari inspectione: quo modo ea facienda sit, deque præsumptionibus circa fines, 10. 1. 9. Tom. 2.

Quales fines considerandi sint in restitutione, quid juris, si pendente lite alteruter voluerit quid ex finibus usurpare, 10. 1. 10. Tom. 2.

Quamdiu duret actio finium regundorum. An & quanto tempore olim ac jure novo finium præscriptio fieri potuerit, 10. 1. 11. Tom. 2.

De spatio intermedio inter confinia; & alterius fossam, puteum, implantata, inædificata &c. item inter duas ædes privatorum, vel ædes privatorum & horrea publica, &c. 10. 1. 12. Tom. 2.

Fiscus.

An fiscus exemplo minorum restitui possit, 4. 4. 55. Tom. 1.

De legali hypotheca fisco competente, vide *legalis hypotheca,* & *privilegia creditorum.*

De differentia fisci & ærarii & privati patrimonii Principis, 49. 14. 1. Tom. 6.

Quo sensu verum sit, facile contra fiscum respondari. Recensentur plurima fisci jura, inter quæ & *regalia* minora, 49. 14. 2. & 3. Tom. 6.

Flumen.

De fluminibus, & ne quid in flumine publico fiat quo pejus navigetur, 43. 12. 1. Tom. 6.

Ne quid in flumine publico fiat, quo aliter aqua fluat, atque uti priore æstate fluxit, 43. 13. 1. Tom. 6.

Ut in flumine publico navigare liceat, 43. 14. 1. Tom. 6.

De ripa munienda, 43. 15. 1. Tom. 6.

Flumina.

Quid unicuique facere liceat in publicis fluminibus, 1. 8. 8. Tom. 1.

An quilibet in flumine publico ædificare possit jure civili ac moribus, 1. 8. 9. Tom. 1.

Fœmina.

Fœminæ Vellejani exceptione tutæ sunt. Vide *Vellejanum senatusconsultum.*

Fœnus.

Vide *usura.*

Fœnus nauticum.

Vide *nauticum fœnus.*

Fœtura animalium.

Cui cadat? 41. 1. 15. Tom. 5.

Fornacarius.

De fornacario ad fornacem obdormientem, & orto inde incendio, similibusque, 9. 2. 10. Tom. 2.

Forum competens.

Exceptio fori declinatoris perit post primum rei defectum, si forum ex privilegio tantum, at non si ex jure communi incompetens sit, 2. 11. 13. Tom. 1.

Quis censeatur judex competens, ad id, ut ei examen causæ restitutionis, & confirmatio committatur? sive adversus summo jure valide, sive adversus ipso jure nulla, restitutio petatur, 4. 1. 7. Tom. 1.

Quis sit judex competens ad petendam reductionem a sententia arbitri, 4. 8. 27. Tom. 1.

An interveniens in lite, ac se alterutri litigantium jungens, possit judicem declinare ut incompetentem, 5. 1. 38. Tom. 2.

Quis sit judex competens de causis suspicionis tum singulorum judicum, tum totius collegii, 5. 1. 47. Tom. 2.

Initio litis inspiciendum sit forum competens sit, 5. 1. 64. Tom. 2.

Exceptio fori declinatoria ante omnia alia debet allegari, & perit, si aliud a reo actum sit, aut in judicio allegatum, 5. 1. 64. Tom. 2.

An judex ipse, qui declinatur, de eo judicet, & an citantem ad forum non competens in expensas damnare possit, 5. 1. 65. Tom. 2.

An reus teneatur venire, ut opponat declinatoriam fori exceptionem, 5. 1. 65. Tom. 2.

Quot modis quis forum competens sortiatur, 5. 1. 66. Tom. 2.

Si reus pluribus in locis forum competens sortiatur, actoris electio est, 5. 1. 66. Tom. 2.

De foro competente ratione delicti, vide *delictum.*

De foro competente ratione contractus, vide *contractus.*

Ubi actione tutelæ, vel ad legata, vel ad divisionem hæreditatis, vel universali judicio concursus inter creditores agendum sit, remissive, 5. 1. 74. Tom. 2.

Et in specie, quo in loco judicium familiæ erciscundæ intentandum sit, 10. 2. 42. Tom. 2.

De

De foro competente ratione prorogationis, vide *prorogatio jurisdictionis*.
De foro competente ratione situs rei, vide *situs*.
De foro competente ex reconventione, vide *reconventio*.
De foro competente ex continentia causæ, vide *continentia causæ*.
De foro competente ex causa originis, vide *origo*.
De foro competente ratione domicilii, vide *domicilium*.
De foro competente militum, vide *miles*.
De foro competente studiosorum, & nominatim Professorum ac studiosorum universitatis, quæ Leydæ est. An prorogatione sibi noceant, & similia, 5. 1. 109. Tom. 2.
De foro competente clericorum ex jure Romano & Canonico. An clericus judici laico possit prorogare jurisdictionem, 5. 1. 110. Tom. 2.
Ubi Senatores vel clarissimi conveniendi sint. Ubi Nobiles Hollandiæ; Curiarum Hollandicarum Senatores, delegati ad collegia publica Hagæ Comitis congregari solita, Advocati Curiæ Hollandicæ, aliique *curiæ suppositi* vulgo dicti, in causis civilibus & criminalibus. Et ubi Advocati Ultrajectini in criminalibus, 5. 1. 111. Tom. 2.
Quid si Nobiles, Senatores, Advocati, &c. in alia provincia extra Hollandiam inveniantur, aut bona habeant. Quid si non Hagæ, sed alibi intra Hollandiam habitent, aut praxin exerceant, 5. 1. 112. Tom. 2.
Ubi conveniendi assessores camerarum maritimarum, aut aliis collegiis fœderati Belgii generalibus adscripti, si deliquerint in officio, & de foro illustrium Germaniæ virorum, 5. 1. 113. Tom. 2.
De potestate judicandi concessa collegiis opificum, consulibus aut præfectis nationis Anglicæ, Belgicæ &c. per varias regiones, 5. 1. 114. Tom. 2.
Ubi pupilli, viduæ, & aliæ miserabiles personæ, vide *miserabilis persona*.
Quibus specialiter competat jurisdictio de violatis saltibus publicis, & peccatis contra leges venationis, 5. 1. 127. Tom. 2.
De quibus causis judicent assessores rei maritimæ (*collegien ter admiraliteyt*) Judicant inter alia de fraudatis vectigalibus; de prohibitis importari vel exportari, si contra factum sit, licet milites res deprehensas intra sua præsidia detulissent. Quid juris, si rei mercium ad hostes illicite exportatarum, non in ipso flagitio deprehensi, postea accusandi sint. Quid, si de mercibus aut navibus ab hoste redemptis lis sit. Quid si delicta sint perpetrata in navi Indiam Orientalem petente? Et de judicio seu consilio navali, 5. 1. 129. Tom. 2.
Ubi agatur de delictis publicanorum, de fraudationibus impositionum, & aliis ad impositiones publicas spectantibus, 5. 1. 129. Tom. 2.
Quales lites pertineant ad præfectos cameræ pupillaris, judices tamen esse nequeunt, si pupillis mortuis bona cœperint ad alios pertinere, 5. 1. 130. Tom. 2.
Quis in feudalibus jure feudali sit judex competens, si inter vasallos duos de feudo lis sit, vel inter dominum & vasallum, vel inter dominum & extraneum, vel inter vasallum & extraneum, 5. 1. 131. Tom. 2.
Quis secundum hodiernos Hollandiæ mores, & de amplitudine jurisdictionis curiæ feudalis Hollandicæ. Quis competens, si lis de debitis, reditibus, servitutibus partim feudali, partim allodiali prædio impositis, & quo modo novissime iterum curia provincialis & suprema de feudis judicet. Quis judex competens de feudis Flandricis, quatenus subsunt Ordinibus Generalibus, 5. 1. 132. & 133. Tom. 2.
An de retractu prædii feudalis judicet curia feudalis, 18. 3. 21. Tom. 3.
Ubi jure Romano & moribus de possessione vel quasi possessione rerum & jurium, feudorum & beneficiorum. Et an propter causam possessionis lis quoque de proprietate ad superius tribunal trahi possit in Hollandia & Ultrajecti, 5. 1. 134. Tom. 2.
Judicem de possessione competentem facit situs rei non domicilium turbantis, 5. 1. 135. Tom. 2.
De quibus causis lis statim omisso inferiore judice apud supremam curiam in Hollandia moveri possit, De quibus apud provincialem Hollandiæ curiam, de quibus apud curiam Ultrajectinam, 5. 1. 136. Tom. 2.
Curiæ Hollandiæ provinciali & supremæ non licet cognoscere de causis politicis, nec de delictis quæstorum ærarii, quæ feliitur. Recte tamen de litibus inter civitates, vel inter Hollandiam Zelandiamque, uti & de eo, si quis non jure se dignitate motum queratur, 5. 1. 137. Tom. 2.
Quis sit judex competens, si societates Indicæ læsisse dicantur, aut ab aliis læsæ, 5. 1. 138. Tom. 2.
De foro competente per litis evocationem, vide *evocatio*.
An camera pupillaris cognoscat de causis excusationum, si exclusa sit, 27. 1. 12. Tom. 4.
Ubi tutores conveniri possint ad rationes reddendas, & an apud Hollandiæ curiam ex privilegio pupillis, & aliis miserabilibus personis dato, 27. 5. 17. Tom. 4.
Ubi legata peti debeant, 30. 1. 58. Tom. 5.
Ubi cautio damni infecti, 39. 2. 8. Tom. 5.
Ubi rescissio sententiæ ex falsis documentis latæ, vel ob instrumenta noviter reperta, 42. 1. 28. Tom. 6.
Ubi cognoscendum de oppositionis causis, si alius Judex tulerit sententiam, alius requisitus eam exsequatur, 42. 5. 4. Tom. 6.

Frater.

An frater a fratre possit in jus vocari sine venia, 2. 4. 12. Tom. 1.
An frater a fratre arrestari possit, 2. 4. 48. Tom. 5.

Fraudatio.

De fraudatione vectigalium, vide *vectigal*.

Fructus.

Fructus pendentes pro immobilibus habentur, 1. 8. 15. Tom. 1.
Quales fructus restituendi sint per eum, qui convenitur hæreditatis petitione, vide *petitio hæreditatis*.
An & quales fructus in rei vindicatione cum impensis compensandi sint, & alia, vide *vindicatio*.
Ex quo tempore fructus debeantur ob moram in bonæ fidei & stricti juris judiciis, 22. 1. 21. Tom. 5.
Quotuplices sint fructus. Quales fructus malæ fidei possessor restituere teneatur. An & percipiendos, & quales illi sint. An & quando usuras ex pecunia fœnori data redactas, 41. 1. 28. Tom. 5.
Quales fructus lucretur aut restituat bonæ fidei possessor. Et quid, si ex consumptis locupletior factus sit. Qui censeantur consumpti, & an perceptione, an vero consumptione acquirat irrevocabile dominium, 41. 1. 29. Tom. 5.
An & lucretur naturales, si in bona fide sit, & titulo justo careat, vel eum habeat, sed rem usucapere nequeat, 41. 1. 36. Tom. 5.
Quid, si pro tempore in bona, pro tempore in mala fide fuerit; vel defunctus in mala, hæres in bona fide. Quid, si bonæ fidei possessor victor fuerit in possessorio, victus in petitorio. Quid, si post litem ei motam perempta sit litis instantia per culpam actoris, & post ad novam litis contestationem sequatur condemnatio, 41. 1. 51. Tom. 5.
Quales impensæ, in rem possessam aut ejus occasione factæ, cum fructibus compensanda sint, 41. 1. 52. Tom. 5.
Qua in parte mores recedant a jure Romano circa fructuum restitutionem, 41. 1. 53. Tom. 5.

Fuga.

An & quo usque fuga, fama & similia probent, vide *probatio*.

Fugitivus.

De fugitivis, & fugitivariis, & pœnis fugitivorum se occultantium fugitivos, 11. 4. 1. & *seqq*. Tom. 2.
Jura de fugitivis transferri possunt ad damnatos ad triremes aut ergastula, si aufugerint; ad uxores, liberos, homines proprios fugientes aut latitantes; ad subditos qui contra Principis sui interdicta alteri Principi operam navant; ad milites, qui a præfecto nondum missi, nomen alteri cohorti dant, 11. 4. 5. Tom. 2.
Parentes, cognati, vici, pagi, unde oriundi milites, non possunt inquietari ob id, quod milites fugiunt aut latitant, 11. 4. 6. Tom. 2.

Fundus dotalis.

Quid lex Julia, quid Justinianus circa prædii dotalis obligationem aut alienationem definierit. Quid veniat appellatione *prædii dotalis*. An & mariti successoribus alienatio interdicta sit, 23. 5. 1. Tom. 4.
Quæ hic veniant nomine prohibitæ alienationis. An & alienatio necessaria, aut per universitatem facta, 23. 5. 2. Tom. 4.
An ad fundum æstimatum pertineat prohibitio alienationis. Quid juris, si mulier in dotem dederit quod sibi maritus debet, is vero debeat *fundum aut decem*, vel *fundum Cornelianum aut Titianum*, 23. 5. 3. Tom. 4.
An ad res mobiles dotales pretiosas prohibitio extendenda sit. An ad paraphernalia, 23. 5. 4. Tom. 4.
Si alienatio facta sit, ipso jure nulla est. Quid juris, si usucapio fundi dotalis, ante nuptias cœpta, stante matrimonio impleta sit, 23. 5. 5. Tom. 4.
Quibus in casibus subsistat aut convalescat alienatio fundi dotalis, 23. 5. 6. Tom. 4.
Quid moribus Hollandiæ & quarundam vicinarum gentium ma-

maritus possit circa res dotales, & in genere circa propria sua & uxoris suæ bona, 23. 5. 7. Tom. 4.
An & quando præscriptio nunc obsit mulieri feudum suum non jure a marito alienatum vindicanti.

Fungibiles res.

Res fungibiles quandoque opponuntur corporibus, 1. 8. 12. Tom. 1.

Funus.

De impedientibus funus defuncti prætextu debiti, & de signantibus res moribundi debitoris, aut ante nonum a morte diem hæredes ejus interpellantibus. Quid hodie in hisce, si sit metus expilationis. An cadaver detineri possit pro debito civili, donec cautum fuerit, aut solutum, 47. 12. 4. Tom. 6.

Funus & funeraria actio.

Qui debeant defuncti funus curare. Quid juris, si non curent illi, quibus id testator mandavit, 11. 7. 7. Tom. 2.
Quid sit actio funeraria pro repetendis impensis in funus, est ex quasi contractu. Cui & contra quos detur? an & contra maritum pro rata lucri, quod ex dote capit, 11. 7. 8. Tom. 2.
Impensa funeris omne creditum sive hypothecarium sive chirographarium antecedit, cum bona solvendo non sunt, 11. 7. 9. Tom. 2.
An & is prælationem habeat, qui res funeri necessarias vel mutuam pecuniam credidit ei, qui funus fecit, 11. 7. 10. Tom. 2.
An & is, cui actio funeraria cessa est, 11. 7. 11. Tom. 2.
An actio funeraria privilegiata etiam ei detur, qui prohibente hærede funus fecit; vel, cum putaret, se hæredem esse, 11. 7. 12. Tom. 2.
An repeti possit sumptus in funus, si pietatis intuitu, vel nimis parce, vel immoderate, factus sit, & quid, si id factum sit ex præscripto testatoris, 11. 7. 13. Tom. 2.
Recensentur plurima, quæ ad impensas in funus pertinent. An & vestes, quibus conjux conjugem luget, 11. 7. 14. Tom. 2.
An & impensa in morbum postremum. An & in morbos anteriores, ex quibus defunctus convaluerat. Impensæ morbi postremi communiter feruntur per hæredes defuncti conjugis & viduum viduamve superstitem, velut onus matrimonii, 11. 7. 15. Tom. 6.

Fures.

An & quando fures nocturnos aut diurnos occidere liceat, 9. 2. 22. Tom. 2.

Furiosus.

An furiosi restitui possint exemplo minorum, 4. 4. 55. Tom. 1.
De curatore furiosis dando, & gestis per furiosos tempore furoris vel dilucidi intervalli, hæreditatis aditione per curatorem pro iis facta &c. vide *cura*, *curator*.

Furtum.

Quid sit furtum? An *jure naturali* vetitum, 47. 2. 1. Tom. 6.
Qui furtum committant? An pupilli. An pater filiof. vel contra; & an tunc actio furti sit. An creditor debitori surripiens rem sibi debitam, 47. 2. 2. Tom. 6.
In quibus rebus furtum fiat. An in rebus nullius; homine libero; rebus hæreditatis jacentis, 47. 2. 3. Tom. 6.
An quis in re propria. An in communi, 47. 2. 4. Tom. 6.
De furto usus & possessionis, 47. 2. 5. Tom. 6.
De contrectatione in furto requisita. Recensentur multa ad contrectationem reducenda; quædam etiam, de quibus in dubium, an videantur habere contrectationem, 47. 2. 6. Tom. 6.
Qua ratione furtum *ope, consilio* fiat. An sola ope, vel solo consilio, licet opem ferens, aut consilium dans, nihil ipse contrectaverit. Quid, si quis juverit eos, qui ipsi nequeunt actione furti conveniri, 47. 2. 7. Tom. 6.
Non fit furtum sine animo lucrandi. An ergo in casu necessitatis. An, qui furatur ut alteri donet. An, qui concedit alieri usum rei, sibi commodatæ, 47. 2. 8. Tom. 6.
De variis furtorum divisionibus, præcipue de furto manifesto & nec manifesto; & quando utrumque committatur. Quid, si deprehendatur, qui non fecit furtum, sed rem surreptam perferendam recepit, 47. 2. 9. Tom. 6.
De pœna furti manifesti antiqua & posteriore. De furto *concepto*, *oblato* &c. deque investigatione furti per *lancem & licium*. Quid duplicandum aut quadruplicandum sit. Ubi de incremento, accessionibus rerum furtivarum, veste servi, sacco pecuniæ surreptæ, & an ex continuata contrectatione multiplex nascatur actio furti, 47. 2. 10. Tom. 6.
Si fur partem rei, vel res quasdam ex pluribus, uno armario, apotheca, nave contentis surripiat, an & reliquarum inclusarum fur sit, 47. 2. 11. Tom. 6.
Si furti agat, qui dominus non est, an duplum aut quadruplum rei, an vero ejus quod interest consequatur, 47. 2. 12. Tom. 6.
Quibus detur actio furti, & quo modo debeat interesse ejus, qui furti agere vult, per plurimas species explicatur, 47. 2. 13. Tom. 6.
Contra quos detur. An si plures simul fecerint, contra singulos in solidum. An contra mercenarium, libertum, domesticum, ob vilius furtum. An in hæredes. Et quid, si tutor res pupilli subduxerit, ac moriatur durante tutela. An & hæredibus, 47. 2. 14. Tom. 6.
Quo modo & ad quam pœnam jure civili criminaliter actum fuerit. Hodie furtum passus contra furem & fusis hæredem in solidum agit ad indemnitatem, non ad pœnam, ad quam furti accusant tantum personæ publicæ. Ob quæ furta non fit nunc accusatio criminalis. Quo modo inquiri possit in res furtivas, 47. 2. 15. Tom. 6.
Si de furto facto constet, at non de quantitate rerum subductarum, aut æstimatione, an & quando standum sit jurijurando ejus, qui furtum passus est, 47. 2. 16. Tom. 6.
De pœnis publicis furti recentioribus, & de modis quibus nunc fit, denique variantibus furtorum circumstantiis, ex quibus pœna exasperari vel mitigari solet, 47. 2. 17. Tom. 6.
An non nimis dura sit mortis pœna oli simplex furtum tertio repetitum. An ob unum furtum simplex, sed admodum grave, pœna mortis imponi possit. An triplex furtum, si tres aut plures distinctas res fur simul abstulerit, aut ter quaterve iverit redieritque, ut auferret, quod una vice portare non potuit. An propter tertium suspendi, qui propter primum & secundum punitos non fuit. Et quid, si pœna furti prioris ei fuerit remissa. An sufficiat ad pœnam mortis triplex furtum, si illud in diversis territoriis sit commissum. Quo modo in Hollandia, Zelandia, Ultrajecti simplex furtum puniri debeat, 47. 2. 18. Tom. 6.
Domestica furta graviora nunc durius coercentur, quam alia, 47. 2. 19. Tom. 6.
An moto criminali judicio furti, dominus furtum passus, aut alius, cujus interest, possit rem repetere, aut id quod interest. An æquum sit, res furtivas fisco cedere, 47. 2. 20. Tom. 6.
Quid, si servus testamento domini liber esse jussus, post mortem domini ante aditam hæreditatem, quid ex ea surripuerit, 47. 4. 1. Tom. 6.
De actione ob furtum adversus nautas, caupones, stabularios, 47. 5. 1. Tom. 6.
De actione ob furtum a familia alicujus factum, 47. 6. 1. Tom. 6.
De arboribus furtim cæsis, 47. 7. 1. & seqq. Tom. 6.
De furto ex incendio, ruina, naufragio, nave, rate expugnata, 47. 9. 1. & seqq. Tom. 6.
De furibus Balneariis, 47. 17. 1. Tom. 6.
De pœnis furantium quid ex munitionibus aggerum, molendinis, cataractis, pontibus, curribus, aratris, &c. 47. 14. 4. Tom. 6.

G

Gestio negotiorum.

Quid sit negotiorum gestor, quorum negotia geri possint, ut inde competat actio negotiorum gestorum, 3. 5. 1. Tom. 1.
Quid sit actio directa negotiorum gestorum, cui detur, & contra quos, an & contra eos, qui gesserunt mandato tertii, aut tertii negotia geri mandarunt, 3. 5. 2. Tom. 1.
Ad quid tendat hæc actio, an & quales usuras gestor præstet ratione pecuniæ a domini debitoribus exactæ, 3. 5. 3. Tom. 1.
Gestor plerumque præstat culpam levissimam; quandoque tantum levem aut latam. Et quid moribus, 3. 5. 4. Tom. 1.
Non tenetur de casu fortuito, nec de periculo nominis, si pecuniam bene collocaverit; nisi insolita gesserit, & paucis aliis in casibus, 3. 5. 5. Tom. 1.
An & quando teneatur de non gestis, 3. 5. 6. Tom. 1.
Tenetur ex parata absentis pecunia solvere absentis creditoribus, ac sibi ipsi si creditor sit. Si debitor absentis sit, a se ipso debet exigere. Quæ pœna sit, si hæc negligat, 3. 5. 6. Tom. 1.
An gestor debitores absentis judicio cogere possit ad solvendum, & quid operetur interpellatio ejus extrajudicialis, 3. 5. 7. Tom. 1.
Quid sit contraria actio negotiorum gestorum? Tendit in gene-

nere, ad indamnitatem, & impensas; earumque usuras, 3. 5. 8. Tom. 1.
Impensas rapetit gestor, licet utiles esse desierint. Quid si plus justo impenderit? Quid si sui commodi gratia gesserit aliena, 3. 5. 9. Tom. 1.
Cessat actio contraria, si initio inspecto nulla utilitas domino acquiri potuerit; quod exemplis docetur, nisi ratihabitio gesti secuta sit, 3. 5. 10. Tom. 1.
Item, si inviti & prohibentis nagotia gesta sint. Quid moribus, 3. 5. 11. Tom. 1.
Item, si alius suo sumptu fuisset gesturus; vel si pietatis intuitu gestum sit; quod exemplis illustratur, & limitatur, 3. 5. 11. Tom. 1.
Quid juris, si quis negotia Titii gesserit, tanquam Mævii? Et quid si Mævius gesta talia rata habuerit. Quid si credidarit, se ex officii necessitate gerere vel ex mandato, cum nulla necessitas, aut mandatum subesset, 3. 5. 12. Tom. 1.
Quid juris, si quis aliena negotia gesserit tanquam sua, 3. 5. 13. Tom. 1.
An mandati, an magis negotiorum gestorum actio sit, si dominus gesta rata habuerit, 3. 5. 14. Tom. 1.

Gestio pro hærede.

Quid sit pro hærede gestio, & an solo animo fiat, 29. 2. 4. Tom. 5.
Pro hærede garit, qui agit ea, quæ citra jus & nomen hæredis agi nequeunt. Ubi de acceptante ea, quæ hæredi conditionis implendæ causa dari jussit testator; de agente judicio familiæ erciscundæ; cum legatariis in partem paciscente; de transigente cum hærede legitimo, de institutiona testamanto facta; de donante, legante, vandente hæreditatem sibi delatam; de acquiescente sententiæ, qua damnatus ast, ut hæres; de intentante actiones contra debitores hæreditarios; de instituenta petitionem hæreditatis; de manumittente servos hæreditarios vindicta; de rogato in jure, an hæres sit, & respondante, se hæredem esse, 29. 2. 5. Tom. 5.
Non censetur gessisse pro hærede, qui absque rerum hæreditariarum contrectatione fecit ea, quæ & tanquam hæres & tanquam extraneus agere potest. Ubi da exigente operas officiales a liberto parentis; mortuum inferante in sepulchrum hæreditarium; accipiente pecuniam ob cædem parentis ab homicida, da vidua instituta a marito, aut liberis, annum gratiæ exigentibus; de eo, qui defuncto funus fecit. Consultum, in hisce protestari, 29. 2. 6. Tom. 5.
Si quis circa ipsas res hæreditarias ea gesserit, quæ & suo & hæreditario jure facere potest, in dubio præsumitur pro hærede gessisse. Ubi de utente rebus hæreditariis; manenta diu in domo mortuaria; ras hæreditarias locante, vendente, fructus percipiente, debita hæreditaria extra judicium exigente; creditoribus solvente, aut compensationem opponente &c., 29. 2. 7. Tom. 5.
Creditorum est probare, quod hæres actus hæreditarios gesserit; & tunc hæredis est, probare se alia ax causa non animo hæredis gessisse. Quibus modis id probetur? Et quando maritus, uxor, liberi manentes in domo mortuaria, non intelligantur pro hæreda se gessisse, 29. 2. 7. Tom. 5.
An censeatur gessisse pro hærede, qui detrectat solutionem ejus, quod defuncto debuerat, aut a substituto vel hærede legitimo pretium accepit hæreditatis omittendæ causa. An, si suus vel extraneus surripuerit rem ax hæreditate. Quid, si suus amerit rem patris a creditoribus paternis. Quid, si suus aut extraneus impleverit conditionem potestativam, sub qua institutus erat, 29. 2. 8. Tom. 5.
Qui possint pro hærede gerere, & de affectu, ac aliis, vide *aditio hæreditatis*.

Graphiarius.

An graphiarii seu scribæ judicum hodie suspecti argui possint, ina certis in litibus suo munere fungantur, 5. 1. 61. Tom. 2.
Quo modo cogi possint graphiarii & similes, ad nummos secundum sententiam prælationis inter creditores distribuendos, 20. 4. 11. Tom. 3.
Si graphiarius nummos in graphejo depositos in suos usus converterit, ac solvendo non sit, an deponans cæteris creditoribus graphiarii præferendus sit, 20. 4. 14. Tom. 3.

Gratia.

Condemnatum, sive insontem, sive nocentem, reum solus Princeps rastituit. Qui apud nos possint delicti gratiam facere. An judices impunitatem alicui promittere, ut se & socios prodat? Ramissione obtenta, sed pecuniaria pœna per Curiam imposita, an Curia illam, aut partem ejus, remittere possit ob paupertatem, 48. 23. 1. Tom. 6.
Rastitutio, ad certos effectus restricta, quid operetur. Restitui potest relegatus, ut a paucioribus locis abstineat; vel ut pro tempore redeat. Simpliciter restitutus an bona racuperet. Quibus nominibus veniat simplex restitutio. Quid sit restitutio plenissima, 48. 23. 2. Tom. 6.
Quis effectus planissimæ restitutionis. An bona recuperentur? An fructus interim ex iis percepti. An hæreditates aliis ob incapacitatem condemnati delatæ. An fideicommissaria ob condemnati defectum ad alios devoluta. An interim alienata. An jus patronatus, 48. 23. 3. Tom. 6.
An recuperet, qui restituitur, quia insons damnatus erat? Et quid in aliis intersit inter insontem ac nocentem contra sententiam restitutum, 48. 23. 4. Tom. 6.
Restitutus subjicitur pristinis oneribus, etiam æris alieni, pro ea parte, qua bona potuit ex indulgentia recuperare, licet abdicet. An & si res quædam singulares ei ex indulgentia reddantur, 48. 23. 5. Tom. 6.
Etiam ante sententiam delicti gratia obtineri potest, in totum, vel pro parte. An ita occidans evitet occursum propinquorum occisi? Aut ut a loco, in quo illi degunt, abstineat. An propinqui pacisci possint. Quid hodie intersit inter *remissie*, & *pardon*? Quid inter hæc duo, & abolitionam, 48. 23. 6. Tom. 6.
Da remissione impetrata per sub & obreptionem. An obreptio, si quis dissimulet, cædem per ebrietatem in nundinis factam esse? Aut se jam antea similis aut divarsi criminis ramissionem impetrasse, 48. 23. 7. Tom. 6.
An inutilis remissio, si pecunia vel res aliæ datæ aut promissæ sint. Quid, si data a non habente dandi jus. Concedit Princeps territorii, in quo crimen admissum. An & Princeps loci domicilii, 48. 23. 8. Tom. 6.
An inutilis, si obtenta & confirmata ante conciliationem cum propinquis occisi. Quid tunc injungatur occidenti circa conciliationem; & an propinquis tunc adhuc actio salva sit, 48. 23. 9. Tom. 6.
Neglecta circa impetrationem aut confirmationam remissionis, restitutione in integrum emendari nequeunt, sad gratia de novo petenda, facta mentiona prioris obtentæ, sed forte non sufficientis, 48. 23. 10. Tom. 6.
Ubi plura videnda de remissione, & ejus petendæ modo, requisitis, conciliatione, aliisque, 48. 23. 11. Tom. 6.
De concessione raditus in locum, unde quis abest, sine metu incarcerationis, vulgo *landt-inninge*, 48. 23. 12. Tom. 6.

H

Habitatio.

Quid sit habitatio? An habens jus inhabitandi possit alteri gratis concedare habitationem, 7. 8. 6. Tom. 2.
Quibus modis extinguatur habitatio? non morte ejus, qui concessit, 7. 8. 7. Tom. 2.
Non capitis diminutiona & non utendo, & cur, 7. 8. 8. Tom. 2.
In dubio magis habitatio sola quam plena proprietas præsumitur legata. Quid juris, si legetur *domus ad inhabitationem*, vel *ad inhabitandum quamdiu legatarius vivit*, 7. 8. 9. Tom. 2.

Hæreditas.

Hæreditas an moribus nostris ad res mobiles vel immobiles reduci possit, 1. 8. 19. Tom. 1.
Hæreditatis divisio, vide *familiæ erciscundæ*.
Ad vanditionem hæreditatis non est opus inventarii confactione, 18. 4. 1. Tom. 3.
Quæ amptori hæreditatis tradenda aut cedenda sint? quid juris circa onera & commoda quæsita occasione rai, quam nominatim excaperat venditor hæreditatis. An actionibus non cessis, utiles competant emptori hæreditatis, 18. 4. 1. Tom. 3.
Præstat vanditor hæreditatis damna, & lucra cessantia per levam ejus culpam. Quid juris, si vanditor hæreditatis transegerit cum debitoribus hæreditariis, vel res hæraditarias singulares vendiderit val donaverit ante aut post venditionem hæreditatis, 18. 4. 2. Tom. 3.
An jus accrascendi, & an emolumentum juris accrescendi, transeat in emptorem hæreditatis, 18. 4. 3. Tom. 3.
An venditor hæreditatis de rarum singularium hæreditariarum evictione tenaatur. An de evictione juris hæreditarii aut partis ejus. Quid intersit inter venditam hæreditatem viventis, & aam, quæ defuncti quidem est, sed ad vanditorem non pertinet, vel fideicommissaria tantum est, cum vendita esset ut directa, 18. 4. 4. Tom. 3.
Venditor hæreditatis non tradit ea, quæ nominatim excepit, nac indabite accepta. An id, quod pœnæ nomine consecutus est? An hæreditatem impuberis ex substitutiona quæsi-

sitam, cum patris substituentis hæreditatem vendidisset, 18. 4. 5. Tom. 3.

Emptor hæreditatis debet suscipere defensionem venditoris per creditores hæreditarios conventi. An invitus ipse possit conveniri per creditores hæreditarios, & quid moribus. An creditores inviti teneantur convenire emptorem? An, si convenerint emptorem, deinde iterum ad venditorem hæreditatis redire possint, 18. 4. 6. Tom. 3.

Repetit venditor hæreditatis ea, quæ propter hæreditatem erogavit, quod exemplis docetur. An &, si ex parte hæres integrum debitum hæreditarium ex justa causa solverit, & partes a cohæredibus cæteris recuperare nequeat. An si indebitum solverit, 18. 4. 7. Tom. 3.

Petit & redintegrari servitutes, sibi a defuncto debita, vel legata, solvi, 18. 4. 7. Tom. 3.

Recensentur singularia quædam, quando non privatus sed fiscus vendidit hæreditatem, 18. 4. 8. Tom. 3.

Hæres.

Quando & quales hæredes actoris aut rei mortui citentur ad resumenda arma litis? vide *Actor*.

Hæres non succedit in domicilium defuncti; nec ex ejus domicilio forum competens sortitur, nisi lis cum defuncto jam contestata sit, 5. 1. 102. Tom. 2.

Hæres tutoris quando ex facto proprio teneatur, & qualem culpam præstet. An & quo usque negotia per defunctum cœpta teneatur perficere, 27. 7. 4. Tom. 4.

An hæredes tutorum & hæredes magistratuum teneantur ex dolo tutoris defuncti, si lis cum defuncto non contestata, nec aliquid ex dolo defuncti ad hæredes pervenerit, 27. 7. 5. Tom. 4.

An actiones ex contractibus ex dolo defuncti in solidum dentur contra hæredes, jure civili antiquo & posteriore, Canonico, & hodierno. Uti & actiones ex delictis, 27. 7. 6 Tom. 4.

Quid sit hæreditas, quot modis deferatur. An & pactis, 28. 1. 1. Tom. 4.

Hæreditas jacens quando repræsentet defunctum, quando hæredem, 19. 2. 1. Tom. 3.

De liberis & posthumis hæredibus instituendis, vide *liberi*.

Quid sit suus hæres, 28. 2. 1. Tom. 4.

Quid sit necessarius. Quid extraneus hæres, 29. 2. 2. Tom. 5.

Quibus verbis fieri possit institutio, & quales servi possint institui, 28. 5. 1. Tom. 4.

An institui possint ignoti testatori. An civitates, & quo modo capiant. An collegia, ecclesiæ, pauperes, Deus &c. Si sacerdos templi hæres scribatur, an ipsi, an templo hæreditas cedat, 28. 5. 2. Tom. 4.

An moribus nostris ecclesiæ, monasteria, monachi, moniales. Et quid, si ab intestato proximis personæ tales succedere debeant. An collegia sectariorum, veluti anabaptistarum, 28. 5. 3. Tom. 4.

An apud nos orphanotrophia, gerontocomia, pauperes, licet ad id licentia a Principe impetrata non sit. Si Christo ecclesiæ relinquatur, apud nos pauperibus cedit. Pauperibus relicta quibus & cujus loci pauperibus cedant, 28. 5. 4. Tom. 4.

An jure civili & hodierno hæretici, apostatæ, sectarii, peregrini, banniti, transfugæ, mulieres intra annum luctus nubentes, improbi & intestabiles, 28. 5. 5. Tom. 4.

Quantum capere possint ex testamento parentum liberi ex damnato coitu nati. Vel uxor secunda ex bonis binubi, habentis liberos prioris thori. Vel maritus secundus ex bonis viduæ intra annum luctus ductæ. An adulter adulteram instituere possit. An incestuosus eam, quam incestu polluit. Et vice versa. An concubinam is, qui eam aluit, 28. 5. 6. Tom. 4.

An is, qui cum minora nuptias inivit sine consensu parentum minoris, ab ea institui possit. An Ultrajecti & in vicinis locis conjux conjugem recte instituat. Et quid hac in parte novissime anno 1700. cautum sit, 28. 5. 7. Tom. 4.

An minores immobilia institutionis vel legati titulo relinquere possint tutori, curatori, aut administratori suo, aut eorum uxoribus, aut liberis, aut concubinis suis. Si tutores simul sint proximi ab intestato, an & quo usque tunc relicta valeant. An minor possit instituere suum patrem, simulque tutorem, qui ei ex jure Scabinico non potest succedere. An Ultrajecti parentes aut fratres, simulque tutores, plus capere possint ex testamento minorum, quam ipsis ab intestato debetur, 28. 5. 8. Tom. 4.

An minores hisce mobilia relinquere possint, 28. 5. 9. Tom. 4.

An institui possint curatores honorarii. An pædagogi, præceptores, ephori, magistri tyrocinii durante tyrocinio. An curator ad unum actum minori datus. An is, qui sponte res quasdam minoris gerit. An præfectus militaris a milite minore, 28. 5. 10. Tom. 4.

An recte his relinquatur, finita tutela, institutione, aut tyrocinio. An tutori jam excusato, vel tutoris jam mortui liberis, uxori. Quid, si minor nuptiis aut venia ætatis jam cœperit major esse. Quid, si vere major, sed rationes nondum redditæ, 28. 6. 11. Tom. 4.

Institutis liberis nascituris fratrum aut cognatorum adhuc cælibum, an & vocati censeantur, qui post mortem testatoris quocumque tempore concipiuntur. Et quas partes videantur habere jam nati, quamdiu alii nasci possunt. An hæredes legitimi petere possint, interim sibi committi hæreditatem, donec posthumi nati fuerint, 28. 5. 12. Tom. 4.

Si quis habens fratres quosdam & fratrum liberos, generaliter fratrum liberos instituerit, an & illos videatur instituisse, qui demum post mortem ejus concipientur ac nascentur, 28. 5. 55. Tom. 4.

Qui generaliter testamento uxorem instituit, an & secundam aut tertiam videatur vocasse, 28. 5. 14. Tom. 4.

An institutio possit testamento scripto fieri relatione ad scripturam adhuc conficiendam. Et quid, si hæc postea non sit confecta. An per relationem ad certum statutum, veluti instituendo illos, qui ex jure Scabinico deberent venire, 28. 5. 15. Tom. 4.

Si testator instituerit aut substituerit *hæredes legitimos*, vel *sibi ab intestato succedentes*, quinam tunc censeantur vocati, 28. 5. 16. Tom. 4.

Qui, & ex qua parte, videantur instituti, si quis *fratrum & sororum filios ac nepotes*, *hæredes legitimos*, *ex æquis partibus* instituat. Quid, si omiserit in ea formula, *hæredes legitimos*. Quid, si instituti vel substituti sint *liberi legitimi*, & ex statuto tantum succedant liberi primi thori. Quid si *fratres*, & tantum succedant ex statuto germani, 28. 5. 17. Tom. 4.

Qui censeantur vocati, si testator instituerit *illos, qui ipsi debent succedere*, & pactis dotalibus parentum testatoris certus ordo succedendi præfinitus sit in casum, quo liberi nascituri decederent intestati, 28. 5. 18. Tom. 4.

Si quis instituerit *proximos* (*mijne naaste vrienden*) non addito, *sibi ab intestato succedentes*, qui tunc videantur vocati, 28. 5. 19. Tom. 4.

Si quis instituat *fratres & eorum liberos*, aut *totam cognationem suam*, non simul sed ordine successivo veniunt, secundum gradum dilectionis & successionis intestatæ, 28. 5. 19. Tom. 4.

Quibus temporibus instituti debeant habere passivam testamenti factionem. An cum minor curatorem aut similes instituit, convalescat institutio, si major factus aut alter a potestate instituti liberatus moriatur. Quid, si maritus Ultrajectinus uxori mobilia contra statutum reliquerit, & postea domicilio in Hollandiam translato, ubi id licet moriatur. Quid si institutus sit illa, qui tempore institutionis apud hostes sua commorabatur voluntate, & postea vivo testatore in patriam rediit, 28. 5. 21. Tom. 4.

Medio tempore inter institutionem & mortem testatoris vel conditionis eventum instituium caruisse testamenti factione, non nocet. Quid, si Hollandus uxori relinquat mobilia, dein Ultrajectum migret, ubi id non licet, ac tandem ante mortem reducat domicilium in Hollandiam. Quid juris, si incapax instituatur sub conditione, *cum capere poterit*, 28. 5. 22. Tom. 4.

Quæ partes institutis ex hæreditate cedant, si unicus ex re certa scriptus sit, vel unus ex re certa, alter sine re; vel omnes ex rei certæ dispari quantitate. Vel unus *rerum Italicarum*, alter *provincialium*. Vel unus *paternorum*, alter *maternorum*. Et quid veniat nomine *rerum Italicarum*, maxime in negotiatore Italico, merces aut pecunias in provincia habente, 28. 5. 23. Tom. 4.

Quid juris, si omnes sine rei, aut partis assignatione instituti uniformi vel difformi oratione una aut pluribus, nomine proprio, aut collectivo, veluti, *fratres & fratris liberi; uxor & cognati*, *cognati mariti & uxoris*, &c., 28. 5. 24. Tom. 4.

Quid juris, si omnibus institutis partes datæ; vel quibusdam, & alii sine parte scripti. Deque recurso ad dupondium, tripondium &c. & de dubiis circa hæc, 28. 5. 25. Tom. 4.

In quibus legibus formulæ variæ ambiguæ institutionum explicentur. Quid nunc obtineat circa casus plures in tribus numeris superioribus propositos, ex quo placuit, quemque pro parte testatum, pro parte intestatum mori posse, 28. 5. 26. Tom. 4.

Inutilis est institutio *perplexa*, aut facta cum tali hæredis designatione, quæ contumeliæ causa addi solet. Valet tamen cum elogio & objurgatione, 28. 5. 27. Tom. 4.

Inutiles institutiones captatoriæ. Quæ tales sint, quæ non, 28. 5. 28. Tom. 4.

An valeat institutio expresse vel tacite in arbitrium tertii collata, 28. 5. 29. Tom. 4.

Hermaphroditus.

Cui sexui annumerandus sit hermaphroditus, 1. 5. 1. Tom. 1.

Homagium.

Vide *investituræ*.

Homicidium.

Qui teneatur lege Cornelia de sicariis. An &, qui pugno, calce, illisione in terram, conculcatione, faucium compressione, &c. occidunt. Quo modo ex instrumento, quo cædes facta, præsumatur occidendi animum adfuisse vel defuisse, 48. 8. 1. Tom. 6.
Quid, si per errorem occidat Titium, quem putat esse Mævium, vel Titium Mævio adstantem? vel cædis impediendæ causa intervenientem, 48. 8. 2. Tom. 6.
Tenentur, qui mortis causam præbuerunt, quales multi recensentur. An & qui, cum posset, opem non tulit periclitanti & cæso. An qui cædem mandavit; occidere volentem ulterius instigavit, aut cædem factam ratam habuit. An vulnus mandans, cæde secuta, 48. 8. 3. Tom. 6.
Quid, si cædes tentata, non facta, jure civili & moribus. De judicio medicorum, an vulnus lethale sit. An illud judicium contrariis probationibus convelli possit. Pacitus ut vulnerans, an adhuc puniri possit ut occidens, si post pateat, vulnus lethale esse. An lethale, si quis quadraginta diebus supervixerit, 48. 8. 4. Tom. 6.
Extensa legis Corneliæ pœna ad armantes familiam possessionis invadendæ causa: seditiosos; castrantes alios, aut se præbentes castrandos, 48. 8. 5. Tom. 6.
De pœna homicidii ex jure civili, divino, hodierno. De antiquo in Hollandia & vicinia pœnæ hujus persequendæ modo. De homicida indigno hæreditate occisi. De damni privati per cædem illati reparatione, sed cessante, si sicarius morte punitus sit, 48. 8. 6. Tom. 6.
Quid, si plures dolo unum occiderint; simul onus hominis necandi causa dejecerint; singuli lethale vulnus inflixerint. Quid, si unus lethaliter vulneravit, alter superveniens occiderit. Quid, si homo in rixa occisus sit. Quid, si in rixa occisus dixerit ante mortem, a quo percussus sit. Quid, si plures simul in necem alicujus conspirantes, eundem aggressi sint, & is uno tantum vulnere cæsus sit, 48. 8. 7. Tom. 6.
De homicidii pœna exasperanda ex plurimis causis, quæ recensentur, 48. 8. 8. Tom. 6
De mitiganda homicidii pœna, & imponenda arbitraria relegationis &c. Ubi de occidentibus sine dolo, per culpam, & quando lata culpa in hac lege morte puniatur, in invadentibus alienam possessionem, si ea occasione cædes facta, & propinantibus amatorium aut abortionis aut conceptionis poculum, si inde homo perierit. Quid, si maritus occiderit uxorem in adulterio deprehensam. Quid, si quis iræ impetu, ex causis levioribus concepto, occiderit. Quid si verbalibus aut realibus injuriis provocatus, 48. 8. 9. Tom. 8.
De homicidio casu aut jure facto; ubi de infante, furioso, occisore; de eo, qui furem nocturnum, transfugam, perduellem, nocturnum agrorum populatorem, vel ex jure hodierno diurnum, sata, olera, gallinas, &c. surripientem, septa dejicientem, cuniculos nocte in collibus locatos capientem &c. peremit, 48. 8. 10. Tom. 6.
De impunitate observantis moderamen inculpatæ tutelæ, vide *moderamen inculpatæ tutelæ*.
De autochiria, 48. 21. 1. & *seqq.* Tom. 6.
De venenariis, vide *venenarii*.
De exercentibus artes magicas, vide *magia*.

Homo.

Variæ hominum divisiones, 1. 5. 1. Tom. 1.
Homines vel masculi sunt vel fœminæ; in quibus melior, aut deterior sit fœminarum quam masculorum conditio, 1. 5. 1. Tom. 1.
Sunt & vel cives Romani vel peregrini; & in quibus hi distent inter se jura Romano ac moribus, 1. 5. 2. Tom. 1.
Sunt & vel liberi vel servi. Quid hodie sint homines proprii, & quibus nominibus appellentur, quo jure regantur, 1. 5. 3. Tom. 1.
Homines liberi jure Romano fuerunt senatorii vel equestris, vel plebeii ordinis, 1. 5. 4. Tom. 1.
Alii optimates, alii populares, 1. 5. 4. Tom. 1.
Hodie alii nobiles, alii plebeii, quod ex patris, non matris conditione æstimandum, 1. 5. 4. Tom. 1.
An novi Nobiles gaudeant jure vetustæ Nobilitatis, 1. 5. 4. Tom. 1.
Homines alii sunt jam nati, alii in utero. Et quando hi pro jam natis habeantur, quando non, 1. 5. 5. Tom. 1.
Homines vel sui vel alieni juris sunt, 1. 6. 1. Tom. 1.

Honestum.

Non omne quod licet honestum est, 1. 1. 10. Tom. 1.

Honor.

Vide *munus*.

Honorarium.

De variorum honorariis, 50. 13. 1. & *seqq.* Tom. 6.
Vide *salarium*.

Hora.

Hora quando censeatur elapsa esse, 44. 3. 1. Tom. 6.

Hypotheca.

De pignoribus, vide quædam ad verbum *pignus*, & *pigneratitia actio*. Quid intersit inter pignus & hypothecam. Nemo regulariter cogi potest, ut hypothecam constituat, nisi id promiserit, 20. 1. 1. Tom. 3.
Mortuo eo, qui promiserit, se certam rem hypothecæ obligaturum, unus ex pluribus hæredibus, cui illa cessit, eam in totum obligare cogitur, 20. 1. 1. Tom. 3.
Divisio hypothecæ in generalem & specialem. Quæ obligata intelligantur, si universitas rerum, ut grex, taberna, illata, & invecta, peculium, obligentur, 20. 1. 2. Tom. 3.
Re singulari obligata, quando rei istius fructus, & quales, censeantur obligari. Ancilla obligata, an & quando partus obligatus sit. An, servo obligato, peculium servi, 20. 1. 3. Tom. 3.
De aliis rerum obligatarum accessionibus, alluvione, usufructu consolidato, insula ante fundum nata, eo, quod ex re obligata factum est, nave fabricata ex sylva obligata, domo in aream aut hortum, fundo in vinetum converso, 20. 1. 4. Tom. 3.
An domo pignorata exusta, iterumque restituta, impensæ prius deducendæ sint, antequam nova domus sit. Et an possessor extraneus, qui novam domum imposuit areæ obligatæ, rem retinere possit, oblato creditori pretio areæ, 20. 1. 4. Tom. 3.
An id, quod in rei pignoratæ locum surrogatum est, pignori sit, ubi de rebus, quæ ex pecunia obligata emptæ, & de pretio ex rebus obligatis redacto, 20. 1. 5. Tom. 3.
Quæ res contineantur sub hypotheca generali. An futura, incorporalia, merces in taberna, servus qui res omnes domini obligavit, ipsa pecunia credita, necessaria supellex, emphyteuticaria prædia, feudalia, 20. 1. 6. Tom. 3.
An bona fideicommisso obnoxia, aut fructus eorum. An bona hæredis. An bona defuncti sub hypotheca generali per hæredem constituta. An aliena ex consensu creditoris, si post redierint in debitoris potestatem, 20. 1. 7. Tom. 3.
Si quis simpliciter obligaverit *bona sua*, sine nota Universalitatis, an omnia intelligatur obligasse, 20. 1. 8. Tom. 3.
Quæ jure civili ac moribus nostris solemnia requirantur ad immobilia & navigia majora & incorporalia immobilibus accensita hypothecæ obliganda. Quid si feuda. An illa etiam apud ordinarium judicem obligari. Si subfeuda, an in curia primi domini directi, an vero subinfeudantis, 20. 1. 9. Tom. 3.
Quæ solemnia in Hollandia ad generalem bonorum omnium hypothecam. An ea præcise coram judice loci, in quo contractus celebratus constitui debeat. Jus singulare Amstelodamensium. Non obligantur extra Hollandiam sita immobilia per hypothecam generalem in Hollandia constitutam, 20. 1. 10. Tom. 3.
Insinuatio apud acta & solutio quadragesimæ non sunt necessaria in hypotheca legali, & pluris aliis casibus. In reliquis, si desint solemnitates, nulla prælatio in Hollandia tribuitur, licet coram tabellione & testibus bona debitoris obligata sint, 20. 1. 11. Tom. 3.
An teneatur actuarius, si quæ solemnia dolo aut culpa ejus prætermissa sint, vel rem liberam asseruerit, quæ erat obligata, 20. 1. 11. Tom. 3.
Si mobilia per traditionem obligentur, nec insinuatione apud acta nec quadragesimæ solutione opus est. An constitutum possessorium ad mobilia obliganda pro traditione habeatur, 20. 1. 12. Tom. 3.
Sine traditione mobilia in Hollandia non obligantur solo instrumento publico coram tabellione & testibus, sed demum, si quadragesima debita fisco illata sit. Hypotheca generalis, quæ soluta quadragesima coram aliquo Hollandiæ judice constituta est, extendit se ad mobilia ubicunque etiam extra Hollandiam sita, licet certo loco alligata ex patrisfamilias destinatione, uti & ad credita debitoris, 20. 1. 10. Tom. 3.
Immobilia specialiter obligata, si alienentur oneroso vel lucra-

cativo titulo transeunt cum onere. Quid juris, si solemniter sub hasta sint vendita, & creditor jus suum non indicaverit, 20. 1. 13. Tom. 3.
Mobilia tradita creditori, si alienentur, aut creditor ea possidere desierit, jus pignoris evanescit, excepto uno casu in Rhenolandis, 20. 1. 13. Tom. 3.
Immobilia generaliter obligata ex conventione vel lege, quando ex jure hodierno transeant in alitum cum onere, quando sine onere, notatur jus singulare Amstelodamense & Ultrajectinum hac in parte. Quid juris, si mobilia generaliter obligata alienentur per debitorem, 20. 1. 14. Tom. 3.
Quis sit effectus hypothecæ generalis & specialis quantum ad jus prælationis. An specialem & generalem habens, necdum excussis specialiter obligatis excutere possit generaliter obligata. Et quid, si generalis tantum subsidiaria sit, 20. 1. 15. Tom. 3.
Quid hodie hac in parte obtineat in Hollandia. Quid Amstelodami. Quid Ultrajecti, 20. 1. 16. Tom. 3.
Si creditor nomen sui debitoris obligaverit, creditor, cui illud obligatum, agere potest contra debitoris debitorem etiam sine cessione actionis; & qua actione, 20. 1. 17. Tom. 3.
Hypotheca requirit principale debitum. An constitui possit ei, qui tantum est adjectus solutioni. An pro debito naturali. An pro eo, quod exceptione jurisjurandi vel rei judicatæ elidi potest. An pro debito alieno. An pro usuris aut pœna conventionali. In dubio pignus tantum in sortem obligatum creditur, 20. 1. 18. Tom. 3.
Recensentur casus, quibus pignus valet, licet principalis obligatio nulla sit; & quibus durat, actione personali jam extincta, 20. 1. 19. Tom. 3.
An pro debito in diem, vel conditionali, vel plane incerto, hypotheca constitui possit. Et quid hodie agendum, si pro debito futuro incerto hypotheca constituenda sit, 20. 1. 20. Tom. 3.
Recensentur plura pacta, quæ recte hypothecæ apponuntur, 20. 1. 21. Tom. 3.
An valeat pactum, ut *debitori*, vel *ne creditori* liceat pignus vendere, & quale jus singulare sit in pacto, ut *debitori* liceat pignus vendere, 20. 1. 22. Tom. 3.
De pacto antichreseos. Illud vel expressum esse, vel tacitum, aliquando subsidiarium tantum in casum moræ, 20. 1. 23. Tom. 3.
An antichresis legitimum excedere possit usurarum modum, 20. 1. 24. Tom. 3.
Lex commissoria in pignoribus improbata, etiam inter debitorem & fidejussorem ejus, sive ab initio sive ex post facto interveniat, 20. 1. 25. Tom. 3.
De pacto, *ut sibi habeat creditor quicquid ex pignore vendito redactum fuerit*, &, ut debito intra certum tempus non soluto, *debitor creditori pignus cedat*, 20. 1. 26. Tom. 3.
An hypotheca legalis competat tutori in bonis pupilli pro indemnitate, 27. 4. 1. Tom. 4.
An pupillo in bonis magistratuum, qui tutorem dederunt, 27. 8. 4. Tom. 4.
An debitori obærato aut creditoribus in bonis curatoris bonorum, 42. 7. 21. Tom. 6.

Hypotheca tacita.

Vide *tacita hypotheca.*

Hypotheca legalis.

Vide *legalis hypotheca.*
Quæ res hypothecæ obligari possint, ubi de rebus commercio exemptis, de nominibus, instrumentis emptionalibus, militia, servitutibus jure pignoris, emphyteusi, agris adscriptitiorum, feodis, 20. 3. 1. Tom. 3.
An res litigiosa, vel arresto jam tenta. An arma militum, spes præmiorum athletis constitutorum. An bona pupilli sine decreto. An boves aratores & instrumenta aratoria, 20. 3. 2. Tom. 3.
An res aliena. An & quo usque res communis obligari possit, ac post divisionem obligata sit, 20. 3. 3. Tom. 3.
Recensentur casus, quibus subsistit pignus alienæ rei. Et convalescit utiliter, si is, qui obligavit, dominium acquisiverit, licet creditor sciverit rem alienam esse, 20. 3. 4. Tom. 3.
Quid juris, si diversis temporibus res eadem duobus a non domino obligata sit, & is postea dominus fiat. Si nunquam res aliena obligata acquiratur obliganti, quid juris creditor habeat, 20. 3. 4. Tom. 4.
An convalescat pignus, si testator obligavit rem Titii, & hic postea testatori hæres extiterit, 20. 3. 5. Tom. 3.
Quo usque nostris moribus convalescat pignus rei alienæ, ubi postea per obligantem dominium quæsitum est; tum in mobilibus, tum in immobilibus, 20. 3. 6. Tom. 3.
Recensentur casus, quibus valet pignus alienæ rei, licet dominus nec obligans dominium acquirat: ubi de procuratore rem domini, administratore rem reipublicæ obligante; dominum callide dissimulante, cum alius obligaret; deque eo, qui hodie mensæ fœnebri rem alienam obligavit; de marito rem uxoris, aut vidua dimidiam partem fundi stante matrimonio ac communione quæstuum empti, obligante, 20. 3. 7. Tom. 3.
Quid juris, si quis rem sibi commodatam, locatam, aut apud se depositam, pignori obliget, 20. 3. 7. Tom. 3.
De *distractione pignorum & hypothecarum*, vide *venditio pignorum.*
Solvitur hypotheca, si creditor fiat dominus pignoris, nisi creditor antiquior privatim pignus emerit, & secundus creditor id evincat, 20. 6. 1. Tom. 3.
Etiam sublato principali debito per confusionem, solutionem, novationem &c. An, si liberi matri tutrici successerint, bona vitrici liberentur a vinculo pignoris legalis. Quid juris, si pignora in novatione repetita sint. An pupillus censeatur novasse obligationem ex tutela & ita perdidisse pignoris jus, si post pubertatem usuras reliquorum acceperit, 20. 6. 2. Tom. 3.
Totum debitum debet solutum esse, licet plures debitoris hæredes sint. Quid, si primus debitor solverit, cum pignus pignori datum esset, 20. 6. 2. Tom. 3.
An, cum remissio principalis debiti inutilis est, remissio quoque pignoris inutilis sit, 20. 6. 3. Tom. 3.
An evanescat vinculum pignoris, si mancipium obligatum manumittatur, aut prostituatur, 20. 6. 4. Tom. 3.
Pignore extincto, an debitor cogi possit, ut aliud pignus det pro annuo reditu aliove debito, 20. 6. 4. Tom. 3.
De pacto, ne res pignori sit, redditione pignoris, aut instrumenti continentis obligationem pignoris, 20. 6. 5. Tom. 3.
An solvatur pignus, si creditor in rei obligatæ alienationem consenserit expresse vel tacite. Quid, si tantum sciverit rem alienari nec contradixerit, tum jure civili tum moribus circa mobilia & immobilia, 20. 6. 6. Tom. 3.
Quid, si alienatio, in quam consensit creditor, non sequatur, vel non eo modo, vel ab ea jam facta recedatur. An reviviscat pignus, si res postea redeat in dominium debitoris ex nova causa, 20. 6. 7. Tom. 3.
Quando verum sit, quando non, resoluto jure dantis jus pignoris resolvi. Ubi de usufructu finito qui obligatus erat; de pignore pignori dato, si debitor primus solvat; de emphyteusi aut superficie amissa; de re fideicommisso conditionali obnoxia, interim per fiduciarium pignori data; de re in diem addicta, vel sub lege commissoria vendita interim obligata, si venditio resolvatur. Quid, si obligata sit res, quæ vendita erat sub conditione, ut si displicuisset, reddere liceret; vel quæ ob vitium redhibetur, 20. 6. 8. Tom. 3.
An, rescissa venditione ob enormem læsionem, res interim per emptorem obligata redeat ipso jure libera ad venditorem, 20. 6. 9. Tom. 3.
Si jus pignoris ex conventione vel lege tantum ad certum tempus constitutum sit, dominus consenserit, rem suam usque ad annum obligari, lapso tempore res desinit obligata esse. Quid, si dominus directus consenserit in feudi oppignorationem, sed ea lege, ut intra sexennium luatur, 20. 6. 10. Tom. 3.
An extinguatur pignus, oblato alio pignore æque idoneo invito creditori, 20. 6. 11. Tom. 3.
An legale pignus pereat per conventionale vel fidejussores datos, 20. 6. 12. Tom. 3.
An sola oblatione debiti sine depositione, 20. 6. 13. Tom. 3.
An mutatione formæ rei obligatæ, vel nova specie facta. An debitor invito creditore possit domum pignoratam destruere aut formam rei mutare, 20. 6. 14. Tom. 3.
An priori creditori pereat suum pignoris jus, si consenserit, alteri creditori rem eandem obligari, 20. 6. 15. Tom. 3.
An, resoluto jure pignoris, ob chirographarium debitum pignus retineri possit. An & pro usuris debiti chirographarii, 20. 6. 16. Tom. 3.

Hypothecaria actio.

Vide *Scriptura actio & hypothecaria.*

I

Jactus.

Explicatio *l. 9. ff. ad leg. Rhod. de jactu*, 14. 2. 1. Tom. 3.
Quid fuerit cautum lege Rhodia de jactu. Quæ æquitas hujus legis, quæ non jactum, sed mercium conservationem considerat, 14. 2. 2. Tom. 3.

Lo-

Locus est huic legi, & contributioni, sive consentientibus sive invitis mercium dominis jactus sit factus, sive alii in eodem periculo projecerint, sive non; & sive in mari, sive in portu; serena vel turbida tempestate; si modo periculi amovendi causa, 14. 2. 2. Tom. 3.

Multa jactui similia habentur. Quid sit *avaria*, quæ vulgo in *magnam*, seu *grossam*, & *communem* dividitur, 12. 2. 3. Tom. 3.

Quæ pertineant ad *avariam magnam*, ubi de mercibus aspersione aquæ corruptis; mercibus in scapham conjectis & ita pereuntibus; de armamentis navis dejectis aut amotis; de mercibus datis, ut navis a piratis redimeretur, vel pretio redemptionis promisso, 14. 2. 4. Tom. 3.

Recensentur plura alia ad *avariam magnam* pertinentia; inter quæ, si navis vado hærens, cum nauta jactu facto potuisset navem salvam facere, sed maluit scaphis adhibitis merces educere, ut omnes salvæ essent; item si quis consulto navem in littus impegerit; & alia, 14. 2. 5. Tom. 3.

De variis impensis & damnis, quæ ad *avariam magnam* spectant: ubi & de damnis, cum navigandi societas (*admiraalschap*) inita esset, reparandis vel non, 14. 2. 6. Tom. 3.

Qui sumptus pertineant ad avariam communem, 14. 2. 7. Tom. 3.

Impensæ factæ in scaphas onerarias (*lichters*) & tributum, quod appellatur *lastgelt*, pro qua parte gravent dominum navis & mercium, 14. 2. 8. Tom. 3.

Recensentur casus, quibus damnum gravat ipsum mercium dominum, cessante contributione: ubi de mercibus effluentibus aut aliter corruptis, damnis navi per violentiam tempestatis illatis, nave post jactum pereunte, dum merces in scapham conjectæ salvæ sunt. Et quid juris, si merces jactæ vel cum navi mersæ, per urinatores extractæ sint, 14. 2. 9. Tom. 3.

De damnis dolo vel culpa magistri datis, per ipsum aut exercitores reparandis: ubi de non assumptis vadorum peritis, (*lootsen*) de nave plus justo onerata, aut mercibus male collocatis, 14. 2. 10. Tom. 3.

Qua via, & quibus actionibus, domini mercium salvatarum obtineant contributionem; & quamdiu durent hodie actiones ad eam impetrandam, 14. 2. 11. Tom. 3.

Qui debeant contributionem facere. An & dominus navis. An & illi, qui mutuum numerarunt sub pignore carinæ (*op bodemerye*). An domini mercium jactarum. Et quid, si jactæ, cum necdum medium itineris absolutum esset, 14. 2. 12. Tom. 3.

Nihil refert, quales res jactu salvatæ sint, an magni, an parvi ponderis: & quid in eo, quod socii nautici ex more sine naulo transvehunt. Quid juris, si merces jactæ, quæ non ab initio, sed post emensam itineris partem, fuerant navi impositæ, 14. 2. 13. Tom. 3.

Si ignaro navis totius conductore magister merces alias imposuerit, & hæ jactæ sint, an & tunc conductor ex suis salvatis contribuere debeat, 14. 2. 13. Tom. 3.

Non contribuendum ex esculentis & potulentis in dies proximos consumendis; nec hodie ex vestimentis quotidianis, 14. 2. 14. Tom. 3.

Esculenta non fiunt ipso jure communia in navi in casu necessitatis, 14. 2. 14. Tom. 3.

Non contribuendum ex salvatis, si postea casu perierint, antequam ad locum destinatum perlatæ essent, 14. 2. 5. Tom. 3.

Æstimandæ sunt merces jactæ & salvæ: jactæ quanti emptæ, salvæ quanti vendi possunt: quo ipso omnimodam observari æqualitatem demonstratur, 14. 2. 16. Tom. 3.

Quo modo hodie merces salvæ & jactæ æstimentur, 14. 2. 16. Tom. 3.

Etiam pecuniæ jactæ vel salvatæ intuitu contributio locum habet, & æstimatur non ex valore imposito, sed secundum internam materiæ bonitatem, 14. 2. 17. Tom. 3.

Sarcinæ jactæ æstimantur, prout extrinsecus apparent, non item pretiose, quæ clam iis inclusa; nisi magister mature sit monitus, vel nisi pretiosa illa non jacta, sed salvata proponantur, 14. 2. 17. Tom. 3.

An ædibus dirutis ob ortum incendium, ne latius serpat, vicinia domino ædium id reparare debeat, 14. 2. 18. Tom. 3.

De aliis legis Rhodiæ capitibus, 14. 2. 19. Tom. 3.

Ignorantia juris & facti.

Error justus non nocet errantibus. An hodie ob errorem justum restitutio petenda sit. An noceat error juris. An juris statutarii. An error juris excuset a dolo. An a culpa, 22. 6. 1. & seqq. Tom. 3.

Illata invecta.

Vide *tacita hypotheca*.

Immobilia.

Multa natura sua mobilia pro immobilibus habentur, quia immobilibus hærent, 1. 8. 15. Tom. 1.

Item ex destinatione patris familias, aut legis dispositione, 1. 8. 14. Tom. 1.

An immobilis sit pecunia emptioni prædiorum destinata, 1. 8. 15. Tom. 1.

An immobile habendum sit pretium ex immobilibus redactum, 1. 8. 16. Tom. 1.

An navigia & molendina sint immobilia, 1. 8. 11. Tom. 1.

Reditus annui an mobilibus an immobilibus accensendi sint, vide *reditus*.

De immobilibus hypothecæ vel pignori obligandis, vide *hypotheca*. Vide alia ad verbum *mobilia*.

Immunitas.

Qui allegat immunitatem a vectigalibus, eam probare debet. Concedit eam Princeps. An & magistratus circa vectigalia municipii. An Princeps post factam locationem vectigalium. Rescripta immunitatis an præsumantur per obreptionem impetrata. An præscriptione immunitas acquiratur, 39. 4. 26. Tom. 5.

Qui habuerint immunitatem. Ubi de legatis, fisco, Principe, studiosis, navicularis rem suam gerentibus, militibus; item de rebus exercitui vel usus causa paratis, tum jure civili, tum moribus; & de fructibus horariis (vulgo *fruyten*) in proprio natis & consumptis, vel alteri donatis; & de abrogata immunitate portionis, quam sine naulo magistri & socii nautici transvehunt, *verlinge*, 39. 4. 28. Tom. 5.

Qui amplius apud nos gaudeant immunitate vectigalium. An & societas Indica. Quales Hollandiæ civitates sint immunes a telonio, 39. 4. 29. Tom. 5.

Quid juris, si bona pertineant ad duos, quorum alter immunis est, alter non. Quid, si bona immunia & immunia mixta sint, 39. 4. 30. Tom. 6.

Unde dijudicandum sit, quo usque se extendat data immunitas. An ex præscriptione, & an ei hic locus sit. De stricta immunitatis interpretatione. In dubio concessa præsumitur a solis personalibus, non patrimonialibus; data a vectigalibus, ad præsentia, non futura, pertinet. Quid, si vetera tantum aucta sint. Prædiis concessa, ad sola præsentia, non post quæsita, spectat. Quid, si præsentia alluvione creverint, 50. 6. 2. Tom. 5.

An immunitas in dubio personalis, an realis sit, & ad hæredes transeat. Quid, si personæ propter militiam aut dignitatem data sit, non ipsis rebus. Quid, si tunc persona talis militare desierit. Quid, si immunitas personæ data sit ob benemerita, 50. 6. 3. Tom. 6.

Ad quales successores transeat immunitas *generi & posteris data*. Quid, si data liberis & posteris, 50. 6. 4. Tom. 6.

Collegio data an prosit surrogatis in collegio. An, si singulis membris nominatis, aut quibusdam ex collegio, data sit. An prosit assumptis in collegium, qui non agnnt agenda, vel carent aliquo requisito per legem immunitate donantem, 50. 6. 5. Tom. 6.

An patrifam. data prosit uxori liberisque? Si uxori, an tunc & viduæ. An emptori competens prosit ei, qui ex retractu feudum avocat. An immunitas personalis proprietarii prosit colono aut fructuario, aut emptori in casu venditionis, 50. 6. 6. Tom. 6.

Immunitas data non operatur, ubi est urgens reipublicæ necessitas, vel penuria eorum, qui munera vel honores gerere possunt. An quis immunitate gaudens, eam amittat in futurum ex eo, quod quædam sponte subierit. Quibus modis aliis cesset immunitatis concessio, 56. 6. 7. Tom. 6.

De immunitatibus nundinarum majorum, vide *nundinæ*.

Ex quibus causis immunitas a muneribus aut honoribus competat, & a quibus latius explicetur, 50. 5. 2. & seqq. Tom. 6.

Impensæ.

Quales impensas recuperet qui hæreditatis petitione convenitur, vide *petitio hæreditatis*.

Quales impensas recuperet conventus rei vindicatione, & an ac quando impensæ cum fructibus compensandæ sint, aliaque, vide *vindicatio*.

An & quo usque emphyteuta, finita emphyteusi repetere possit impensas & meliorationes, vide ad vocabulum *emphyteusis*.

Quales impensas repetat socius judicio communi dividundo, 10. 3. 3. Tom. 3.

De impensis in funus, vide *funus*.

Quæ sint impensæ necessariæ. Quo sensu verum sit, impensas necessarias ipso jure dotem minuere. Quid intersit hic in-

inter impensas in præsentem, & in perpetuam rei dotalis utilitatem factas. Quid inter necessarias factas, & faciendas, sed omissas, si casus incendii aut similis, rei dotali supervenerit, 25. 1. 1. Tom. 4.

An & quando moribus nostris impensæ necessariæ dotem minuant aut deducendæ sint. Et quo modo æstimandæ, si maritus suum aut uxoris feudum muniverit adversus fluminis edacitatem, 25. 1. 2. Tom. 4.

Quæ sint impensæ utiles, & quibus modis repetendæ, si in dotem factæ. An & mediante compensatione. An & quo modo moribus nostris utiles impensæ repeti possint, & quo modo æstimandæ. Si maritus jactis molibus sui aut uxorii fundi alluvionem auxerit, quo modo tunc æstimandæ. Et an tunc alluvio pertineat ad acquæstus, 25. 1. 3. Tom. 4.

Quid sint voluptuariæ impensæ. An & quo usque recuperari possint in dotem factæ, jure civili & moribus. Quando habeantur pro utilibus, 25. 1. 4. Tom. 4.

Si maritus in fundo dotali lapicidinas aperuerit, an impensam repetat. Cui cedant lapides educti. Quid moribus, 25. 1. 5. Tom. 4.

Impensa litis.

Vide *sententia.*

Imperium.

Jurisdictioni cohæret imperium. Quid illud sit, & an etiam in voluntaria jurisdictione inveniatur, 2. 1. 38. Tom. 1.

Quid sit merum imperium, & in quibus consistat, 2. 1. 39. Tom. 1.

Cur dicatur merum imperium, & an in sola consistat punitione, 2. 1. 40. Tom. 1.

An magistratus municipales habuerint merum imperium, an hodie, an & curia provincialis, 2. 1. 41. Tom. 1.

Quid sit imperium mixtum, & quæ eo pertineant, 2. 1. 42. Tom. 1.

Imperium mixtum distinctum natura sua est a jurisdictione. Et cur plura in jure quandoque imperio quandoque jurisdictioni adscribantur, 2. 1. 43. & 44. Tom. 1.

Par in parem non habet imperium. Vide *Jurisdictio.*

Implantata.

Implantata & sata in alieno, cui cedant. Cui arbor in confinio posita. Quibus remediis impensæ recuperet, qui sciens alienum fundum consevit. An arboris in alieno plantatæ dominus arborem erutam vindicare possit, 41. 1. 25. Tom. 5.

Incendium.

De incendio in ædibus orto, vel ex stipula incensa, vel ex eo quod fornacarius ignem negligentius habuit, de ædibus vicinis incendii arcendi gratia dejectis, similibusque, vide *Aquilia lex.*

An ædibus dirutis ob ortum incendium, ne illud latius serpat, vicinia domino id reparare debeat, 14. 2. 18. Tom. 3.

De pœnis eorum, qui incendia dolo vel culpa excitarunt. De incendiis per sceleratos in Brabantia excitati damno communiter ferendo per universitatem, in cujus territorio id contigit, 47. 9. 5. Tom. 6.

Incertum.

Incertum quibus in casibus peti possit, 3. 13. 5. Tom. 1.

Incestus.

Quid sit. Quis Romanis fuerit incestus juris gentium, quis juris civilis, 48. 5. 19. Tom. 6.

De pœnis incestus per nuptias, per stuprum, per adulterium commissi, per scientes aut ignorantes, masculos aut fœminas jure civili ac moribus. De pœnis copulantium eos, qui incestas nuptias contrahunt. An liberi ex incestu, per errorem commisso, parentibus legitimi nunc censeantur, 48. 5. 20. Tom. 6.

Incolæ.

Vide *municipia.*

Incorporalia.

Incorporalia moribus plerumque ad mobilia aut immobilia reduci solent, 1. 8. 18. & *multis seqq.* Tom. 1.

Quandoque tamen considerantur adhuc hodie ut species a mobilibus & immobilibus distincta, 1. 8. 29. Tom. 1.

Indebitum.

Quid sit indebiti condictio, & in quo mutuum distet ab indebiti solutione, 12. 6. 1. Tom. 3.

Non habet locum, si solutum sit, quod naturaliter debitum; nec si id, quod vere debitum, more improbato exactum sit, licet exigens aliter coerceatur, 12. 6. 2. Tom. 3.

An pendente die vel conditione condici possit, quod ante diei vel conditionis debito appositæ, existentiam solutum est. De interusurio casu, quo sortis condictio fieri non potest, 12. 6. 3. Tom. 3.

Tutus exceptione perpetua in suum favorem introducta, si solverit per errorem, solutum repetere potest: quod exemplis docetur: tres tamen casus excipiuntur. Sed si exceptio in odium adversarii introducta sit, solvens non repetit; quod inter alia etiam obtinet hodie in exceptione biennii, intra quod debita plurima ex constitutione Caroli V. sunt exigenda, 12. 6. 4. Tom. 3.

Quo modo condictio competat & electio, si pars soluti sit indebita; vel utraque res soluta sit, cum alterutra esset debita; vel una res sit soluta velut unice debita, cum res in genere esset debita, vel duæ res alternative, & quid, si alterutra post solutionem interierit, cum utraque alternatim debita soluta esset? Item quid juris, si duo rei debendi, vel debitor & fidejussor, singuli totum corpus aut quantitatem, vel singuli rem unam ex alternative debitis, solverint iisdem vel diversis temporibus, 12. 6. 5. Tom. 3.

Competit tantum ei, qui ignorans indebitum ignoranti solvit. Quid, si sciens scienti vel ignoranti solverit, quid si dubitans, 12. 6. 6. Tom. 3.

Quod per errorem juris indebite solutum est, condici nequit; quod & moribus obtinere debet, 12. 6. 7. Tom. 3.

Quibus detur hæc condictio: ubi de tutoribus, procuratoribus, qui pro pupillo vel domino solverunt indebitum, 12. 6. 8. Tom. 3.

Quis condicat, si primus indebitum promiserit, ac fidejussor ab eo datus id solverit. Quid juris, si fidejussor pro vero debito fidejusserit, & solverit deinde quasi principalis debitor esset? vel postquam ipse interposuisset pactum de non petendo? Et generaliter, quid juris sit, si quis solverit, quod ipse non debebat, alius tamen debeat accipienti, 12. 6. 9. Tom. 3.

Datur quandoque condictio indebiti aliis, quam qui solverunt, dum illi, qui instituti erant, legata, quandoque & debita solverunt, ac dein restitutione vel aliis modis, ob testamentum injustum, falsum, inofficiosum, ab hæreditate depulsi sunt, 12. 6. 10. Tom. 3.

Contra quos hæc actio detur? An contra eos quibus solutio profuit? An contra fiscum, si quæstori ærarii indebitum solutum sit? An contra dominum, cujus procuratori solutum quod debitum non est? Et quid, si adjecto vel delegato indebitum solutum sit, 12. 6. 11. Tom. 3.

Ad quid tendat condictio indebiti, si factum aliquod indebite præstitum sit. Vel possessio indebite translata? Et quid, si res possessa per eum, cui tradita, jam usucapta sit. Quid, si corpora indebite soluta per accipientem distracta sint, vel perierint. Et an cum sorte indebite soluta usuræ sint reddendæ, si eam medio tempore accipiens fœnori collocaverit, 12. 6. 12. Tom. 3.

Si sors debita soluta sit, usura indebita, non possunt condici usuræ, nisi solutæ sint supra legitimum usurarum modum, 12. 6. 13. Tom. 3.

Cui incumbat onus probandi, indebitum debitumve esse, quod solutum est. An & probasse censeatur indebiti solutionem, qui de eodem debito duas producit apochas diversorum temporum, quarum posterior nullam prioris mentionem habet, 12. 6. 14. Tom. 3.

Cessat indebiti condictio, si solutum sit ex causis, in quibus lis inficiando crescit in duplum, vel ex causa transactionis, rei judicatæ, jurisjurandi. Recensentur tamen quædam exceptiones, 12. 6. 15. Tom. 3.

Cessat, si specialiter, non generaliter, huic condictioni renunciatum sit; vel insignis pietatis ratio comitetur solutionem, veluti dotis, aut commiserationis, 12. 6. 16. Tom. 3.

Denegatur, quoties solutum ex causis, ex quibus retentionem quidem habemus, at non petitionem. Item, si naturaliter debitum sit. Recensentur casus varii, quibus id, quod naturaliter debetur, si solutum sit, repeti tamen potest, 12. 6. 17. Tom. 3.

An pœna indebite soluta condici possit hac condictione, 12. 6. 18. Tom. 3.

Si uxor debitum clam viro stante matrimonio contraxerit, illudve vel stante matrimonio solverit clam viro, vel post dissolutum matrimonium, an maritus vel ipsa repetere solutum possit stante matrimonio, vel eo jam dirempto, secundum mores Hollandiæ & Ultrajecti, 12. 6. 19. Tom. 3.

Occasione solutionis indebiti explicatur *l. frater a fratre* 38. *ff. de condict. indebiti*, 12. 6. 20. Tom. 3.

Indignus.

Indignis ablata fisco cesserunt cum onere. An excluso substituto. Indignus hæreditate Titii an succedere possit Mæ-

Mevio, qui Titii hæres fuit. An sicarius hæredi ejus, quem occidit, 34. 9. 1. Tom. 5.
Quandoque indignis ablata non cedunt fisco. Ubi de relictis tutori, ut tutor sit; de legatario testamentum supprimente, ut fraudet institutum; de matre liberis tutorem non petente; hærede intra annum defuncti voluntatem non implente; muliere intra annum luctus nubente, & aliis, 34. 9. 2. Tom. 5.
Quando ablata fisco cesserint. Ubi de accusantibus testatorem capitis, aut deferentibus; de relictis focariæ a milite; incestuosæ vel adulteræ ab adultero; item de his, qui testamentum dixerunt falsum, inofficiosum, non jure factum, aut petierunt possessionem contra tabulas; & quid moribus, 34. 9. 3. Tom. 5.
De iis, quorum nomina a testatore deleta, & qui matrem pupilli, cui substituti, accusarunt partus suppositi; item de iis, qui prius recte instituti, si postea incapaces instituantur; aut testator institutos declaret in codicillis indignos, 34. 9. 4. Tom. 5.
De relictis incapaci per tacitum fideicommissum. Quando clam fides de restituendo incapaci videatur accommodata. An sola proximitas inducat hanc præsumptionem, institutis parentibus, liberis, fratribus incapacis. Ad quid teneatur executor testamenti, si præsumptio sit, illum rogatum incapaci præstare. An tunc incapax sese deferens, partem relicti capiat, 34. 9. 5. Tom. 5.
Indignus, qui testatorem occidit, cujusve negligentia periit. An & perdat legata, mortis causa donationes, aut capiones. An relicta debeantur, si testatur post lethale vulnus diutius superstes, ea non revocet, 34. 9. 6. Tom. 5.
An indignus, qui injuriis provocatus testatorem occidit, veluti adulterum uxoris suæ, aut uxorem adulteram. Aut aggressorem, si observaverit, vel excesserit, inculpatam tutelam, 34. 9. 7. Tom. 5.
An indignus, qui tantum tentavit occidere, vel gravi affecit injuria; vel occidit fratrem, patrem, filium testatoris. An indignus maneat, si cum proximis transegerit de cæde, 34. 9. 8. Tom. 5.
Pœna indignitatis non egreditur eam partem aut rem, cujus intuitu causa indignitatis commissa est; actiones tamen & servitutes aditione confusæ non reviviscunt post ablationem hæreditatis, 34. 9. 10. Tom. 5.
Indignum se faciens, sibi, non aliis nocet. An occidente ante occisum mortuo, filius ejus occiso hæres fiat. An fratres germani fratri suo per patrem occiso. Item de tutoribus, suo vel pupilli nomine quid facientibus, ex quo indignitas oritur, aliisque, 34. 9. 11. Tom. 5.
Moribus ea, quæ indignis ablata, fisco non cedunt. Ubi remaneant tum testamento data, tum donata. Et an substitutus præferatur in iis hæredi legitimo, 34. 9. 12. Tom. 5.

Inædificatio.

Inædificata cui cedant. Et quid, si solo non cohæreant. Quo modo dominus tigni juncti indemnitatem consequatur, 41. 1. 24. Tom. 5.

Infamia.

An moribus nostris infamis sit aut pro confesso ac convicto habeatur, qui super crimine graviori cum privato læso vel accusatore publico transegit, 2. 15. 20. Tom. 1.
Quinam laborent infamia juris, 3. 2. 1. Tom. 1.
An infames sint minores quæstus gratia in scenam prodeuntes, an militia exauctorati, an relegati, fustigati, stellionatus damnati, 3. 2. 1. Tom. 1.
Damnati judicis mandato, tutelæ, depositi, pro socio, directis ob dolum infames sunt: raro si judiciis contrariis. An & infames damnati ob latam culpam versutiæ aut negligentiæ, 3. 2. 2. Tom. 1.
Quid sit infamia facti, qui ea laborent. An qui bonis cesserunt, an concubinæ, an spurii, 3. 2. 3. Tom. 1. & 3. 2. 10. Tom. 1.
Quid sit effectus infamiæ facti, 3. 2. 4. Tom. 1.
Evitatur infamia graviore alia pœna imposita; sententia in procuratorem, similesque lata; satisfactione ante sententiam, quoties non nisi ex sententia infligitur, 3. 2. 5. Tom. 1.
Quo modo per appellationem infamia suspendatur, 3. 2. 6. Tom. 1.
Evanescit infamia restitutione per Principem, aut senatum, quandoque per prætorem, facta, 3. 2. 7. Tom. 1.
An in uno loco infamis ex sententia ubique pro tali habendus, 3. 2. 8. Tom. 1.
Non tam facile hodie infamis irrogatur, quam jure Romano, quod exemplis docetur; nec infames sunt privato furti vel injuriæ judicio damnati, licet ad palinodiam, 3. 2. 9. Tom. 1.

Infirmatio testamenti.

De infirmatione testamenti ob liberorum præteritionem, vide *liberi*.
De revocatione testamenti apud acta vel coram quinque testibus, & concurrente decennii lapsu. An testator possit solenniter coram septem testibus suum revocare testamentum, vel nunc coram tabellione & duobus testibus. Quid, si coram tabellione & duobus testibus inscribat testamento clauso & indorsato, se illud revocare. Quid, si, cum sibi testamento reservasset expressionem nominis hæredis, illud expresserit, ac postea deleverit, aliudque supra scripserit, 28. 3. 2. Tom. 4.
De ruptione testamenti prioris per posterius ex jure communi vel privilegio recte conditum. An testamentum patris inter liberos revocari possit per posterius privilegiatum; & an expressa revocatio requiratur. Cur pacta dotalia expresse debeant revocari jure hodierno, non item testamenta, 28. 3. 3. Tom. 4.
Ut prius rumpatur per posterius, necesse est, ut ex posteriore adiri possit hæreditas, non item ut re ipsa adeatur, 28. 3. 4. & 5. Tom. 4.
Prius ruptum per posterius non convalescit iterum, si posterius deinde jure civili aut prætorio infirmetur: at omnino, si testator solemniter revocet aut incidat posterius, cum declaratione, quod id facit, ut prius ratum fiat, 28. 3. 5. Tom. 4.
Recensentur casus, quibus prius rumpitur testamentum per posterius imperfectum, 28. 3. 6. Tom. 4.
Quid, si testator posteriore jusserit, ut prius valeret. Quid, si posterius condiderit, credens, scriptum in priore mortuum esse, & is testatori superstes sit, 28. 3. 7. Tom. 4.
Hodie quisque pluribus relictis testamentis decedere potest, ut omnia valeant. Quid, si sibi sint contraria. Expressa demum revocatione priora infirmantur per posteriora, 28. 3. 8. Tom. 4.
Si duo testamenta eodem tempore condita producantur, nec appareat, quodnam postremum sit, an & quando alterutrum vel utrumque valeat, 28. 3. 9. Tom. 4.
Revocationem testamenti non impedit pactum aut jusjurandum de non revocando. An clausula derogatoria posterioris testamenti; si testator caverit, ne alia voluntas posterior rata sit, nisi cui ipse certam verborum formulam, in priore expressam, inseruerit, 28. 3. 10. Tom. 4.
Si plures una tabula testati sint, an, & quando, & quo usque unus sine altero testamentum mutare possit, 28. 3. 11. Tom. 4.
De irrito testamento. An hodie irritum fiat per capitis diminutionem. An per migrationem ad locum, in quo is, qui alibi testatus fuerat jure, necdum per ætatem aut aliter testari poterat, testamentum fiat irritum quoad mobilia. An &, si testamento Hollandus uxorem instituerit, & postea migret Ultrajectum, ubi id illicitum, 28. 3. 12. Tom. 4.
An convalescat testamentum Hollandi in Hollandia conditum, sed per migrationem ad ditionem Ultrajectinam irritum factum, si is Ultrajecti impleat 18. ætatis annum? An non, si mutato domicilio rursus in Hollandiam revertatur, 28. 3. 13. Tom. 4.
Irritum etiam fit, non adita hæreditate. An tunc adhuc legata debeantur. An irritum fiat, si testator capitis damnetur, aut sibi mortem consciscat. Et quid, si contra damnationem restituatur, 28. 3. 14. Tom. 4.
Quid juris, si testamentum consulto deletum, incisum, corruptum sit. Quid, si id contigerit in nostratibus testamentis clausis. Quid, si ex pluribus exemplaribus unum consulto deletum sit. Quid, si tantum exemplum incisum aut deletum. Quid, si sit exemplum ex protocollo notarii descriptum, 28. 4. 1. Tom. 4.
Quid, si inconsulto a testatore vel tertio deletum sit, aut incisum. Quid, si mures illud roserint, 28. 4. 2. Tom. 4.
Quid juris, si pars testamenti deleta sit, circa deleta & non deleta. Si sola sint inducta hæredum nomina, an adhuc debeantur legata. Cui cedat hæreditas, deletis hæredum nominibus. An substituto, sit instituti nomen deletum sit. Quid, si unius tantum hæredis nomen deletum sit, vel omnium quidem, sed addito, quod testator unum tantum hæredem offensum habet, 28. 4. 3. Tom. 4.
Quando & ex quibus circumstantiis testamentum præsumatur consulto vel inconsulto deletum aut incisum, 28. 4. 4. Tom. 4.

Ingenuus.

Si ingenuus esse dicetur, 40. 14. 1. Tom. 5.

Ingressus in monasterium.

Vide *monasterium*.

In-

Inhibitio.

De inhibitione executionis ob appellationem, & attentatis, vide *appellatio.*

Injuria.

Quid sit. Qui eam inferre possint. An pupilli, furiosi, dormientes, ebrii. An ebrii peccantes dolo careant. An & quo usque ebrietas aut ira in injuriis verbalibus excuset, 47. 10. 1. Tom. 6.

An & quando injuriam faciant magistratus, judices subjectis ac litigantibus; præceptores discipulis; apparitores executionem facientes, creditores bona debitorum occupantes, vel quasi debitorum, qui non sunt. An maritus post divortium petens ventris inspectionem; verberibus aut alia atrocitate abutens maritali potestate. An patronus aut parens libertos liberosve crudeliter coercens; aut magister navis socium nauticum. Et ubi tunc conveniendus sit, 47. 10. 2. Tom. 6.

An teneatur, qui injuriam inferri mandavit, suasit, procuravit. An qui alieno jussu fecit. Quid, si jussu patris aut domini. An maritus nunc conveniri possit ex injuria per uxorem tertio facta, 47. 10. 3. Tom. 6.

Qui possint injuriam pati. An volentes, infantes, furiosi. Quid juris, si quis servis propriis vel alienis injuriam intulerit. An ob verbales, aut reales injurias homini levissimo & moribus indigno illatas detur actio injuriarum, 47. 10. 4. Tom. 6.

An & quo modo defunctis fiat injuria verbalis aut realis. An & quo modo tunc hæredibus injuriarum actio detur. An & filiis, qui patris, post obitum injuria affecti, repudiarunt hæreditatem, 47. 10. 5. Tom. 6.

An domini, possessores bona fide, fructuarii, injuriam patiantur per servos læsos. An hodierni domini, ex injuria famulis ancillisve facta. An pater per filios in potestate, aut emancipatos. An maritus, sponsus, per uxorem aut sponsam. An & quando sponsa, uxor, vidua, per injuriam marito defuncto aut viventi factam. An magistratus aut judex per apparitores; dominus per vasallos; Princeps per legatos, abbas aut monasterium per monachos; cognatio vel familia per unum de cognatione aut familia. Quid, si injuriam inferens his, ignoret esse filiumf. uxorem &c.? Quid, si ignoret cujus sit. Quid, si putet esse filiumf. Titii, cum esset Mævii. Quid, si Titio injuriam inferat, putans eum esse Mævium, 48. 10. 6. Tom. 6.

Recensentur plurimi modi continentes speciem realis injuriæ, aut saltem eo reducendi, 47. 10. 7. Tom. 6.

Recensentur modi, qui ad verbalem pertinent injuriam, 47. 10. 8. Tom. 6.

An excuset conviciatorem præfatio honoris aut convicii veritas. Quid, si in casibus, quibus veritas excusat, probatio fiat, sed non plene. Quid, si doceatur de fama publica. Quid, si nominetur auctor convicii, 47. 10. 9. Tom. 6.

Quo modo literis fiat injuria. Ubi præcipue de libello famoso, carmine, historia, comœdia, &c. An sit famosus libellus, cui auctor nomen proprium addidit. An, si in vago tantum sit conceptus, nec certa persona designata, quæ lædatur. An excuset veritas in famoso libello objectorum, 47. 10. 10. Tom. 6.

Quo modo consensu injuria fiat, 47. 10. 11. Tom. 6.

Quo modo prospici possit ei, qui injurias ab alio metuit. An sub pœna promittens, se Titio injuriam non illaturum, teneatur ad pœnam, si eam inferat uxori Titii? Qui dicit, injuriam sibi factam esse, id probare debet. An & dies ac locus probari debeant. An probari possit per jurisjurandi delationem, 47. 10. 12. Tom. 6.

De antiqua pœna injuriæ. De actione prætoria injuriarum, & de æstimatione injuriæ, ad quod tempus referenda sit. Et quibus circumstantiis crescat. An & ex habitu ac vestitu injuriam passi. Ex uno facto pluribus injuriarum actio nasci potest, nec unus agens alteri præjudicat, 47. 10. 13. Tom. 6.

De actione injuriarum civili ex lege Cornelia. Ob quam injuriam, quibus, aut ob quid detur, 47. 10. 14. Tom. 6.

De criminali persecutione extraordinaria injuriæ, & quibus pœnis tunc rei coercendi sint, jure civili ac moribus, 47. 10. 15. Tom. 6.

De criminali publico injuriarum judicio contra eos, qui ministris sacrorum aut sacris ipsis injuriam inferunt, aut libellos famosos componunt; deque pœna eorum ex jure civili & moribus, 47. 10. 16. Tom. 6.

De actione ad palinodiam. An civilis an criminalis sit. An infamet. Locum habet in injuriis verbalibus. An & quomodo in his, quæ scripto publico vel privato illatæ. In realibus locus est deprecationi, non recantationi; uti & in verbalibus, si exprobrata plene, aut fere plene probata sint. An hodie injuriam passus cumulare possit uno libello actionem *ad amendam honorabilem & profitabilem*. An vili & abjecto homini etiam competat actio æque ad amendam honorabilem ac profitabilem. An actio ad palinodiam evanescat morte ejus, qui injuriam passus. An perpetua sit. An & in realibus actio ad deprecationem & *amendam profitabilem*. Quibus remediis præsens vel absens cogatur ad *amendam honorabilem*, 47. 10 17. Tom. 6.

Privati apud nos tantum agunt ad amendam honorabilem & profitabilem, & ex lege Aquilia ad indemnitatem. Criminaliter tantum agunt publici accusatores. Quo modo hi se jungant privatis injuriarum agentibus. An tunc reus per procuratorem se possit tueri, 47. 10. 18. Tom. 6.

Cessat actio injuriarum, si quis eas ad animum non revocaverit. An dissimulasse videatur, si ad eas illatas siluerit, 47. 10. 19. Tom. 6.

Cessat, si ex parte ejus, qui læsit, animus injuriandi desit. Unde id colligatur. Ubi de verbis per se injuriosis, aut ambiguis: de interrogatis intuitu artis suæ ac perperam respondentibus, de magistratibus, præceptoribus, oratoribus objurgantibus; honorem alteri decerni impedientibus; munus onerosum imponentibus: per jocum aut errorem quid admittentibus; sui defendendi causa quid objicientibus, injurias retorquentibus, aut retorsionis modum excedentibus; testi sibi adverso quid ad fidem minuendam opponentibus. Et quid, si non possint plene probare objecta. De agentibus aut excipientibus de spolio; defectum natalium legitimorum aut nobilitatis allegantibus, ut impediant dignitatem solis nobilibus deferendam, 47. 10. 20. Tom. 6.

Prætoria actio perit anno. Unde is incipiat currere. Mulier de stupro sibi violenter illato intra sex septimanas in nonnullis locis agere debet. De duratione actionis ex lege Cornelia; judicii publici criminalis; actionis ad amendam honorabilem & profitabilem, 47. 10. 21. Tom. 6.

Cessat injuriarum actio morte inferentis & patientis injuriam. Quid, si ante mortem rei sit facta litis contestatio. Pro litis contestatione est, si reus ter citatus defuerit, & post moriatur, 47. 10. 22. Tom. 6.

Cessat satisfactione, pacto, transactione, jurejurando, revocatione verbalium injuriarum ante litem contestatam; remissione: quo modo illa tacite fiat. An per remissionem a læso factam cesset hodie publica criminalis persecutio. An remissio per unum facta noceat aliis, qui ex eodem facto injuriam passi sunt. An patris remissio noceat filio, aut vice versa, 47. 10. 23. Tom. 6.

Judicio civili injuriarum tollebatur jure Romano criminale & vice versa. Prætor tamen aliquando injungebat, ut criminaliter ageretur. Moribus utrumque potest concurrere, uti & ad indemnitatem actio, quæ non perimitur transactione super injuriis facta, 47. 10. 24. Tom. 6.

An in jus vocatio.

Vide *vocatio.*

In litem jurare.

Vide *jusjurandum in litem.*

Innominatus contractus.

Vide *contractus innominati.*

Inofficiosa donatio.

De revocanda inofficiosa donatione, vide *donatio.*

Inofficiosum testamentum.

Vide *querela inofficiosi testamenti.*

Inquisitio.

Quid sit inquisitio generalis in crimen, quid specialis. Moribus antecedere solet accusationem, 48. 2. 17. Tom. 6.

De modo inquisitionis in crimen aliisque eo pertinentibus, de reo carcerato quantocius examinando, licet jam petierit libello remissionem a Principe. Qui examini possint adesse, de non permisso aditu ad reum ante examen &c., 48. 2. 18. & seqq. Tom. 6.

In rem versio, & actio de in rem verso.

Vide *versum in rem.*

Inspectio ocularis.

Vide *fines.*

Instantia litis.

Vide *litis instantia.*

In-

Institor, institoria actio.

Qui veniunt appellatione institorum, 14. 3. 1. Tom. 3.

Quibus detur actio institoria. An ei, qui cum substituto contraxit? Contra quos, & quo usque obligentur pupilli sine tutore præponentes, aut præponenti hæredes existentes. Si plures præposuerint, quo modo teneantur jure civili ac moribus. Quo modo liberari possunt tabernam derelinquendo, 14. 3. 2. Tom. 3.

Tendit ad id, quod institoris contractu continetur, modo ejus rei gratia, cui præpositus est contraxerit. Quid, si contraxerit post mortem præponentis, mortis non ignarus, 14. 3. 3. Tom. 3.

Obligat institor præponentem & contrahendo & delinquendo, quod monstratur exemplis libitinarii, pistoris, & pharmacopolæ, 14. 3. 4. Tom. 3.

Institor tradendo transfert dominia rerum, recte ei pretia rerum venditarum solvuntur, de pretio fidem habet, etsi prohibente domino, modo emptor in bona fide sit. An a se ipso emere possit rem præponentis, 14. 3. 4. Tom. 3.

Cessat hæc actio, si mandatum palam revocatum sit. Et quid, si institor tabellam revocationis corruperit. Quid si præponens ex contractu post revocatum mandatum initio locupletior factus sit, 14. 3. 5. Tom. 3.

An quando institor ipse conveniri possit ex suo contractu, secundum jus civile & hodiernum, 14. 3. 6. Tom. 3.

An præponens ex contractu institoris agere, rerum venditarum pretia exigere, res institori venditas & traditas vindicare possit, si doceat, suis nummis eas per institorem emptas esse, 14. 3. 7. Tom. 3.

Ad quid institor præponenti teneatur, 14. 3. 8. Tom. 3.

Ad quid præponens teneatur institori. An cogi possit, ut patiatur, sibi ab institore rationes reddi, 14. 3. 9. Tom. 3.

An institor compensatione impensas servare possit. An retentione mercium sibi commissarum sibi consulere, cum eas ipse præponens vendidisset ac tradi mandasset, 14. 3. 9. Tom. 3.

Institutio hæredis.

Vide *hæres*.

Instrumentum.

An valeat Instrumentum scriptum a tabellione putativo, vel extra territorium ejus, qui tabellionem creavit, aut creatum admisit; vide *tabellio*.

Editio instrumentorum, vide *editio*.

An aliquid operetur instrumenti productio ante litem contestatam facta, 22. 3. 12. Tom. 3.

An post conclusionem in causa produci possit instrumentum authenticum, cujus exemplum ante productum fuerat, 22. 3. 15. Tom. 3.

An instrumenta etiam in criminalibus possint fidem facere, 22. 4. 1. Tom. 3.

Quid sint instrumenta publica, quæ auctoritate publica conficiuntur. Acta publica non sunt ex locis, in quibus asservari solent, transferenda, 22. 4. 2. Tom. 3.

De instrumentis publicis a tabellione confectis. Quæ requisita eorum ex jure Romano & hodierno. De protocollo per tabellionem habendo. An id propria tabellionis manu scribi debeat. An instrumentum sit nullum, si tabellio protocollum facere neglexerit. Debet tabellio aut saltem testis uterque novisse eos, qui contrahunt aut testantur. Si ob neglectas a tabellione solemnitates instrumentum sit nullum, tenetur tabellio læsis ad id quod interest, 22. 4. 3. Tom. 3.

An instrumentum legitime a tabellione factum ubique fidem faciat. An & in locis, ubi tabellionum usus non est, 22. 4. 4. Tom. 3.

Quibus in casibus tabellio non majorem mereatur fidem quam alius privatus. Quid si gestis præsens non fuerit? Quæ fides ejus, quatenus de sana mente testatoris & similibus testatur? An sibi aut suis adscribere, vel alios obligare possit? An pater tabellio filii testamentum excipere, aut vice versa, 22. 4. 5. Tom. 3.

De fide instrumentorum quasi publicorum tribus testibus munitorum; de instrumentis confectis per actuarios consulum nationis Belgicæ alibi negotiantis; de libro auctionarii publici; de actis collegiorum, civitatum, Ecclesiarum, 22. 4. 6. Tom. 3.

Regulariter exemplo instrumenti publici non creditur. Quando credatur? Quid si protocollum perierit, sed extet exemplum ab eodem tabellione cum authentico collatum & subscriptum, 22. 4. 7. Tom. 3.

An contra tertium, vel pro tertio, probet instrumentum publicum? An non saltem in antiquis? An probet, quatenus habet relationem alterius instrumenti? Quo modo firmetur fides instrumenti publici, quod ex longinquis regionibus adducitur, 22. 4. 8. Tom. 3.

Instrumenta guarentigiata apud nos non obtinent, 22. 4. 9. Tom. 3.

Quid sit instrumentum privatum. Quid antapocha, & quis usus ejus, 22. 4. 10. Tom. 3.

Privatum contra scribentem plene probat, si agnitum. Si quis neget, se scripsisse, & mendacii convincatur, quo modo puniatur? An ex sola literarum collatione possit mendacii convinci? An instrumentum privatum, si scriptum sit ab aliquo, sed non subscriptum, probet contra eum, 22. 4. 11. Tom. 3.

Contra tertium, vel pro tertio, non probat instrumentum privatum, nec pro scribente. An, & quando, & in quibus, libri mercatorum & ephemerides eorum probent. An probent pro tertio. Et quid, si unus ex mercatoribus sociis rationes nomine omnium scripserit, 22. 4. 12. Tom. 3.

Quam fidem mereantur libri advocatorum, & procuratorum de salariis sibi debitis. Quid in libris publicanorum? In rationibus sociorum? In notatis lignis diffissis, vulgo *kerfstochen*, 22. 4. 13. Tom. 3.

Quo modo evertatur fides instrumentorum. Quid, si is, qui obligatus scribitur, probet se tunc alibi fuisse? Quid, si testes adhibiti in instrumento, omnes jurato deponant, aliter negotium gestum esse? Quid, si omnes negent, se præsentes fuisse? Quid, si instrumentum simulata contineat? Quid, si scripturæ diversæ sibi contrariæ ab una parte producantur, 22. 4. 14. Tom. 3.

Quid, si ab actore & reo producantur instrumenta sibi invicem contraria. Quid, si ex pluribus testibus pauciores instrumento contradicant, aut sigillum suum non agnoscant. Quid, si instrumentum sit cancellatum, deletum, aut margini ejus quid adscriptum, 22. 4. 15. Tom. 3.

Quid, si ipse tabellio fateatur, se falsa in instrumento scripsisse. An uno instrumento tabellionis falso pronunciato, etiam cætera ab eo scripta pro falsis habenda. Si pars una instrumenti falsa probetur, an & altera falsa censeri debeat, 22. 4. 16. Tom. 3.

An instrumentum invalidum, si non contineat causam debiti, 22. 4. 17. Tom. 3.

An quis possit instrumentum, quod pro se produxit, reprobare, si & adversarius eo uti velit. Et an quis instrumentum pro se productum possit liti eximere, invito adversario. An liber possit contra producentem fidem etiam rationum facere, 22. 4. 18. Tom. 3.

An amissio instrumenti noceat, si aliter res gesta probari possit. Et quid, si instrumentum ex conventione vel statuto sit necessarium, 22. 4. 19. Tom. 3.

Ubi protocolla tabellionum post eorum obitum sint asservanda, 22. 4. 20. Tom. 3.

An semper prosit, jurejurando asserere, se nec possidere, nec dolo malo desiisse possidere instrumentum, de cujus exhibitione convenitur, quove ipse fuisset usus, 22. 4. 21. Tom. 3.

An, si de debito constet, debitor denegare possit solutionem sub eo prætextu, quod chirographum amissum ei reddi nequit, 22. 4. 22. Tom. 3.

An creditor debitorem cogere possit, ut loco amissi chirographi aliud det, ubi de debito constat, 22. 4. 23. Tom. 3.

Quid sit instrumentum. An eo contineatur etiam instrumentum instrumenti, 33. 7. 1. Tom. 5.

Quid intersit inter legatum *fundi instructi* & *fundi cum instrumento?* De instrumentis patrisfam. lanionis, pistoris, medici, pictoris, piscatoris &c. De instrumentis fundi, domus, villæ, tabernæ, cauponæ, vineæ. An villæ instrumento supellex contineatur. An mola ad instrumenta ædium aut fundi pertineat, 33. 7. 2. Tom. 5.

An, legato *fundo instructo*, vel *fundo & instrumento*, vel *fundo cum instrumento*, & fundo postea alienato, adhuc debeatur legatum *instrumentorum?* & qualium, 33. 7. 3. Tom. 5.

Quæ sequantur, si simpliciter *fundus* legetur. Quæ, si, *ut optimus maximusque est*. Quæ, si fundus legetur cum omnibus, quæ ibi sunt. Et quid, si tempore mortis quædam eo translata sint sine testatoris voluntate, 33. 7. 4. Tom. 5.

Insula.

Cui cedat insula in mari nata; & quid moribus circa insulas noviter detectas seu inventas. Cui Insula in flumine nata, jure civili & hodierno. Cui alluvio insulæ & alveus desertus inter insulam & agros trans flumen sitos, si egrediatur latitudinem fundi, cujus intuitu primum acquisita fuit. Et quid, si nata sit ante fundum fructuarium, 41. 1. 17. Tom. 5.

Intercedere in judicio.

Vide *intervenire*.

Intercessio mulierum.

Vide *Vellejanum Senatusconsultum*.

Vi-

Interdicta.

De interdicto de *mortuo inferendo* & de sepulchro ædificando vel reficiendo: vide *religiosus locus*.

De interdictis & actionibus in factum, quæ pro his competunt. An olim cum interdictis quædam actiones concurrerint, 43. 1. 1. Tom. 6.

De interdictis, quæ etiam continent causam proprietatis. An tale quoque sit interdictum de homine libero exhibendo, 43. 1. 2. Tom. 6.

Recensentur plures interdictorum divisiones. An dentur interdicta, quæ simul sunt adipiscendæ, & retinendæ vel recuperandæ possessionis, 43. 1. 3. Tom. 6.

An infament? Quo usque in iis habeatur ratio fructuum & usurarum, 43. 1. 4. Tom. 6.

De interdicto, *quorum bonorum*, contra quos, in quibus rebus, & ad quid locum habeat, 43. 2. 1. Tom. 6.

De remedio possessorio Justiniani *ex l. ult. C. de edicto D. Hadriani tollendo*, vide *possessoria remedia*.

De interdicto, *quod legatorum*, 43. 3. 1. *&* *seqq.* Tom. 6.

De interdicto, *ne vis fiat misso in possessionem*, 43. 4. 1. *&* *seqq.* Tom. 6.

De interdicto *de tabulis exhibendis*, 43. 5. 1. Tom. 6.

De interdicto, *ne quid in loco sacro fiat*, 43. 6. 1. Tom. 6.

De interdicto, *ne quid in loco publico vel itinere fiat*, 43. 8. 1. Tom. 6.

De interdicto, *de loco publico fruendo*, 43. 9. 1. Tom. 6.

De interdicto, *ne quid in via publica fiat*, 43. 10. 1. Tom. 6.

De interdicto, *ne vis fiat iter viamve publicam reficienti*, 43. 11. 1. Tom. 6.

De interdictis circa flumina & ripas, vide *flumen*.

De interdicto *unde vi*, in quibus rebus locum habeat; quibus competat, quibus non; contra quos; & ad quid, 43. 16. 1. *&* *seqq.* Tom. 6.

De remedio juris canonici *ex can. redintegranda*. In quibus differat ab interdicto *unde vi*, 43. 16. 7. Tom. 6.

An vidua restitui debeat tanquam spoliata, quæ cum posset rebus mariti incumbere pro dote recuperanda, fraude hæredum mariti possessionem reliquerit, & si deinde non solvatur, 24. 3. 9. Tom. 4.

De interdicto uti possidetis; in quibus rebus locum habeat; quibus competat; contra quos; ad quid tendat. Quis vincat in hoc interdicto jure Canonico. Quis in beneficialibus, 43. 17. 1. *&* *seqq.* Tom. 6.

De mandatis *spolii*, *novitatis*, & *manutenentia*, vide *mandata sutiarum*.

De interdicto *de superficiebus*, 43. 18. 1. Tom. 6.

De interdicto *de itinere actuque privato utendo*, vel *reficiendo*, 43. 19. 1. & 2. Tom. 6.

De interdicto *de aqua quotidiana & æstiva ducenda*, *&* *de aqua ex castello ducenda*, 43. 20. 1. & 2. Tom. 6.

De interdicto, *ne vis fiat rivos*, *specus*, *incilia*, *septa*, *reficienti vel purganti*, 43. 21. 1. Tom. 6.

De interdicto, *ne vis fiat utenti aqua ex fonte*, *vel puteo*, *vel lacu*, 43. 22. 1. Tom. 6.

De interdicto *de cloacis*, *tum publicis*, *tum privatis*, 43. 23. 1. Tom. 6.

De interdicto *quod vi aut clam*. Quando ei locus sit, in quibus rebus, cui detur contra & quos, & quando cesset, 43. 24. 1. *&* *seqq.* Tom. 6.

De interdicto *de precario*, vide *precarium*.

De interdicto *de arboribus cædendis*, 43. 27. 1. Tom. 6.

De interdicto *de glande legenda*, 43. 28. 1. Tom. 6.

De interdicto *de homine libero exhibendo*, 43. 29. 1. Tom. 6.

De interdicto *de liberis exhibendis*, 43. 30. 1. Tom. 6.

De interdicto *utrubi*, 43. 31. 1. Tom. 6.

De interdicto *de migrando*, 43. 32. 1. Tom. 6.

De interdicto *Salviano*, 43. 33. 1. Tom. 6.

Interdictio.

Quibus rebus alicui in pœnam interdici possit. An præses interdicere negotiationem, foro &c. ultra tempus suæ administrationis. An hodierni magistratus. An horum interdictio territorio coarctatur, 48. 22. 1. Tom. 6.

Interesse.

Quid sit id quod interest, latiore & strictiore sensu. Qualia lucra sub eo contineantur; qualia non. An & affectionis singularis habenda ratio in eo quod interest, 45. 1. 9. Tom. 6.

De distinctione in æstimando eo, quod interest, inter *casus certos & incertos*, & restrictione ad duplum in casibus certis. Et quid moribus. Quid per *casus*, per *casus certos*, per *casus incertos*, denotetur in *l. unic. C. de sent. quæ pro eo quod interest*, 45. 1. 10. Tom. 6.

An peti possit id quod interest, cessatum fuisse in præstando eo quod interest, & sic deinceps. An quis jure petat usuras sortis, & amplius id, quod interest. Quo modo tunc judices in definiendo eo, quod interest, procedant, 45. 1. 11. Tom. 6.

An possit ad id quod interest, si quis moram faciat in opere promisso inchoando, licet nondum elapsum sit tempus, quo perfici potuit, 45. 1. 14. Tom. 6.

Si per unum ex pluribus hæredibus obligatis ad factum stet, quo minus fiat, an & quo usque tum is, tum reliqui cohæredes obligati sint ad id, quod interest, 29. 2. 28. Tom. 5.

Interlocutio.

De sententiis interlocutoriis, vide *sententia*.

Interpretatio.

Interpretatio legis fit a Principe, 1. 3. 18. Tom. 1.

A consuetudine, 1. 3. 19. Tom. 1.

A Jurisconsultis & Judicibus, 1. 3. 26. Tom. 1.

Quales regulæ jurisconsultis & Judicibus in interpretatione legum sint observandæ, 1. 3. 20. Tom. 1.

Quis interpretari debeat, si judices jussa interpretatione assequi nequeant sensum legis, 1. 3. 23. Tom. 1.

De interpretatione legis per extensionem a casu vero ad casum fictum, 1. 3. 21. Tom. 1.

De interpretatione per argumentum a contrario sensu, 1. 3. 22. Tom. 1.

Quales regulæ observandæ sint in interpretatione statutorum, 1. 3. 24. Tom. 1.

Qualem interpretationem recipiat consuetudo, 1. 3. 36. Tom. 1.

Jus novum correctorium quo modo strictam, quo modo plenam recipiat interpretationem, 1. 3. 44. Tom. 1.

Privilegia strictam recipiunt interpretationem, ne ad alias personas aut res ob similem aut majorem rationem extendantur; nisi aliud suadeant circumstantiæ privilegii, 1. 4. 16. Tom. 1.

Quando privilegia in ipsa quoque persona privilegiata strictam recipiant interpretationem, 1. 4. 17. Tom. 1.

Privilegia non tam stricte accipienda, ut vel inutilia vel absurda fierent, 1. 4. 18. Tom. 1.

Quando in persona privilegiata plenissima sit facienda interpretatio privilegiorum, 1. 4. 19. Tom. 1.

Ubi nulla in verbis ambiguitas, non admittenda voluntatis quæstio. An nova opus solemnitate, si testator verba sua interpretetur, 34. 5. 1. Tom. 5.

Si lex interpretetur dubiam voluntatem, non recurrendum ad usum testatoris, aut morem regionis. Legans prædia, quæ possidet, an & comprehendat prædia sibi pignori data. Quid juris, si dictum, *Sejo eum ducentis quæ apud eum deposui*, *trecenta lego*. Quid, si scriptum, *fundum hæres meus Attio cum Dione Mævii servo dato*. Quid, si habens Flaccum fullonem & Stichum pistorem leget *Flaccum pistorem*. Quid, si uni *servos textores alteri vestiarios leget*, & quidam servi simul textores sint, 34. 5. 2. Tom. 5.

Quid juris, si filio nascituro plus, filiæ nasciturae minus relinquatur, & simul edatur filius ac filia. Si centum legentur filio vel filiæ nasciturae, an singulis centum, si plures edantur. Gemellis natis, quis primus præsumatur editus. In commorientibus uno casu quando alter alteri credatur supervixisse. Et an præsumptio talis pelli possit, depositione unius testis, 34. 5. 3. Tom. 5.

Quales regulæ servandæ a Jurisconsultis & Judicibus in interpretandis dubiis voluntatibus, quas nec testator nec lex exposuit. Et quando voluntas ob defectum interpretationis inutilis sit, 34. 5. 4. Tom. 5.

Apud quos quærendi casus dubii ultimarum voluntatum, 34. 6. 5. Tom. 5.

Interrogatio.

Quid fuerint interrogationes in jure, cui bono introductæ, differunt, aliquid agi *in jure*, & agi *pro tribunali*, 11. 1. 1. Tom. 2.

Interrogationes hæ locum habuerunt in actionibus in personam, & in petitione hæreditatis. An, & quo respectu in actionibus in rem, 11. 1. 2. Tom. 2.

Respondens ad interrogationes in jure, non habetur pro judicato, 11. 1. 3. Tom. 2.

Cessant quidem jure novo actiones interrogatoriæ, at non æquitas interrogationum, 11. 1. 4. Tom. 2.

Fieri possunt interrogationes per judicem etiam post conclusionem in causa: quod & moribus passim fere obtinet, etiam circa principalia causæ merita, nec currant tempora productionum, quamdiu adversarius in mora respondendi est. Quid in Hollandia obtineat, 11. 1. 4. Tom. 2.

Ro-

Rogatus respondere cogitur, nisi proprium confiteretur crimen; vel dubitet, vel interrogetur in lite non sua sed aliena; ubi de tutore in causa pupilli vel minoris; & de ipso minore; de debitore in lite prælationis inter creditores; de marito in causa uxoris & ipsa uxore; de cedente in lite cessionarii; de interveniente, & eo pro quo intervenit in lite; de domino & procuratore, 11. 1. 5. Tom. 2.

Nemo respondere tenetur, si rogetur de facto alieno; vel non de facto, sed jure aut consuetudine. An reum sine mandato defendens, aut procurator in reconventione, 11. 1. 6. Tom. 2.

Reus responsione sua, sive vera, sive falsa, nocet sibi; sed habet exceptiones ac defensiones easdem, si falso responderit, quas haberet, si vere respondisset. Quandoque contra responsionem erroneam restituitur, 11. 1. 7. Tom. 2.

Quo modo puniatur jure Romano & moribus, qui sciens mentitus est ad interrogationem, ut se liberet, 11. 1. 8. Tom. 2.

Silentium rogati, aut responsum dubium eam recipit interpretationem, quæ rogato nocet, 11. 1. 9. Tom. 2.

Confessio ad interrogationem prodest interroganti; aliis non item, licet simile jus habentibus, 11. 1. 10. Tom. 2.

Si falso respondens condemnatus deinde sit, si judicato satisfecerit, an liberentur illi, qui tanquam hæredes veri aut possessores debuissent conveniri, 11. 1. 11. Tom. 2.

Interruptio possessionis.

Vide *Usucapio*.

Intervenire in judicio.

Tertius in lite potest intercedere, ut litem in se transferat. Quibus in casibus id fieri possit, 5. 1. 34. Tom. 2.

An tunc interveniens recte petat, litem ad suum forum transferri, 5. 1. 35. Tom. 2.

An hoc modo intercedere possit, qui sciens passus est litem ab alio sustineri, nec quantocius contradixit, 5. 1. 34. Tom. 2.

Quot modis tertius in lite intervenire possit, ut alterutrum juvet. Quibus in casibus interveniat ex voluntate unius litigantium. Quibus in casibus utroque invito, 5. 1. 35. Tom. 2.

Apud quemcumque judicem fieri potest interventio, & in quavis judicii parte, etiam in ipsa appellatione, 5. 1. 36. Tom. 2.

Nullus intervenit, nisi is cujus interest, & qui eandem cum litigantibus habet litigandi causam: alias nova lite experiri debet, veluti, si ipse velit rem vindicare tanquam suam, quam alius vindicat, 5. 1. 37. Tom. 2.

Interveniens ut alterutrum litigantem juvet, non potest judicem declinare ut incompetentem, sed quidem ut suspectum: nec quicquam novi facere, quod is, cui se jungit, facere prohibetur, 5. 1. 38. Tom. 2.

Qui scripserint de interventione, 5. 1. 38. Tom. 2.

Intextura.

Quid juris, si quis alienam purpuram suo panno intexuerit, aut alienam lanam purpura infecerit, 41. 1. 22. Tom. 5.

Inventarium.

Vide *repertorium*.

Inventarium fieri rerum fructuariarum, suasit jus Romanum, desiderant omnino mores; nec liber est ab inventarii necessitate, cui alienandi potestas data est, 7. 9. 2. Tom. 2.

An inventarii confectio sit necessaria ad id, ut inter cohæredes communi consensu divisio fiat, si omnes majorennes sint. Quid, si quidam sint minorennes, 10. 2. 3. Tom. 2.

An assignatio bonorum paternorum aut maternorum liberis per parentem superstitem fieri possit sine inventario, 10. 2. 3. Tom. 2.

An & quando unus hæredum a reliquis cogi possit ad inventarii confectionem, & an in illud tunc referri debeant ea, quæ sibi a defuncto donata sint, 10. 2. 4. Tom. 2.

Inventio.

An ad acquisitionem per inventionem sufficiat vidisse rem, si alius eam prior occupet. An hæc locum habeat in deperditis. An inventor deperditorum petere possit præmium inventionis, licet non promissum. Quid agere debeat inventor deperditorum. Cui cedant deperdita, si non vindicentur a domino. An & quando cedant inventori bona jacta navis levandæ causa. An & bona naufragorum, 41. 1. 9. Tom. 5.

Inventio in quibus rebus locum habeat, 41. 1. 10. Tom. 5.

De inventis rebus derelictis, & agris derelictis, vide *derelictio*.

De thesauro invento, vide *thesaurus*.

De inventis metallifodinis, lapicidinis, gemmis effossis, jure civili ac moribus, 41. 1. 13. Tom. 5.

Investitura.

Constituitur feudum investitura, quæ vel actu, vel ordine naturæ, sequitur ad causas acquirendi feudi. Præsumitur, aut fingitur facta, si judicatum, rem feudalem esse; aut feudum præscriptione acquiratur, 38. D. 32. Tom. 5.

Sine investitura feudum regulariter non constituitur. An pro investitura habendum, si dominus vasallo dicat, *vade in possessionem fundi, & teneas illum pro feudo*, 38. D. 34. Tom. 5.

Unde dicta *investitura*. Quid sit investitura *propria & impropria*, 38. D. 35. Tom. 5.

Quæ in investitura requirantur. Ubi de promissione fidelitatis, seu *homagio*. Quando jusjurandum fidelitatis non præstetur, manente tamen ad fidelitatem obligatione. Ubi de speciali pacto, & de Ecclesia feudum accipiente, & pupillo. An tutor pro pupillo jusjurandum fidelitatis præstet jure feudali & hodierno. An & quando per procuratorem præstari possit. De formula jurisjurandi fidelitatis, & quæ eo contineatur, 38. D. 36. Tom. 5.

Qualia reverentiæ & subjectionis signa per vasallum investituram accipientem, edenda sint, 38. D. 37. Tom. 5.

Qualia signa aut symbola investiens adhibeat. An post signi alicujus corporei traditionem adhuc veram ipsius rei feudalis traditionem facere debeat. An, si duo diversis temporibus de eodem feudo per symbola investiti sint, & posteriori investito naturalis possessio sit tradita hic potior sit, 38. D. 38. Tom. 5.

An investitura sine testibus fieri possit. Quid, si per confessionem domini, vel per scripturam sine testibus probari possit. An in prima investitura testes idonei sint, qui tunc, cum adhibentur, non sunt curiæ pares. Quid, si adhibiti sint testes, qui non sunt curiæ pares, & dominus fateatur, eam factam esse. An & adhibendi testes curiæ pares, si clericus investituram faciat. Si nulli aut non idonei ejusdem curiæ pares sint, qui tunc adhiberi debeant, 38. D. 39. Tom. 5.

An ad investituram necessario requiratur scriptura, quæ dicitur *breve testatum*, 38. D. 40. Tom. 5.

An jusjurandum fidelitatis præcedere debeat investituram, an potius investitura jusjurandum, 38. D. 41. Tom. 5.

Cur introducta renovatio investituræ. An in ea aliquid ex primo tenore investituræ, vel in jurisjurandi formula mutari possit. Si quid mutatum sit, an & quando id ratum. Et quid hic in Hollandia. Nullus apud nos de feudis litigare potest, nisi prius investitus, hinc uterque litigans investitur. Petenda renovatio, mutato domino vel vasallo. Quid intersit inter eam, quæ mutato domino, & eam, quæ mutato vasallo fit, 38. D. 98. Tom. 5.

Si plures unius vasalli successores sint, an singuli renovationem petere, & fidelitatem præstare debeant, sive diviserint, sive non diviserint. Et quid, si uni totum feudum ex divisione cesserit, 38. D. 99. Tom. 5.

Pluribus in feudo Hollandico institutis, interim intra legitimum tempus unus eorum, nomine omnium, petit renovationem, & si postea uni cedat feudum, is rursus suo nomine eam petit, licet prius nomine omnium investitus sit. Curator bonis defuncti datus renovationem investituræ petit, iterumque emptor; non item, si bonis debitoris latitantis curator datus sit. Quid, si bonis ejus, qui bonis cessit, 38. D. 100. Tom. 5.

Si in Hollandia feudum inter plures dividatur, singularum partium nomine renovatio petenda & integra laudimia solvenda, excepta prima vice. Alibi, ubi feuda sunt dividua, laudimia pro partibus singulis tantum pro rata. An consolidatis partibus feudi, etiam invito domino, cesset multiplicatio renovationis & laudimiorum, 38. D. 101. Tom. 5.

Si primogenitus feudum delatum non admittat, sed fratri minori relinquat, duplicata laudimia præstanda. An & quadragesima æstimationis fisco, quasi ex alienatione, 38. D. 102. Tom. 5.

Si plures sint domini directi, semel tantum petenda renovatio; a quo domino tunc petenda, 38. D. 103. Tom. 5.

Quid juris circa renovationem, si feudum ad corpora vel collegia pertineat, vel ad pupillum, jure feudali ac moribus. An petenda renovatio, si vasallus partem, quam alienaverit, redimat vi pacti de retrovendendo, 38. D. 104. Tom. 5.

Intra quod tempus petenda sit renovatio. An hoc currat ignoranti. An partium consensu arctari vel prorogari possit. An solius domini voluntate arctari. Quid juris apud nos, si primus successor, non petita renovatione, mortuus sit, vel per plures, sibi ordine succedentes, renovationis petitio neglecta sit, 38. D. 105. Tom. 5.

Pro investitura & renovatione ejus hodie, non jure feudali, sol-

solvenda laudimia & curialia; non tamen pro prima vice, si vasallus propriam rem convertat in feudalem. Qualia laudimia præstanda sint, & quo modo nunc æstimari soleant. Si alternative debeantur, vasalli electio est. Quæ laudimia & curialia pro magno, medio, parvo feudo præstanda in Hollandia, si nihil certi ab initio definitum sit. Si unius anni fructus laudimii nomine solvi debeat, vasallus liberari nequit præstando decem florenos. Quo modo unius anni fructus considerandus ac æstimandus sit, 38. D. 106. Tom. 5.

Alteri usufructu, alteri proprietate feudi legata, an & quando proprietarios renovationem petat & laudimia solvat. Fructuarius, aut cui dotium ex feudo assignatum, an petat renovationem, aut laudimia præstet. An non confirmationem juris sibi constituti. An una sufficiat confirmatio, si pluribus feudis ejusdem Curiæ imponatur ususfructus. An pro divisione vel oppignoratione feudi laudimia solvi debeant. An curialia. Quid intersit inter renovationem investituræ & actus alicujus confirmationem, 38. D. 107. Tom. 5.

Inundatio.

Inundatio an mutet dominium. An piscatione quis sibi possit conservare jus in agros inundatos. An & quando moribus agri inundati cedant Principi. An domini, & alii jus in re habentes aut jurisdictionem, cogi possint ad agros siccandos. Quo usque contribuent ad exsiccationem, qui habent jus decimarum, ususfructus, reditus, census &c. Nihil resecandum aut effodiendum prope aggeres inundationem impedientes. De præmiis, quibus homines invitantur ad agros siccandos, vel incultos colendos, 41. 1. 19. Tom. 5.

Issua vel exua jus.

Migrantes multis in locis jure *issua* vel *exua* certam inferunt bonorum partem fisco loci, unde migrant, 5. 1. 99. Tom. 2.

Iter.

Vide *servitutes rusticæ*.

Judex.

De nobili officio judicis, & quo usque judex supplere possit ea, quæ desunt advocatis partium, 2. 15. 13. Tom. 1.

Plenius de nobili & mercenario judicis officio, & quando judex tum nobile tum mercenarium officium impertiri possit non rogatus. An si lex, aut consuetudo, aut suspicio falsitatis contra instrumentum, aut appellationis desertio, aut præscriptio, aut meri juris exceptio, veluti ordinis aut divisionis, non fuerint allegata, 5. 1. 49. Tom. 2.

An judex mulctare possit eos, qui ipsi aut judici injuriam intulerunt, 5. 1. 2. Tom. 2.

Judex competens, vide *forum competens*.

Qui prohibeantur esse judices, an cæci, furiosi tempore dilucidi intervalli, majores annis octodecim, 5. 1. 42. Tom. 2.

Judex suspectus, vide *suspectus judex*.

Judex non debet per minorem causam majori cognitioni præjudicare, 5. 1. 50. Tom. 2.

Judex judicare debet secundum allegata & probata, simulque secundum conscientiam. Et quid agendum, si hæc duo inter se pugnent, 5. 1. 50. Tom. 2.

Debet judicare secundum leges, sive major sive minor judex sit, 5. 1. 51. Tom. 2.

Cujus loci leges in judicando observandæ sint. Et quid juris, si pendente lite vel appellatione lex lege nova abrogetur, 5. 1. 51. Tom. 2.

Judex non potest in casu plane dubio amicitiæ locum dare & pro amico judicare, 5. 1. 52. Tom. 2.

Intra quantum temporis spatium judicia tum civilia tum criminalia terminanda sint, vide *judicium*.

Judex non debet ullis affectibus indulgere, 5. 1. 57. Tom. 2.

Quæ jure Romano & hodierno sint pœnæ judicis dolo vel imprudentia male judicantis, assessorum, & advocatorum a judicibus rogatorum, ac perperam jus suggerentium, 5. 1. 58. Tom. 2.

Quodnam sit officium judicis, cum litis instructæ præparatorium examen commissum est, ut reliquis referat, 5. 1. 59. Tom. 2.

De ministris judicum, scribis, apparitoribus, accensis, interpretibus, præconibus, lictoribus, viatoribus, carnificibus eorumque officiis tum jure Romano tum hodierno, 5. 1. 60. Tom. 2.

Judex, qui declinatur ut incompetens, an ipse de eo judicet, & an citantem ad forum non competens in expensas damnare possit, 5. 1. 65. Tom. 6.

Judex pedaneus.

Judex pedaneus notionem habet, non jurisdictionem, etiam postquam certi a Justiniano fuerunt constituti, 2. 1. & 2. Tom. 1.

De vetere more judicum pedaneorum dandorum, & quando cessaverit, 5. 1. 39. Tom. 2.

Quales causæ olim non potuerint per judices pedaneos cognosci. An & liberales, 5. 1. 40. Tom. 2.

Judicium.

Quid sit judicium, 5. 1. 3. Tom. 2.

Quid sit summarium judicium, & an idem sit *summatim* & *de plano* cognoscere, 5. 1. 5. Tom. 2.

Quibus in casibus summariæ cognitioni locus sit jure civili & hodierno, 5. 1. 4. Tom. 2.

Si lis principalis summatim agitetur, idem agendum in quæstionibus in eam incidentibus; etiam in causa appellationis, 5. 1. 5. Tom. 2.

An quis possit ab ordinario judicio cœpto desistere, & ad summarium transire, 5. 1. 5. Tom. 2.

Quid sit judicium civile, quid criminale, 5. 1. 6. Tom. 2.

In concursu judicii civilis & criminalis ex eadem vel diversis, an prius civile, an prius criminale terminandum sit, per distinctiones explicatur, 5. 1. 7. Tom. 2.

Plures aliæ recensentur divisiones judiciorum, 5. 1. 8. Tom. 2.

De judiciis lata est lex Julia duplex, altera publicorum, altera privatorum judiciorum, 5. 1. 7. Tom. 2.

Quot personæ constituant judicium? & quis actor, quis reus sit, 5. 1. 9. Tom. 2.

Qui habeant legitimam personam standi in judicio. An collegia illicita sed tolerata. An & quando filius familias tum jure civili tum moribus, 5. 1. 10. Tom. 2.

An minor 25. annis sine curatore, & quid, si sine curatore steterit in judicio, 5. 1. 11. Tom. 2.

An jure civili & hodierno in criminalibus, si accusetur vel accuset. An jure canonico & moribus in causis matrimonialibus & beneficialibus, 5. 1. 12. Tom. 2.

An, qui veniam ætatis impetrarunt, aut nuptiis vel aliter pro majoribus sunt habiti, etiam de immobilibus sine curatore litigent, 5. 1. 15. Tom. 2.

An uxor hodierno jure sine viro stare possit in judicio tanquam rea vel actrix? vel impedire, ut vir uxoris nomine litiget. Et quid juris, si contrarium pacto actum sit, vel vir bonis cesserit, 5. 1. 14. Tom. 2.

Quid, si litigere velit ut tutrix liberorum primi thori, vel ut executrix testamenti, vel ut publica mercatrix, 5. 1. 15. Tom. 2.

Stat tamen in judicio ex mariti mandato. Quid si maritus rata habeat per uxorem in judicio gesta. Quid si maritus absit, & periculum in mora. An sine viro alios sistere vel sisti ipsa possit, 5. 1. 16. Tom. 2.

An criminis accusata uxor sine viro suo stet in judicio, & an pœna pecuniaria in eam constituta stante matrimonio executionem habeat contra maritum, 5. 1. 17. Tom. 2.

Si maritus malitiose agere vel defendere nolit in causa uxoris, uxor potest judicis auctoritate. An periculo mariti tunc uxor vincatur? & quid, si maritus nolit nomine uxoris movere actionem injuriarum, 5. 1. 18. Tom. 2.

Si uxor non jure steterit in judicio & vicerit, marito prodest, 5. 1. 19. Tom. 2.

Quæ sint actoris officia in judicio &c. vide *actor*.

Quæ sint officia, quæ partes rei in judicio &c. Vide *reus*.

De judicio ex lege *diffamari*, vide *diffamatio*.

De judicio prælationis & concursus inter creditores, vide *concursus judicum*.

De vetere ordine judiciorum apud Romanos, & veteres Hollandos, 5. 1. 39. & 41. Tom. 2.

De judicio decemvirali, 5. 1. 39. Tom. 2.

Intra biennium criminale, civile intra triennium finiendum, & quid olim obtinuerit, an adhuc hodie biennium servetur in criminalibus, 5. 1. 53. Tom. 2.

Quæ causæ etiam jure novo intra brevius tempus quam biennium aut triennium finiendæ sint, 5. 1. 54. Tom. 2.

Biennio vel triennio a lite cœpta lapso perimitur tota causa, non sola litis instantia, 5. 1. 55. Tom. 2.

Quid jure canonico, & quid moribus hac in parte obtineat. Lites generaliter quantocius terminandæ sunt, præcipue, si peregrinis jus dicendum sit, 5. 1. 56. Tom. 2.

Juridicus.

De officio juridici, 1. 20. 1. Tom. 1.

Jurisconsulti.

De successione Jurisconsultorum Romanorum, 1. 2. 8. Tom. 1.

De sectis Jurisconsultorum, 1. 2. 8. Tom. 1.

Jurisconsulti olim distincti a causarum oratoribus, 1. 2. 9. Tom. 1.

Ju-

Jurisconsulti non æque in omnibus juris partibus periti erant, 1. 2. 9. Tom. 1.

Jurisdictio.

Quid sit jurisdictio in sensu angustiore vel latiore? quieam habeant, qui non? & in quibus jurisdictio a notione distinguatur, 2. 1. 1. Tom. 1.
Quid sit voluntaria, quid contentiosa jurisdictio, & quæ inter utramque differentiæ sint, 2. 1. 3. Tom. 1.
Sunt plures actus mixti, qui proprie nec ad voluntariam nec ad contentiosam jurisdictionem referri possunt, 2. 1. 4. Tom. 1.
Quid sit jurisdictio civilis, quid criminalis, & hanc jure Romano notam esse, 2. 1. 5. Tom. 1.
Quid sit jurisdictio ordinaria, quid extraordinaria seu legitima, 2. 1. 6. Tom. 1.
Exempla jurisdictionis extraordinariæ. Quid sit, jure magistratus aliquid competere, quid ex adverso competere ex lege, 2. 1. 6. Tom. 1.
Quid sit jurisdictio propria, quid demandata, 2. 1. 7. Tom. 1.
Quibus jurisdictio mandari possit, 2. 1. 7. Tom. 1.
Quales jurisdictionis actus demandari possint, quales non, 2. 1. 8. Tom. 1.
An criminalis jurisdictio alteri potuerit demandari in casu absentiæ, & cui tunc fuerit mandanda, 2. 1. 8. Tom. 1.
An & in casu infirmitatis, 2. 1. 9. Tom. 1.
Non tantum jurisdictio criminalis legis Juliæ de vi, sed & alia quæcunque in casu absentiæ aut infirmitatis mandari potest, 2. 1. 10. Tom. 1.
Jurisdictio mandata non potest iterum alteri per mandatarium delegari; qua occasione explicatur *l. 5. C. de judiciis*, 2. 1. 11. Tom. 1.
Si temno alicui a Principe sit mandata jurisdictio, is eam alteri mandare potest, & quæ sit ratio, 2. 1. 12. Tom. 1.
Mandata jurisdictio non datur a lege, sed confirmatur, 2. 1. 13. Tom. 1.
Quid sit jurisdictio prorogata, Vide *prorogatio*.
Jurisdictioni cohæret imperium, Vide *imperium*.
Jurisdictio & imperium mixtum natura differunt; & cur quædam adscribantur imperio, quæ alibi dicuntur esse jurisdictionis, 2. 1. 43. & 44. Tom. 1.
Jurisdictio hodie est quid patrimoniale; dividitur in altam, mediam & bassam. Quibus remediis juris defendatur, & qui de ea prolixius scripserint, 2. 1. 45. Tom. 1.
Extra territorium jus dicenti, aut iis, qui in territorio non sunt nec bona ibi habent impune non paretur, & tunc apparitori ejus vim inferenti jure resistitur, 2. 1. 46. Tom. 1.
Quibus in casibus quis in alieno territorio exerceat jurisdictionem, præcipue consentiente istius territorii magistratu, 2. 1. 47. Tom. 1.
Non potest judex excedere terminos suæ jurisdictionis certa quantitate circumscriptus; & si de majore judicaverit quantitate, sententia non valet atque ad summam concurrentem, 2. 1. 48. Tom. 1.
Quid juris, si plures quantitates petantur, quæ singulæ jurisdictionem non superant, coacervatæ excedunt, 2. 1. 49. Tom. 1.
Nemo sibi vel suis jus dicere debet, ac ne collegia quidem privilegiata, 2. 1. 50. & 5. 1. 1. Tom. 1.
Nisi adversarius consentiat, vel prætor definiat, an sua sit jurisdictio; vel quæstio sit de jurisdictione voluntaria; vel Principi lis cum alio intercedat, 2. 1. 51. Tom. 1.
An judex mulctare possit eos, qui ipsi qua judici injuriam fecerunt, 5. 1. 2. Tom. 2.
Par in parem non habet imperium aut jurisdictionem, exceptis quibusdam casibus, 2. 1. 52. Tom. 1.
Quid juris, si magistratus major in alterius magistratus dignitate minoris territorio litiget aut delinquat, 2. 1. 52. Tom. 1.
Quid juris, si unus ex pluribus ejusdem territorii toparchis in territorio communi delinquat, 2. 1. 52. Tom. 1.
Si inter duos Ballivos confines de jurisdictione lis sit, an suo, an publico sumptu litigent, 2. 1. 53. Tom. 1.
Quo modo probetur jurisdictio, 2. 1. 53. *ibid.*
Cessat jurisdictio morte ejus, cui concessa; & morte mandantis si mandata sit; nisi sit jurisdictio patrimonialis, 2. 1. 54. Tom. 1.
Finitur etiam lapso tempore ad quod concessa, & abdicatione ex consensu Principis facta, 2. 1. 53. Tom. 1.
An cesset revocatione concedentis, 2. 1. 55. Tom. 1.
An & quo usque privandus sit jurisdictione, qui hodie sua patrimoniali jurisdictione graviter abutitur, 2. 1. 55. Tom. 1.
An extinguatur præscriptione, 2. 1. 56. Tom. 1.
Cujus jurisdictionis sit restitutio in integrum, 4. 1. 2. Tom. 1.

Jurisprudentia.

Jurisprudentia, cur dicatur divinarum & humanarum rerum notitia, 1. 1. 4. Tom. 1.
An recte dicatur philosophia, 1. 1. 4. Tom. 1.

Jus.

Quid sit jus & quotuplex? ex quibus præceptis collectum? quid publicum, quid privatum, 1. 1. 11. Tom. 1.
An & quando jus per allegantem probari debeat, 22. 3. 8. Tom. 5.
De Historia juris.

Jus civile.

Quid sit jus civile, 1. 1. 20. Tom. 1.
Quid sit jus civile origine, quid comprobatione, 1. 1. 20. Tom. 1.

Jus gentium.

Quid sit jus gentium, 1. 1. 18. Tom. 1.
Quid sit jus gentium primævum & secundarium, 1. 1. 18. Tom. 1.
An & quo usque detur jus gentium, 1. 1. 19. Tom. 1.
Jus gentium conjunctam debet habere rectam rationem, 1. 1. 19. Tom. 1.
Jus gentium aliquando appellatur jus naturale, 1. 1. 19. Tom. 1.

Jus naturale.

Quid sit jus naturale, 1. 1. 12. Tom. 1.
Non omne quod brutis cum hominibus commune est, juris naturalis est, sed demum, si ratio concurrat, 1. 1. 13. Tom. 1.
An detur jus naturale, 1. 1. 14. Tom. 1.
Quodnam sit primum juris naturalis principium ac fundamentum, & quo modo inde ea, quæ juris naturalis sunt, educantur, 1. 1. 15. Tom. 1.
Jus naturale est immutabile, 1. 1. 16. Tom. 1.
Quando jus naturale sit mutabile, 1. 1. 17. Tom. 1.

Jus Romanum.

Necessitas addiscendi jus Romanum, 1. 1. 3. Tom. 1.
Jus Romanum ut locum habeat, quæ jura deficere debeant, 1. 1. 2. Tom. 1.
Quando os in subsidium quidem ad jus Romanum recurrendum sit, 1. 1. 2. Tom. 1.
De jure Justinianeo, 1. 2. 3. Tom. 1.
De jure post Justiniani tempora condito, 1. 2. 3. Tom. 1.

Jus Canonicum.

Jus canonicum ut locum habeat, quæ jura nunc debeant deficere, 1. 1. 2. Tom. 1.
De compositione juris Canonici, 1. 2. 4. Tom. 1.

Jus feudale.

De compositione juris feudalis, 1. 2. 5. Tom. 1.

Jus dicenti non obtemperare.

Quis dicatur non obtemperare jus dicenti, 2. 3. 1. Tom. 1.
Quo modo puniatur jure civili & moribus, qui non obtemperat jus dicenti, 2. 3. 1. Tom. 1.
Actio in factum contra eum, qui jus dicenti non obtemperat, non popularis sed privata est, 2. 3. 2. Tom. 1.
Ut puniatur, qui jus dicenti non obtemperat, aut non paret mandatis pœnalibus, non anxie inquiritur, an jure an injuria Judex quid præceperit, 2. 3. 3. Tom. 1.

Jus in re.

Quotuplex sit jus in re, & quæ inde nascantur actiones, 5. 2. 1. Tom. 2.

Jussus.

Quid sit actio quod jussu? sufficit ratihabitio & tacitus consensus. Quibus in casibus cesset. Concurrere potest mandati actio, 15. 4. 1. & seqq. Tom. 3.

Justitia.

Cur per voluntatem definiatur, 1. 1. 7. Tom. 1.
Cur dicatur constans, & perpetua, 1. 1. 8. Tom. 1.

Di-

Divisio justitiæ in commutativam & distributivam, 1. 1. 9. Tom. 1.
Qualis in utraque proportio servetur, an aritmetica an geometrica, 1. 1. 9. Tom. 1.
Divisio justitiæ in expletricem & attributricem, & quæ species ad utramque reducendæ sint, 1. 1. 10. Tom. 1.

Justitium.

Quid sit Justitium, 2. 12. 1. Tom. 1.

Jusjurandum calumniæ.

Vide *calumnia.*

Jusjurandum in litem.

Jusjurandum in litem duplex est, aliud veritatis, aliud affectionis. In quibus rebus, ex quibus causis, & in quibus actionibus jusjurandum veritatis locum habeat. Quid juris, si is, cui judex id detulit, jurare nolit, 12. 3. 1. Tom. 3.
Quid sit jusjurandum in litem affectionis. Locus ei non est ob culpam levem, 12. 3. 2. Tom. 3.
Defertur a solo judice, actori domino, vel qui suo nomine litem est contestatus. An & tutoribus in causa pupilli. An matri, si ea nutrix sit. An hæredibus. Quid, si is, cui defertur, jurare declinet, 12. 3. 3. Tom. 3.
Juratur contra eum, qui dolo non restituit, aut exhibet. An contra hæredem ejus. Et quid, si ipse hæres dolum fecerit. An & contra fidejussores, 12. 3. 4. Tom. 3.
Defertur in judiciis bonæ fidei & arbitrariis in rem aut in personam, quibus de restituendo vel exhibendo agitur; non in iis, quibus de tradendo, vel de sola indemnitate agitur; nec in stricti juris actionibus, 12. 3. 5. Tom. 3.
In infinitum jurari potest. An judex possit taxationem adjicere. An in minus damnare, quam juratum, an post sententiam æstimationis eandem minuere, 12. 3. 6. Tom. 3.
An ei, contra quem juratum, actiones cedendæ sint, 12. 3. 7. Tom. 3.
An, & quo usque, nostris moribus jusjurandum in litem locum habeat, 12. 3. 8. Tom. 3.

Jusjurandum.

Quid sit jusjurandum, quid jusjurandum *corporaliter præstitum*, 12. 2. 3. Tom. 3.
An procurator mandato instructus jurare possit in anima domini, jure civili, canonico, & hodierno, 12. 2. 1. Tom. 3.
Per Deum juranaum; de jurejurando improbatæ religionis præstito vel delato: de jurejurando per caput, per salutem suam aut liberorum, aut Principis, & de pejerante per Principis venerationem, ac ob id majestatis crimen non committente: de assertione solemni anabaptistarum, quæ jurisjurandi loco est, 12. 2. 2. Tom. 3.
De veteri more rituque jurandi, 12. 2. 3. Tom. 3.
De jurejurando promissorio. Si illud conventionibus appositum sit, secundum jus civile sequitur naturam actus, cui apponitur, 12. 2. 4. Tom. 3.
An, & quatenus, jusjurandum promissorium jure canonico & moribus servandum sit, maxime, si apponatur negotiis, quæ lege vel consuetudine reprobata ac vetita sunt, 12. 2. 5. Tom. 3.
Quid, si jusjurandum dolo vel metu interveniente interpositum sit, & de laxatione jurisjurandi per magistratum, 12. 2. 5. Tom. 3.
Quid juris, si filiusfamilias jurejurando renunciaverit senatusconsulto Macedoniano, 14. 6. 10. Tom. 3.
Si jusjurandum sit appositum actui, qui mere dependet a voluntate jurantis, & jurans contra priorem actum veniat, actus secundus juramento contrarius ratus est, etiam ipso jure canonico: & qui testamento apposuit jusjurandum de eo non revocando, si tamen postea revocet, postrema voluntas effectum habet, 12. 2. 6. Tom. 3.
Quid sit jusjurandum assertorium in genere, quid voluntarium, judiciale, ac necessarium, 12. 2. 7. Tom. 3.
Qui possint vel non possint deferre voluntarium & judiciale, ubi de tutoribus, & an hi decreto indigeant, item de procuratoribus, civitatum defensoribus, magistris societatum, uno ex pluribus hæredibus, pupillis, prodigis, post biennium exceptionem non numeratæ pecuniæ opponentibus, jusjurandum jam a se delatum revocantibus, servis, filiisfamilias, infamibus, minoribus, 12. 2. 8. Tom. 3.
Quibus deferatur, an & quatenus impuberibus, servis, hæredibus, procuratoribus, & defensoribus, 12. 2. 9. Tom. 3.
Delatio jurisjurandi locum habet in actionibus civilibus in rem & in personam, sive rei persecutoriis, sive pœnalibus & infamantibus. An & in actione injuriarum. An in popularibus an in quæstione, utrum mulier prægnans sit, vel an nuptiæ aut sponsalia intercesserint. An in criminalibus, an hodie in causis infamantibus, 12. 2. 10. Tom. 3.
An deferri possit ab actore vel reo post testimoniorum publicationem, & probationum ulteriorum renunciationem, 12. 2. 11. Tom. 3.
An delatio fieri possit per eum, qui in se recepit probationem; quive nihil omnino ex suo latere probavit, 12. 2. 12. Tom. 3.
Delatum ab eo, qui de calumnia juravit, præstandum aut referendum ea forma, qua delatum, nisi aliud ex causa judex arbitretur. Nec opus, ut referens de calumnia jurer. Si tutor detulerit, relatum sibi præstare tenetur, 12. 2. 13. Tom. 3.
Referri nequit, sed præstandum, si is, cui delatum, illud jam acceptaverit, vel solus aut melius sciat id, de quo jurandum, 12. 2. Tom. 3.
Nec præstandum nec referendum quod delatum, si deferens de calumnia jurare nolit: vel delatio aliqua ex parte vitio laboret; jam plene per eum, cui defertur, probatum sit; vel is plenam offerat per instrumenta aut testes probationem; 12. 2. 15. Tom. 3.
Qui jusjurandum delatum nec præstare nec referre vult, victus recedit, sed appellare potest, 12. 2. 16. Tom. 3.
An is, cui delatum est, petere possit dilationem ad deliberandum. An is, qui detulit, delatum, sed necdum præstitum revocare possit. An is, qui expresse vel tacite recusavit alterutrum facere, postea ex pœnitentia possit præstare vel referre, 12. 2. 16. Tom. 3.
Quid sit actio in factum ex jurejurando, est in simplum, licet negotium, de quo juratum, ex inficiatione in duplum sit. Non est nova actio, sed adjectitia qualitas actionis in rem aut in personam, cujus & naturam imitatur, nec novationem continet, 12. 2. 18. Tom. 3.
Jusjurandum juranti etiam nocet, ut conveniri possit ex negotio, quod intercessisse juravit: quod exemplis docetur, 12. 2. 19. Tom. 3.
Jusjurandum aliis, quam inter quos est præstitum, neque nocet neque prodest; quod exemplis declaratur, 12. 2. 20. Tom. 3.
An jusjurandum debitoris principalis prosit fidejussori, & vice versa. An jusjurandum unius rei debendi alteri reo debendi. An delatum ab uno credendi reo, & per debitorem præstitum, noceat alteri reo credendi agere volenti. An vice versa, quod unus debendi reus detulit, præstitum ab adversario, noceat alteri debendi reo, 12. 2. 21. Tom. 3.
Jusjurandum strictam recipit interpretationem, ne extendatur ultra rem aut casum, de quo juratum est. Quid juris, si alia actio intentetur, sed qua quæstio eadem ventilatur, quæ in actione priori, in qua juratum est, 12. 2. 22. Tom. 3.
Pro præstito habetur jusjurandum, quo ab illo, qui detulit vel retulit, remissum est ei, qui id jam susceperat. Quid intersit inter remissionem jurisjurandi adhuc præstandi, & ejus quod jam præstitum est, 12. 2. 23. Tom. 3.
Habetur & pro præstito, si is, qui illud sibi delatum aut relatum susceperat, mortuus sit antequam præstaret: secus, si præstare recusaverit, 12. 2. 24. Tom. 3.
Jusjurandum voluntarium & judiciale præstitum rescindi nequit per appellationem; nec propter instrumenta noviter reperta; nec perjurii prætextu, cujus ratio & restrictio explicatur, 12. 2. 25. Tom. 3.
In omni delatione vel relatione jurisjurandi tacita conventio est, 12. 2. 25. Tom. 3.
Recensentur plures casus ac causæ, quibus jusjurandum voluntarium ac judiciale jam præstitum effectu caret, 12. 2. 26. Tom. 3.
Jusjurandum necessarium quid sit? in quibus causis locum habeat. An in criminalibus. An hodie in infamantibus. An, si ex crimine tantum civiliter agatur ad pœnam pecuniariam. An & in actione injuriarum ad pœnam aut palinodiam. An & in causis fraudati census ac impositionum publicarum, 12. 2. 27. Tom. 3.
An &, si de consuetudine probanda quæstio sit, 1. 3. 35. Tom. 1.
Quando causa dicenda sit *dubia*, ut judex jusjurandum deferre possit, 12. 2. 28. Tom. 3.
Deferre potest judex jusjurandum, licet neuter litigantium id petat; etiam post conclusionem in causa. Arbitrio judicis relinquendum, an illud actori, an reo, deferri debeat, 12. 2. 29. Tom. 3.
Quibus in casibus suppletorium deferri nequeat? non ad probandam præscriptionem, aut consuetudinem, aut sanguinis proximitatem; non ad supplendum solemnitatum defectum, 12. 2. 29. Tom. 3.
Præstandum ea forma, qua delatum, citata adversa parte. Nec referri potest, ac judicandum contra eum, qui jurare detrectat; appellari tamen a condemnatione potest, & peti rescissio jurisjurandi propter instrumenta noviter reperta, 12. 30. Tom. 3.

Mo-

Moribus hodiernis jusjurandum a parte parti delatum non præstatur, nec quisquam præstare vel referre cogitur, nisi intervaniat judicis decretum. Nec tamen ideo omne jusjurandum, quanto ad affectus, nunc necessarium est, 12. 2. 31. Tom. 5.
Quæ sit perjurii pœna jure Romano ac moribus? An pœnis gravioribus afficiendi, qui tantum ad pejerandum se paratos professi sunt, aut errore pejerarunt? Et ex quibus præsumi possit, dolum a perjurio abesse, 12. 2. 32. Tom. 5.

L.

Lapides.

Lapides & lapicidinæ quo usque contineantur in usufructu fundi, 7. 1. 24. Tom. 2.

Laudimia.

De laudimiis, maxime nomine emphyteusios solvendis, varias quæstiones, vide in verbo *emphyteusis*.
An duplicata debeantur laudimia, si fiat retractus conventionalis, 18. 3. 7. Tom. 3.
In retractu legali semel tantum laudimia aliaque onera debentur, 18. 5. 09. Tom. 3.
An retrahens solvat laudimia aliaque onera, a quibus emptor ex privilegio personali liber erat, 18. 3. 23. Tom. 3.
An laudimia, domino directo pro venditione soluta, restituenda sint per dominum directum cum venditio ob enormem læsionem rescinditur. An iterato solvenda pro resolutione contractus. An emptor laudimia, quæ repetere nequit ab eo, cui solvit, repetere possit ab ipso venditore, 18. 5. 9. Tom. 3.
De Laudimiis, vide *investitura*.

Læsio enormis.

Vide *rescissio venditionis*.

Legalis hypotheca.

Legalis hypotheca nascitur, licet non sit actis publicis insinuata, nec quadragesimæ solutio requiritur, 20. 2. 11. Tom. 3.
Legalis hypotheca fisco competit in bonis administratorum, & eorum quibuscum contraxit, & civium pro tributis; quod & civitatibus datum, si tributa exigant ex Principis concessione. An & publicani pro exactione tributorum ac vectigalium hypothecam habeant, & quamdiu secundum mores Hollandiæ, 20. 2. 8. Tom. 5.
An fisco pro mulctis ac pœnis in bonis delinquentium hypotheca aut personale inter chirographarios privilegium competat, an magis fiscus omnibus chirographariis postponendus sit, 20. 2. 6. Tom. 3.
An & quo usque fiscus hypothecam legalem habeat, cum in jus privati succedit, 20. 2. 10. Tom. 3.
Pupillis hypotheca legalis competit in bonis tutorum, curatorum, vitrici, quem mater superinduxit non redditis rationibus. An & moribus in bonis mulieris, quam tutor post susceptum tutelæ officium uxorem duxit, 20. 2. 11. Tom. 5.
An in bonis protutorum, actorum tutori adjunctorum, procuratorum, & eorum qui pupillorum negotia ex amicitia gesserunt, 20. 2. 12. Tom. 3.
An hoc jus competat furiosis, prodigis, mente captis, debilibus, mutis, surdis, 20. e. 13. Tom. 5.
An pupilli & similes hoc jus habeant in bonis magistratuum, cum subsidiaria agunt actione. An in bonis executoris testamenti pro legatis & similibus. An in bonis curatoris bonis dati, si creditores sint. An in bonis eorum, quibuscum pupilli contraxerunt. Si eorum nomine contractum sit (*op Weeskamers recht*,) quamdiu tunc jus illud duret? An in bonis hæredum tutoris, 20. 2. 14. Tom. 5.
An pupilli in rem suam pecunia emptam habeant legalis hypothecæ jus pro pecuniæ delutæ restitutione, 20. 2. 15. Tom. 5.
An & in bonis tutoris pro iis, quæ tutor ante delatam tutelam pupillis, aut illis, quibus hi hæredes extiterunt, vel etiam durante administratione, sed alia ex causa cœpit debere. An & pro usuris talis debiti, ac impensis litis, in quas tutor ex actione tutelæ damnatus est. Et quid, si tutor debitor cum reliquis pupilli tutoribus debitum novaverit, 20. 2. 16. Tom. 5.
Ex quo tempore pupillis incipiat competere hoc jus legalis hypothecæ, & quid juris, si unus diversas tutelas diversis temporibus delatas gesserit, 20. 2. 17. Tom. 5.
An jus hypothecæ legalis pereat pupillis per rationum redditionem, si reliqua necdum restituta sint, sed usuræ reliquorum perceptæ, 20. 2. 18. Tom. 5.
Transit hoc jus hypothecæ legalis ad hæredes pupillorum, 20. 2. 18. Tom. 5.
Tempore Pandectarum legalis hæc hypotheca pupillis non competiit, sed demum post inducta fuit, 20. 2. 19. Tom. 5.
Mulieri, sponsæ, & uxori putativæ competit hypotheca legalis pro dote, & paraphernis, ac marito pro obtinenda dote promissa, & recuperanda donatione propter nuptias. Quid moribus, 20. 2. 20. Tom. 5.
Mulier hanc hypothecam legalem transmittit ad hæredes, 20. 2. 18. Tom. 5.
Si testator diversis temporibus alia atque alia legata reliquerit, vel alia pure, alia sub conditione, alter alteri in hypotheca legali non præfertus, 20. 2. 22. Tom. 5.
Alia de hypotheca legali pro legatis, vide in indice partis posterioris ad verbum *legatum*.
Competit hypotheca legalis in bonis vidui vel viduæ pro restitutione relictorum sub conditione vidaitatis, 20. 2. 03. Tom. 5.
Item liberis prioris thori in bonis parentis bimbi pro rebus, quæ in pœnam secundarum nuptiarum ad liberos primi thori redire debent. Uti & pro bonis parentis defuncti, aut a linea parentis defuncti profectis, quæ parens superstes administravit, imo ex moribus etiam aliquando in bonis vitrici aut novercæ. Non pro cæteris adventitiis; cujus tamen contrarium moribus verius, 20. 2. 03. Tom. 3.
An liberis pereat jus hypothecæ legalis pro bonis parentis defuncti in bona superstitis, si mediante transactione (*by uytkoop*) certa pecuniæ quantitas promissa sit? Et quid juris, si cum parens superstes omne æris alieni onus in se recepisset, liberi partem oneris solvere per creditores compulsi sint, 20. 2. 24. Tom. 5.
An legalis hypotheca competat civitati, ecclesiis, piis locis, in bonis administratorum. An societati Indiæ Orient. & Occidentalis. An pagis & vicis in bonis eorum, quibus commiserunt exactionem eorum, quæ dicuntur *Mengengelden & Molegelden*, 20. 2. 25. Tom. 5.
An & in bonis eorum, quibuscum civitas aut Ecclesia contraxit. Et quale jus civitati hac in parte datum sit, 20. 2. 26. Tom. 5.
Dominus directus & dominus antiquus pro canone, solario, censu, habet hypothecam legalem in fundum emphyteuticum, superficiarium, censualem. Argentarii in militiam suis nummis creditis emptam, 20. 2. 27. Tom. 5.
Credentes in refectionem ædium, hypothecam ex lege habent in ipsas ædes. An & fabri pro mercede operarum. Quid, si creditum, sed in refectionem non impensum? Quid, si impensa non ex necessitate, sed utilitatis aut voluptatis causa facta sit, 20. n. 28. Tom. 5.
Quid, si creditum sit in domus emptionem, aut ædium novarum extructionem. Quid, si in aliarum rerum meliorationem, reparationem, aut emptionem. An non tunc retentio rerum competat, si adhuc possideantur, 20. 2. 28. Tom. 5.
Non jure civili, sed moribus, hypothecam legalem habet, qui credidit in navis refectionem, 20. 2. 09. Tom. 5.
Habent & domini, quorum merces urgente necessitate per magistrum navis distractæ sunt, in ipsa nave; socii nautici in nave & mercibus ea vectis pro mercede debita, 20. 2. 30. Tom. 5.
Competit etiam universitati agrorum pro impensis in refectionem aggerum, molendinorum, &c. Redemptori pro lucro in bonis ejus, quam a Turcis aut Barbaris alius redemit; illis qui suam partem societatis Indicæ venditam transcripserunt, in ipsa illa parte pro pretio necdum soluto; insolatoribus (*blekers*) pro mercede dealbationis in linea, &c. 20. n. 31. Tom. 5.
An jus pignoris nascatur ex arresto rei aut personæ. An ex agnitione chirographi in judicio. An ex sententia. Et quid juris, si pignora judicati exsequendi causa capta sint, 20. e. 32. Tom. 5.
An domino rei furto ablatæ in rebus furis, pro æstimatione, vel in rebus ex pecunia furtiva emptis. An socio in bonis socii pro eo quod reliquis sociis jure societatis debitum? An ei, cui annuus reditus ex certo fundo præstandus venditur, si fundus specialiter obligatus non sit, 20. e. 33. Tom. 5.
Cujus loci leges spectandæ sint in quæstione, an legalis hypotheca competat in mobilibus & immobilibus, 20. 2. 34. Tom. 5.

Legati.

An quatenus jure gentium inviolabiles sint, 1. 1. 18. Tom. 1.
Legati an obligentur legibus loci, in quo legationis causa morantur, 1. 3. 10. Tom. 1.
An & legati civitatum aut provinciarum Fœderati Belgii ad collegia generalia, 1. 3. 12. Tom. 1.
Quæ pœna violantium legatos, 1. 8. 7. Tom. 1.
An arrestari possint legati exterarum gentium, 2. 4. 43. Tom. 1.

An

An delegati ad Fœderata Belgii uniti collegia sisti possint, 2. 4. 44. Tom. 1.
An legatus constituens id, quod in provincia debet, Romæ tempore legationis actione de constituta pecunia conveniri possit, 15. 5. 15. Tom. 3.

Legatum.

Quid sit legatum. Si testator legatario donet rem legatam, an in dubio magis præsumenda sit esse donatio inter vivos, an mortis causa, 30. 1. 1. Tom. 5.
Sublata est differentia inter legata & fideicommissa; ut & inter legata damnationis, vindicationis &c., 30. 1. 2. Tom. 5.
Qui possint legare. Quibus recte legatur, vel non. An jam mortuis apud hostes captis, servis domini deportati. Si extraneo instituto *leges cognatis proximis*, qui videantur designati, & pro quibus partibus, 30. 1. 3. Tom. 5.
Hæres a se ipso legatum capere nequit, ratione civili & naturali. Inutile est legatum datum hæredi ex asse. Quid, si hæredi ex asse instituto & Titio legatum sit. Quam partem ex legato capiat hæres, cui ex semisse instituto & duobus aliis extraneis fundus legatus, 30. 1. 4. Tom. 5.
Quæ pars cuique ex legato cedat, si testator omnibus hæredibus, in partibus inæqualibus institutis, rem unam simplici legato reliquerit, exemplis explicatur, 30. 1. 5. Tom. 5.
Quam quisque partem capiat, si ex pluribus hæredibus uni, aut quibusdam tantum res legetur. Et an hæ juris civilis determinationes adhuc hodie servandæ, 30. 1. 6. Tom. 5.
Si non simplex legatum, sed prælegatum, uni aut quibusdam, aut omnibus hæredibus relictum sit, quales tunc partes singuli, & quo jure capiant. Et an in prælegato hæres a se ipso capere possit, 30. 1. 7. Tom. 5.
An regula, quod nemo a se capere possit, etiam in mortis causa donatione obtineat, 30. 1. 8. Tom. 5.
An legari possit res incapaci, ut is eam restituat capaci. An posita statutaria gratificationis inter conjuges prohibitione, conjux conjugi legare possit pecuniam inter pauperes distribuendam, 30. 1. 9. Tom. 5.
Quibus temporibus legatarius debeat capax esse legati puri & conditionalis. An incapaci legari possit sub conditione, *si aliquando capere potuerit*, & quando tunc debeat capax esse, 30. 1. 10. Tom. 5.
Qui possint legatis gravari. An & hæredes ab intestato. An & hæredes legitimi impuberis filiif. per patrem ejus. An & substituti. An substitutus filiif. impuberis exhæredati. Quando substitutus iisdem intelligatur gravatus legatis, & fideicommissis, quibus institutus. Quando non, 30. 1. 11. Tom. 5.
An gravari possit legato, qui nec expressa nec tacita defuncti voluntate, sed casu hæres fit. Cujus exempla dantur. Et quid moribus, 30. 1. 12. Tom. 5.
Testator vel unum in solidum, vel omnes virilibus aut hæreditariis portionibus gravare potest. An, si jusserit corpus hæreditarium ab uno præstari, cum videatur in solidum gravasse. An legatarius unum in solidum gravatum in solidum convenire possit, 30. 1. 13. Tom. 5.
An gravari possint legatarii, fideicommissarii, mortis causa donatarii, mortis causa capientes. An maritus ab uxore, quæ ei donaverat. An & debitores defuncti, & quis tunc effectus. An donatarii inter vivos, 30. 1. 14. Tom. 5.
Hæredes ultra vires hæreditatis gravari possunt, non legatarii, exceptis quibusdam casibus, 30. 1. 15. Tom. 5.
Recensentur casus, quibus alii videntur honorati, alii legatis gravati; ubi de municipio, pupillo honorato, tutore & similibus gravatis, & de gravato legatarii vel hæredis hærede. Vere non honoratus, gravari nequit. An & quando, posita statutaria communione, ex communi massa solvendum, quando unus conjux vel uterque simul legavit, 30. 1. 16. Tom. 5.
Quales res legari possint. An &, quæ apud hostes sint. An res in genere. Si testator leget genus rerum, veluti, supellectilem suam, & præmiserit vel subjunxerit quasdam generis illius species, an tunc præter species recensitas debeantur aliæ sub illo genere contentæ, 30. 1. 17. Tom. 5.
Quæ contineantur legatis *mobilibus* sine certi loci adjectione. An merces venales, numerata pecunia. An & ea, quæ reposita, ut fœnori aut in emptionem prædiorum collocentur. An actiones. Quæ contineantur legato mobilium certi loci. An nomina, quorum instrumenta in eo loco sunt. An pecunia præsidii causa ibi reposita, & quid illa sit. Qualis regula in his observanda, 30. 1. 18. Tom. 5.
Legari potest hæreditas defuncto relicta, pars quota hæreditatis vel bonorum ipsius defuncti. Quis tunc effectus. Quid intersit, an quota hæreditatis detur titulo institutionis, an legati. Et utrum pars hæreditatis, an bonorum, legetur. Si taberna, armentum, familia legetur, an unum, an multiplex sit legatum, 30. 1. 19. Tom. 5.
Legatus & nomen seu actio, quæ cedenda etiam ad usuras sortis adhuc debitas; una cum actionibus accessoriis. An hæres teneatur præstare debitorem locupletem. An non saltem, si testator leget expresse rem aut quantitatem sibi dubiam. Quid, si leget actionem in judicium jam deductam. Utiles actiones legatario & sine cessione competunt. An & accessoriæ, quas hæres demum paravit, 30. 1. 20. Tom. 5.
Quid, si testator leget Titio, quod Mævius debet, & is nihil debeat. Et quid, si exprimat certam quantitatem tanquam sibi debitam. Quid, si leget sibi sub conditione debitum ex contractu vel legato, 30. 1. 21. Tom. 5.
Quid, si nomen extinctum sit confusione, acceptilatione, legato liberationis. Quid, si testator ipse cum effectu exegerit. Unde colligi possit, testatorem voluisse ut legatum nominis exacti adhuc ratum maneat. Quid, si debitum novaverit, aut sponte oblatum acceptaverit. Quid petat legatarius, si nomen quidem extinctum, sed legatum adhuc ratum sit, 30. 1. 22. Tom. 5.
An evanescat, si testator nomen jam judicio exigere cœperit, sed ante solutionem mortuus sit, 30. 1. 23. Tom. 5.
Quid, si testatori, cui debebatur *Stichus aut decem arbitrio debitoris*, leget alteri Stichum sibi debitum, vel uni Stichum, alteri decem. Quid si cum haberet duos debendi reos, vel debitorem & fidejussorem *Gajum & Lucium*, leget uni, quod sibi Gajus, alteri, quod sibi Lucius debet. Quid, si postea alteruter eorum acceptilatione, pacto legato liberatus sit, 30. 1. 24. Tom. 5.
Quid debeatur, si calendarium, seu nominum universitas legetur. An etiam pecuniæ exactæ. An in calendarii rationem de novo translatæ, vel calendarii rationibus exemptæ. Legato certo nominum numero ex calendario arbitrio legatarii eligendo, cujus temporis calendarium spectandum sit, facti testamenti, an mortis, 30. 1. 25. Tom. 5.
Legatur res hæredis, & aliena. Quali pretio hæc sit redimenda. Præstanda res hæredis, licet testator putaverit, eam suam esse; aliena demum tunc, cum testator scivit alienam esse, & id probat legatarius, exceptis paucis casibus, qui recensentur. An hæres liberetur a redimendi necessitate, si res aliena admodum difficilis comparatu sit, 30. 1. 26. Tom. 5.
Si testator rem suam, sed alteri obligatam, leget, quis pignus luat. Quid, si alius in re legata usumfructum habeat. Quid, si rei legatæ impositum sit onus tale, ex quo metuenda dominii amissio, an hæres eam liberare debeat ab illo onere. An & a servitute prædiali, vel reditu irredimibili, qui prædio legato impositus. Si testator conductor fructum conductionis alteri leget, qui pensionem solvat, 30. 1. 27. Tom. 5.
Quid juris, si quis leget rem sibi cum alio communem. Quid, si fundum suum vectigalem. Quid, si rem sibi & hæredi communem. Quid si testator postea partem alteram rei communis redemerit. Quid, si conjux leget rem sibi & conjugi ex statuto communem, 30. 1. 28. Tom. 5.
Res legatarii propria ei sub conditione, non pure, legari potest. Quid, si testator in re legatarii habuerit jus superficiei emphyteuseos, ususfructus, pignoris. Quid, si tertius hæc jura habeat in re propria legatarii, aut jus servitutis prædialis. An hæres pretium solvat, si legata sit res legatario vendita & tradita, sed pretio non soluto. Recte legatur res legatarii, quoties dominium ejus ipsi auferri potest ex causa jam nata, recte quoque æstimatio rei legatarii, 30. 1. 29. Tom. 5.
Res extra commercium posita legari nequit pure vel sub conditione, nec æstimatio debetur. Quid, si sit in commercio hæredis, non legatarii, vel contra. Si legatarius fideicommisso gravetur, incapacitas legatarii non obest fideicommissario capaci, 30. 1. 30. Tom. 5.
Quid, si testator suum servum alteri leget, & ipsi servo leget libertatem, pure, ex die, vel sub conditione, 30. 1. 31. Tom. 5.
Tignum ædibus junctum an & quando legari possit jure civili, vel moribus, 30. 1. 32. Tom. 5.
An si res omnino, vel certis personis, veluti immobilibus tutori, conjugi, prohibeatur legari, æstimatio debeatur. Et quid, si expresse rerum talium æstimatio legetur. An tacite videantur statuto prohibitæ legari res illæ, quæ jure præcipui cedere debent primogenito, aut conjugi, 30. 1. 33. Tom. 5.
Si idem corpus, aut eadem quantitas, sæpius eidem, ab eodem, eadem vel diversis scripturis legetur, an semel, an sæpe debeatur, 30. 1. 34. Tom. 5.
Legari possunt facta. Hæres per testatorem damnatus rem duobus vendere, an cogi possit uni partem vendere, si alter emere nolit, 30. 1. 35. Tom. 5.
An legati præstatio conferri possit in arbitrium hæredis. An, cui dare velit, quibus pensionibus. An in arbitrium legatarii. Et an tunc purum, an conditionale legatum sit. An in arbitrium tertii expresse vel tacite, 30. 1. 36. Tom. 5.

A-

Agnosci debet legatum, ut peti possit; idque cum onera addito. An pro parte agnosci, pro parte repudiari possit, si una vel plures res legatæ sint. Quid, si plures sint unius legatarii hæredes, vel plures domini. An hæres repudiare hæreditatem, & legatum agnoscare, 30. 1. 37. Tom. 5.

De actione ex testamento, in quibus legatis locum habeat, & contra quos. Stricti juris est, sed in variis imitatur actiones bonæ fidei, 30. 1. 38. Tom. 5.

De rei vindicatione pro legato, & fundamento ejus. Quo sensu dominium rei legatæ recta via transeat a defuncto in legatarium, & quando. Quæ legata per vindicationem peti nequeant, 30. 1. 39. Tom. 5.

De actione hypothecaria. An illa dividua sit, si testator expresse pignus pro legato constituerit testamento. An testator hoc jus hypothecæ adimere possit. An hoc jus competat etiam hæredi ex re certa instituto. An & legatario annui legati, 30. 1. 40. Tom. 5.

An competat, si non hæres, sed legatarius legato gravatus sit, & in quibus tunc bonis. Qualia defuncti bona, & quo usque, affecta sint, cum plures hæredes legato gravati sunt, vel unus ex pluribus, vel ex pluribus gravatis quidam jam solverunt, 30. 1. 41. Tom. 5.

An hypothecaria etiam detur contra tertios rerum defuncti possessoras, 30. 1. 42. Tom. 5.

An & pro usuris ac fructibus legatorum competat hoc jus. An & pro sumptibus ad consequendum legatum factis, in quos hæres damnatus est, 30. 1. 43. Tom. 5.

Qualia legata judicio famil. erciscundæ peti possint, 30. 1. 44. Tom. 5.

An legatarius legatum privata auctoritate occupare possit invito possessore. Quid, si testator ei hoc jus dederit. An possit via executiva consequi. Et quid moribus, 30. 1. 45. Tom. 5.

Quisque hæres tantum fert onus legati pro ea parte, qua hæres est: licet raspectu rei individuæ in solidum conventus ac condemnatus sit, regressum tunc contra cæteros habiturus, nisi aliud testator voluerit: & quando videatur aliud voluisse. An unius inopia cæteros gravet ratione legati. An portio deficientis accrescat reliquis hæredibus cum onere legati, 30. 1. 46. Tom. 5.

Si unus, tanquam ex asse hæres, gravetur legato, post el alius addatur, vel alius præter gravatum gravanti succedat, scienti, vel ignoranti, alterum quoque successurum, an prior integra legata præstet. Quid, si gravetur ex asse institutus, qui ex statuto sola mobilia capere potest, 30. 1. 47. Tom. 5.

Præstandæ cum rebus legatis accessiouas earum. Quæ illæ sint. Fructus & usuræ legatorum ex quo tempore debeantur, 30. 1. 48. Tom. 5.

An pro rebus pecunia, aut pro pecunia res legatario invito dari. An non, si hæres peculiari ducatur affectione in rem legatam. Si electio hæredis sit, an rem, an æstimationam dare velit, an partim æstimationem dare possit. Recensentur casus, quibus hæres vel potest vel cogitur dare rei legatæ æstimationem, 30. 1. 49. Tom. 5.

Qualis culpa per gravatum præstanda, si hæres vel legatarius legato, vel hæres universalis fideicommisso gravatus sit, 30. 1. 50. Tom. 5.

An & culpæ accensendum, si tignum legatum ædibus junxerit, vel rem legatam in funes impenderit, vel servum suum legatum manumiserit vivo aut mortuo testatore. Quid agere debeat hæres, si dubitetur, an res legata supersit, nec ne, 30. 1. 51. Tom. 5.

Parte legatæ rei exstincta, an quod superest debeatur. An rudera vel area, exusta domo. An corium, aut cornua perempto bove. An equi superstites, si ex quadriga unus perierit, 30. 1. 52. Tom. 5.

Quando ob culpam hæres actione ex testamento, quando ex lege Aquilia conveniatur, 30. 1. 53. Tom. 5.

Quo modo consultum sit legatario, si res legata non hæredis, sed tertii facto perierit, 30. 1. 54. Tom. 5.

Quid juris, si ex lana legata vestis, ex materia navis, ex auro poculum, ex poculo massa facta sit, vel areæ legatæ domus imposita, vel domus destructa & alia reposita; quid, si paulatim in totum refecta, 30. 1. 55. Tom. 5.

Recensentur casus, quibus ad legatum agunt, qui in legando nullo modo, vel non principaliter, nominati sunt: & quidem vel soli, vel cum nominatis. Quo modo cavendum sit hæredi per eum, qui primus agit, si & alter agere possit, 30. 1. 56. Tom. 5.

An legatarius rem unam sibi legatam possit partim ex testamento actione, partim vindicatione petere. Et quid si pluras hæredes unius legatarii, 30. 1. 57. Tom. 5.

Ubi legata peti debeant, 30. 1. 58. Tom. 5.

De jure accrescendi inter collegatarios, vide *accrescendi jus*.

De annuis legatis, & annua, bima, trima die relictis, vide *annuum legatum*.

De reditu legato, vide *reditus*.

De servitute legata, quando dies ejus cedat, 33. 3. 1. Tom. 5.

De dote prælegata, vide *dos*.

De optione vel electione legata, vide *electio*.

De tritico, vino vel oleo legato, quid, & quantum videatur legatum. Quando nihil debeatur. Et cui competat electio ratione qualitatis, 33. 6. 1. & *seqq*. Tom. 5.

De instructo vel instrumento legato. Vide *instrumentum*.

De peculio legato, vide *peculium*.

De penu legata, vide *penus*.

De supellectile legata, vide *supellex*.

De alimentis & cibariis legatis, vide *alimenta*.

De auro, argento, mundo, ornamentis, veste, statuis legatis. Vide *aurum*, *mundus*, *ornamenta*, *vestis*, *statua*.

De liberatione legata. Vide *liberatio*.

De debitore legante quod debet. Vide *debitum*.

De adimendis & transferendis legatis, vide *ademptio legati*.

De rebus dubiis, vide *interpretatio*.

De legato pœnæ causa, vide *pœna*.

De his quæ pro non scriptis habita, vide *caduca*.

De his, quibus ut indignis, vide *indignus*.

Quando dies legatorum cedat, vide *cessio diei*.

De cautione legatorum nomine, vide *cautio*.

Legatus.

Qua solemnitata legati ad alias gentes missi, eorumque ministri possint testari. Et quid de delagatis ad Collegia ordinum, &c. 28. 1. 14. Tom. 4.

Quot generum legati sint. De inviolabilitate legatorum a populo libero ad populum liberum missorum, ratione personæ, honorum, comitum, ædium, etiam jure Hollandico, 50. 7. 1. Tom. 6.

De legatione *libera* & *non libera*. Absentes libera legatione non gaudent juribus legationum. De legatione *gratuita*, & *non gratuita*, & *viatico*, seu *legativo*, 50. 7. 2. Tom. 6.

De modo constituendi legatos municipiorum. Qui & quot fuerint eligendi. An & unus potuerit plures legationes suscipere. Quo ordine quisque in municipio debuerit legatione fungi. Ex quibus causis excusare se potuerint a legatione. An ea fungi potuerint per vicarium; & per quem, & quid moribus. Quando biennii vacatio competierit legatione perfunctis. An filio ob legationem patris. An quia quis pro alio vicarium legati munus subiit, 50. 7. 3. Tom. 6.

De privilegiis legatorum municipalium. Ubi de jure revocandi domum; & an ac quando, quibusque in causis, absentes in patria defendi debuerint. Ex quo, & ad quod tempus gavisi fuerint jure absentium reipublicæ causa. An morientes in munere debeant viatica accepta restituere collegiis aut reipublicæ, 50. 7. 4. Tom. 6.

An hi legati potuerint dona accipere, aut legationem deserere. An & quatenus privata sive aliena negotia curare. Et quid moribus, 50. 7. 5. Tom. 6.

De nostratium ad comitia & collegia varia delagatorum jure circa in jus vocationes, & arrastationes; jus domicilii; deque adeunda eorum hæreditate cum beneficio inventarii, aut in eam successione ab intestato; de solemnitate per eos in testamento, & aliis actibus adhibenda. Quo usque subsint legibus loci, ubi legationis causa morantur. De damno iis reparando, quod fortuito passi sunt, 50. 7. 6. Tom. 6.

Legatus proconsulis.

Proconsul adjunctum habuit legatum, cui mandabat jurisdictionam, nec alteri mandare poterat, 1. 16. 3. Tom. 1.

An legati proconsulis propriam habuerint jurisdictionem, & eam suo nomine exercuerint, an nomine proconsulis, 1. 16. 4. Tom. 1.

Legati proconsulis non habuerunt jurisdictionem criminalem, 1. 16. 5. Tom. 1.

Apud legatum proconsulis manumissio, adoptio, & similes actus voluntariæ jurisdictionis expediri potuerunt, 1. 16. 6. Tom. 1.

Legatus Cæsaris.

Legatus Cæsaris habuit jurisdictionem criminalam, 1. 16. 5. Tom. 1.

Leges.

De necessitate legum, 1. 1. 1. Tom. 1.

De compositione legis 12. *tab.* 1. 2. 1. Tom. 1.

Quid sit lex, 1. 3. 2. Tom. 1.

Cur dicatur *delictorum*, *quæ sponte vel ignorantia contrahuntur*, *coercitio*, 1. 3. 3. Tom. 1.

Cur dicatur *communis reipublicæ sponsio*, 1. 3. 4. Tom. 1.

Lex debet esse justa & generalis, licet ratio legis non æqualiter in omnibus civibus militet, 1. 3. 5. Tom. 1.

Lex non est irrationabilis, licet prima ratio legis ignoretur, 1. 3. 6. Tom. 1.

Lex debet asse perpetua, t. 3. 7. Tom. t.
Lex non facile mutanda est, t. 3. 39. Tom. 1.
Leu æneis tabulis incidi solita, s. 3. 7. Tom. s.
Debet asse lata ab illis, qai Jaris condendi potestatem habent, t. 3. 8. Tom. t.
Debet usse promulgata, t. 3. 9. Tom. s.
An leu passim promulgata excupto uno loco, obligat incolas istius loci, t. 3. 10. Tom. t.
Leu promulgata quidem, sed nunquam usu sucepta, non habet vim legis, 1. 3. 41. Tom. 1.
Quo usque & quamdiu subditi ac advenæ per carti loci legem obligentur, 1. 3. 11. Tom. t.
An & quo usque legati, ac delegati ad collegia generalia Fœderati Belgii, 1. 3. 12. Tom. 1.
An studiosi ligentor legibus loci in quo studioram causa morantur, 1. 3. 13. Tom. s.
Quo respectu luges suadentes & permittentes habeant vim legis, t. 3. 14. Tom. 1.
An & quo usque Princeps legibus solutus sit, & lugibus tamen vivere velit, 1. 3. 15. Tom. s.
Quod contra legus gestum est, quando ipso jure nullam sit, quando non, 1. 3. 16. Tom. s.
Leges ad futura, non præterita negotia pertinant, quandoque utiam ad præterita, 1. 3. 17. Tom. s.
Interpretatio legis, vide *interpretatio*.
Abrogatio lugis, vidu *abrogatio*.
Qui dicit legum abrogatam, aut nunquam esa receptam fuisse, id probare debet, 1. 3. 40. Tom. 1.
Quo sensu verum sit, cassante rationu legis cessare ipsam legis dispositionem, t. 3. 43. Tom. 1.
An una civitas negligentia aut non usu possit subducure obligationi legis aut edicii genurulis totius populi territorii, 1. 3. 42. Tom. 1.
Cujus loci leges in judicando observandæ sint, & quid, si pendente lite vel appellatione lex per novam legem abrogetur, 5. t. 51. Tom. 2.
Legislatores, qui primi fuerint apud geotes plarasque antiquas, 1. 1. t. Tom. 1.
Qui condant leges in statu monarchico, aristocratico, & democratico, t. 3. 8. Tom. t.
Legitima persona staude in judicio. Vide *judicium*.

Legitima.

An liberi fideicommisso gravati præter legitimam etiam Trebellianicam deducant. Vidu *Trebellianica*.
Si pactis dotalibus sit dufinitus succedendi ordo, ut conjux superstes defuncto succedat, parentibus conjugum paciscentium superstitibus salva debet esiu legitima, ubi leges eos ab inrestato vocant, 5. 2. 58. Tom. 2.
Quid, si parentes ipsi talibus pactis dotalibus subscripserint, nao tamen nominatim lugitimæ renunciaverint, 5. 2. 39. Tom. 2.
Si pacto dotali defieitum sit, liberis eu eo matrimonio nascituris ac sinu prolu decedentibus, bona redire debere ad latus, uude provenerunt, nulla superstiti conjugi ex liberorum bouis lagitima aut Trebellianica competit, 5. a. 40. Tom. 2.
Quid juris, si designati tabula dotali successores, fideicommisso ulteriore gravati sint; vel ipsis liberis alianatio interdicta, 5. a. 40. Tom. a.
Si liberi testamentum condidarint, & ita ordinem succedendi tabalis dotalibus comprehensum insoper habuerint, parenti superstiti legitimam relinqaere debeet, 5. 2. 41. Tom. 2.
Si parentes, aut liberi, aut fratres statuto exclusi sint a successione ab intestato, non habent querulam, si testamento præteriti sint, 5. 2. 42. Tom. 2.
Quid sit legitima, an hæreditatis, an potius bonorum pars, 5. a. 44. Tom. 2.
In quo consistat utilitas superioris quæstionis, 5. 2. 43. Tom. 2.
Quota portio sit legitima, & an atiam jare novo in parentibus & fratribus aucta, 5. 2. 46. Tom. a.
Si da quantitate legitimæ statuta varient, cujus loci statutum spectandum sit, 5. a. 47. Tom. 2.
Si parentes una cum filiis suis defunctis fratribus succedere debeant ab intustato filio suo, & defunctus extranuum hæredem honestum instituerit, quota tunc sit parentum legitima, 5. a. 47. Tom. a.
Quæ sit nepotum legitima, si illi, patre medio mortuo, succedant avo, 5. 2. 48. Tom. a.
An exhæredati juste, vel renunciantes querelæ, vel statuto auclusi a successione, numerum liberorum augeant ad id, ut legitima magis semis quam triens sit, 5. a. 49. Tom. 2.
An hi numerum liberorom augeant ad minuendam lugitimam, cum quatuor sunt liberi, & ex his unus uxclusus, tres in lugitima instituti, an tunc singuli trientem trientis, an trientem quadrantis pro legitima percipiant, 5. 2. 50. Tom. 2.
In ineunda ratione legitimæ spectandum mortis tempus. Vivo patre liberi non petunt legitimam, licot pater bona prodigalitate dissipet, ne sub obtentu quidem alimentorum, 5. a. 51. Tom. 2.
Posito statuto, ut filiæ liceat renunciare hæreditati paternæ accepta dote non minora quam ust legitima, filia renuncians post acceptam dotem tempore renunciationis congruam, recte petit post mortem patris supplementum ejus, quod deest legitimæ, ubi medio tempore creverunt opes paternæ, 5. 2. 52. Tom. 2.
An is, cui legitima debetur, etiam fructus legitimæ a mortis tempore petere possit, 5. a. 53. Tom. 2.
An lugitima augeatur, si hæreditas post mortem augeatur ex causa mortem antecedente. Quid juris, si augeatur ex nova causa, & quid, si rerum hæreditariarum pretia creverint, agri alluvione aucti sint, &c. 5. 2. 54. Tom. 2.
An legitima minuatur, diminuto post mortum patrimonio, & quid juris, si rus hæreditariæ mortalitate, chasmate, ruina, edacitatu fluminis perierint, aut deteriores redditæ sint, 6. 2. 55. Tom. 2.
Quæ sint deducenda eu hæreditate, antequam legitimæ ratio inuatur, ao & bona eu fiduicommisso rustituenda, 5. 2. 56. Tom. 2.
An & deducenda prius, quæ jore primogenituræ affecta cedunt soli primogenito, præcipuu, an feuda, & quid Ultrajucti obtineat, 5. a. 57. & 60. Tom. 2.
Si consuetudo ferat, ut feudi novi umpti pretium fratribus conferatur, an pretium pro rata auguat legitimam, 5. a. 59. Tom. 2.
Si pater planam de feudis antiquis disponendi licentiam impetraverit, & tunc illa vel primogenito, vel natu minori, vel extraneo legaverit, feudum connumerandum quasi allodium ad augundam legitimam: &, si primogenito ipsi legatum sit, ei imputator in legitimam, 5. 2. 59. Tom. 2.
Cur feuda Hollandica, vulgo hæreditaria dicta, non prosint ad augendam legitimam, 5. a. 60. Tom. 2.
Ultrajucti feuda, & omnia alia juru primogenituræ affecta, simul computanda com cæteris rebus, ut legitimæ ratio ineatur. Et qoid du amphyteusi illic obtinuat, 5. 2. 60. Tom. 2.
In legitimam imputanda omnia illa, quæ & conferenda; dos, donatio propter nuptias, militia, & alia plura, 5. 2. 61. Tom. 2.
Non imputanda in legitimam, quæ parens secundo conjugi reliquit contra *l. hac edictali* 6. *C. de secund. nupt.* si ea cesserint liberis primi thori, 5. a. 62. Tom. 2.
Legitima sinu ullo onere relinquenda. Quæ oneris appellatione veniant? Quid si de facto onus sit appositum. Quid si appositum sit bona mente, exemplo exhæredationis bona mentu factæ, 5. 2. 63. Tom. a.
Si liberi in nuda proprietate, uxor aut extraneus in usufructu omnium bonorum institutus sit, adbuc salva est plena proprietas legitimæ, 5. 2. 64. Tom. 2
Quid juris, si electio liberis sit data, an legitima libera, an nuda proprietate, vel nudo usufructu bonorum omnium, vel plena proprietate, sud cum onuru universalia fideicommissi, velint contenti usse, 5. a. 64. Tom. 2.
Quid juris, si secundom morus hodiernos parentes sibi invicem bonorum omnium usomfructum lugent, cum onere alendi liberos, donec ad legitimam ætatum pervenerint, 5. 2. 65. Tom. 2.
Legitima rulinquenda titulo institutionis. Et quid moribus nostris hac in parte obtineat, 5. 2. 66. Tom. 2.

Legitimatie.

Quid sit legitimatio. Quot modis fieri potuerit? an & per adrogationum, aut *filii* nominationem, 25. 7. 4. Tom. 4.
De legitimatione per oblationem curiæ, & effectibus ejus; du filia nubente decurioni. An hoc modo spurii & incestuosi potuerint legitimari, 25. 7. 5. Tom. 4.
Quando & per quos indocta fuerit legitimatio per subsequens matrimoniom. Qui sint uffectus ujus, 25. 7. 6. Tom. 4.
An nepos legitimu natus eu filio naturali fiat avo legitimus, si is vivo vul mortuo filio naturali concubinam ducat in uxorem, 25. 7. 7. Tom. 4.
An per subsequens matrimonium legitimari possint spurii, nati ex ligato & soluta, vel soluto & ligata. Et quid si solutus & ligata putaverint, maritum jam mortuum esse, 25. 7. 8. Tom. 4.
An & incestuoti. Quid, si solo jure civili incestus fuerit, & dispensatio ad nuptias postmodum obtenta sit. An nati ex illo vel illa, qui quæve nuptias cum impotente contraxerat, & poteuti se junxerat, antequam matrimonium prius nullum declararetur, 25. 7. 9. Tom. 4.
An natus ex clerico in minoribus ordinibus constituto. Et quid juris apud nos, 25. 7. 10. Tom. 4.

An legitimatio per subsequens matrimonium in agone mortis fieri possit. Quid, si post nuptias concubitus secutus non sit. An impediatur legitimatio per id, quod inter concubinatum & nuptias cum concubina aliud matrimonium intercesserit. An tunc primogenituræ jure gaudeat, qui ex concubina primogenitus est, cum ex intermedio matrimonio existeret filius legitime natus, 25. 7. 11. Tom. 4.
An necesse, ut liberi per subsequens matrimonium legitimandi adstent tempore nuptiarum. An, ut instrumenta dotalia interveniant, 25. 7. 12. Tom. 4.
Quid sit legitimatio per rescriptum Principis. Quales ita legitimari possint, 25. 7. 13. Tom. 4.
An legitimatio hæc fieri possit exstantibus liberis legitime natis. An & post mortem patris naturalis. Et quid his in casibus operetur respectu successionis. An ita legitimati succedant patri, si is post legitimationem suscipiat liberos legitime natos, 25. 7. 14. Tom. 4.
De successione liberorum legitimatorum, quocunque legitimationis modo, 38. 18. 10. Tom. 5.
An ad hanc legitimationem vivo vel mortuo patre factam requiratur consensus cognatorum, & quid moribus, 25. 7. 15. Tom. 4.
Legitimatio hæc a quo Principe petenda. An in uno territorio legitimatus ubique habeatur pro legitimo, 25. 7. 16. Tom. 4.
Legitimatio per rescriptum pertinet ad majestatica, 25. 7. 17. Tom. 4.

Lenocinium.

De fornicatione cum muliere inhonesta & pœna, 48. 5. 1. Tom. 6.
De pœnis dominorum ancillas, parentum filias, propinquorum propinquas, nutricum puellas suæ curæ commissas prostituentium. De lenonibus ac lupanariis non tolerandis. De his, qui ædes suas lenoni locant, 48. 5. 1. Tom. 6.
Quando maritus intelligatur lenocinium uxoris exercuisse? Et quomodo ob id puniendus, 48. 5. 21. Tom. 6.
Lenocinii crimini quinquennio præscribitur, 48. 5. 22. Tom. 6.

Libellus.

Editio actionis quandoque libello fit, quandoque sine libello, 2. 13. 1. Tom. 1.
Quid sit libellus petitionis, & quæ continere debeat, prudentia opus esse in formanda libelli conclusione, 2. 13. 2. Tom. 1.
Libellus obscurus pro actore contra reum recipit interpretationem, 2. 13. 3. Tom. 1.
Judex actorem cogere potest, ut libellum obscurum explanet, 2. 13. 3. Tom. 1.
Si libellus tam obscurus sit, ut nullo modo intelligi possit intentio actoris, nullus est, & inutilis sententia ad eum lata, 2. 13. 3. Tom. 1.
Exprimendum in libello nomen actoris & rei, & qualitas, an suo, an alieno, tutorio, uxorio nomine &c. agat: quæ qualitas in ingressu litis probanda, si in principio negetur. An & cessio statim probanda, si quis cessa actione agat, 2. 13. 4. Tom. 1.
Exprimenda etiam libello res, quæ petitur. Quibus in casibus incertum peti possit, 2. 13. 5. Tom. 1.
Etiam exprimendum nomen judicis aut judicii, 2. 13. 6. Tom. 1.
Causa agendi libello inserenda, specialis in actionibus in personam, generalis in actionibus in rem, 2. 13. 7. Tom. 1.
An & nomen actionis, 2. 13. 8. Tom. 1.
An, & quo modo ac quibus præstitis, libellus ante & post litem contestatam mutari possit, eodem judicio manente, 2. 13. 9. Tom. 1.
Quid moribus hac in parte obtineat? & an sæpius mutatio fieri possit, 2. 13. 10. Tom. 1.
Qui non mutat, sed tantum obscuritatem libelli explicat, nulla ob id adversario impendia reddit. Et quis censeatur tantum explicare, non mutare, 2. 13. 11. Tom. 1.
An mutationem libelli magis licitam faciat clausula addita, *salvo jure addendi, mutandi &c.*, 2. 13. 12. Tom. 1.
Quæ sit vis clausulæ salutaris, & implorationis *nobilis officii judicum*, quæ libello petitionis addi solet? & quo usque judex supplere possit, quæ desunt advocatis partium? 2. 13. 13. Tom. 1.
An uno libello plures actiones cumulari possint? Et quæ moribus possint cumulari, quæ non, 2. 13. 14. Tom. 1.
Quæ sint exprimenda in libello criminali? 2. 13. 15. Tom. 1.

Liberatio.

Liberatio an tacite legetur, si chirographum legetur, aut pignus pro debito obligatum. Quod juris, si præter nomen, cujus liberationem testator legat, nihil habeat, & tamen aliis quoque leget? Quando ad tempus, quando in perpetuum legata videatur liberatio, 34. 3. 1. Tom. 5.
Liberatio legatur debitori testatoris, hæredis, tertii, fidejussori testatoris. An debitori inopi, vel ex maleficio debenti, vel tantum naturaliter? Si legetur non debenti, an is petere possit rem, cujus quasi debitæ remissio facta. An tuto perpetua exceptione? An adversario litiganti, qui bonam aut malam causam fovet. Qui sensus *l. 25. ff. h. t.* 34. 3. 2. Tom. 5.
Quis sit effectus hujus legati in debitore testatoris & hæredis? Quando debitor pacto, quando acceptilatione liberandus sit. Quid, si conductori legetur liberatio a conductione. Quid si cum *Stichus aut Pamphilus* deberetur, testator vetet Stichum peti. Quid juris in legata liberatione conditionali debiti puri? Liberatione ad tempus legata, an medii temporis usuræ debeantur, 34. 3. 3. Tom. 5.
Quo modo hodie legatarius obtineat effectum liberationis legatæ. An peti possit id, quod interest, si hæres legatarium liberare nolit? 34. 3. 4. Tom. 5.
An hoc legatum liberet a debitis post testamentum contractis? An ab usuris, quarum dies ante aut post conditum testamentum cessit? An ab actionibus in rem? 34. 3. 5. Tom. 5.
An corruat hoc legatum, si hæres vel testator debitum exegerit, vel legatarius his sponte solverit. Aut inter debitorem ac testatorem novatio facta sit, 34. 3. 6. Tom. 5.
Quis effectus, si debitori tertii, vel fidejussori testatoris, liberatio a testatore legata sit, 34. 3. 7. Tom. 5.

Liberi.

An monstra liberorum numero censeantur, 1. 6. 13. Tom. 1.
Liberi posthumi. Vide *posthumus*.
Qui fideicommissum relinquit, *liberis* fratris vel extranei, (*kinderen*) an & nepotes videatur complexus, 36. 1. 22. Tom. 5.
De agnoscendis liberis, vide *agnitio liberorum*.
De alendis liberis, vide *alimenta*.
De institutione posthumorum & quasi posthumorum ex formula Galli Aquilii, lege Velleja, sententia Juliani, & lege Cornelia, & posthumorum ex filiis emancipatis, 28. 2. 2. Tom. 4.
De institutione posthumorum, & quasi, ex uxore, quam quis nondum duxit, sive certa, sive incerta; aut ex uxore illegitima, sed quæ legitima fieri potest, 28. 2. 3. Tom. 4.
Quid juris circa infirmitatem testamenti ob præteritionem sui jam nati vel posthumi, aut emancipati? Moriente posthumo vel quasi, an rursus convalescat testamentum agnatione ruptum, 28. 2. 4. Tom. 4.
Si suus jam natus sit præteritus, sed vivo patre moriatur, vel patri nolit hæres esse, an testamentum convalescat jure civili vel moribus, 28. 2. 5. Tom. 4.
Posthumi instituti, *si vivo testatore nascantur*, an & instituti videantur in casum, quo *mortuo testatore nascuntur*. Quid, si quis posthumum instituerit, & plures simul aut successive nascantur ex eadem vel secunda tertiave uxore. Quid si instituerit posthumum nasciturum ex certa uxore, & nascatur ex alia. Quid, si pater exhæredaverit *unum filium nasciturum*, & nascatur filia, vel plures filii, 28. 2. 6. Tom. 4.
De sublatis circa liberos differentiis in sexu & gradu, ac retenta differentia inter suos & emancipatos, natos, & posthumos, 28. 2. 7. Tom. 4.
An & quando filii sub conditione instituti habeantur pro præteritis. An pro præteritis, si tantum ex re certa, vel ab una tantum persona, vel ab uno tantum gradu, vel sub conditione sint exhæredati. Quid, si sub conditione instituti, sub contraria exhæredati. Quid, si apud nos non coram Scabinis, sed tantum coram tabellione & testibus, sint exhæredati, 28. 2. 8. Tom. 4.
Liberi in conditione positi an censeantur ex testamento vocati. Et quid juris sit in Hollandia, ac quis usus hujus quæstionis, 28. 2. 9. Tom. 4.
Hodie præteritio est loco tacitæ exhæredationis, & liberis præteritis querela datur. An, natis aut posthumis per ignorantiam præteritis, testamentum sustineatur vi clausulæ codicillaris. An legata inde debeantur, deductis prius per præteritos duabus quartis, 28. 2. 11. Tom. 4.
Hodie omnes liberi sub conditione possunt instituti, si modo legitima iis pure relinquatur. An & nepos naturalis ex filio legitimo, si ad avi vel aviæ petitionem legitimatus sit. An & naturales e matre sua, 28. 2. 12. Tom. 4.
Pater habens liberos legitime natos non potest liberis naturalibus plus relinquere, quam unam unciam, si legitimis careat, naturales ex asse potest instituere, uti & nepotes naturales ex filio naturali, 28. 2. 13. Tom. 4.
An liberis adulterinis & incestuosis alimenta per parentes relinqui. An quid amplius præter alimenta. Quid juris in a-

vo respectu nepotis incestuosi ex filio vel filia legitima. An liberi clericorum in clericatu geniti, pro incestuosis habendi, 28. 2. 14. Tom. 4.

Liberi legitimi.

Liberi ex justis nuptiis procreati sunt legitimi, si modo tempore legitimo nati sint. Quale sit illud tempus legitimum tum jure civili tum moribus, 1. 6. 4. Tom. 1.
Natus mense quinto aut sexto a nuptiis contractis legitimus non est, si maritus ante nuptias cum sponsa non coierit, 1. 6. 5. Tom. 1.
In dubio præsumendum est, filium stante matrimonio non ex alio quam marito conceptum esse, 1. 6. 6. Tom. 1.
An partus habendus sit pro illegitimo, si mulier profiteatur, se ex alio quam marito gravidam esse, ubi alia probatio deest, 1. 6. 7. Tom. 1.
Si mulier probetur adultera, tamen partus in dubio magis ex marito quam adulterio conceptus, adeoque legitimus, præsumi debet, 1. 6. 8. Tom. 1.
Si mulier mox a morte mariti prioris ad alia vota transeat, & partum edat, qui naturaliter poterat vel ex secundo marito conceptus esse, præsumendum est, eum ex secundo potius marito genitum esse, 1. 6. 9. Tom. 1.
Natus ex sponsa impragnata, nuptiis non secutis, an sit legitimus, 1. 6. 10. Tom. 1.
An legitimus sit, qui post solemne divortium conceptus & editus est ex conjugibus privata auctoritate ac sine solemnitate conjugium redintegrantibus, 1. 6. 11. Tom. 1.
Quibus modis probetur, aliquem esse filium legitimum, 1. 6. 12. Tom. 1.

Liberi senatorum.

Vide *senator.*

Libertas.

De liberali causa, 40. 12. 1. Tom. 3.
Quibus ad libertatem proclamare non liceat? 40. 13. 1. Tom. 3.

Licitum.

Non omne, quod licet, honestum est, 1. 1. 10. Tom. 1.

Literarum obligatio.

An vere detur ulla literarum obligatio, quæ nasceretur ex confessione numerationis, quæ secuta non est, 12. 1. 30. Tom. 3.
Opponitur tali scripturæ exceptio non numeratæ pecuniæ, quæ est in rem, & intra biennium, privilegiata, 12. 1. 31. Tom. 3.
Quid agendum, si possessor chirographi non agat intra biennium, & præsens vel absens sit, 12. 1. 31. Tom. 3.
Recensentur casus, quibus cessat hæc exceptio, ubi de confessione apud argentarios; de pignore vel fidejussore dato; de parte debiti soluta; de transactione super eo, quod numeratum non est; de confessione depositi, & solutionis per apocham, 12. 1. 32. Tom. 3.
Post biennium exceptio non numeratæ pecuniæ opponi potest, si excipiens ipse paratus sit probare, numerationem non esse secutam, 12. 2. 33. & 34. Tom. 3.
Quid moribus circa hanc non numeratæ pecuniæ exceptionem, & probationem ejus obtineat, 12. 1. 35. Tom. 3.

Literæ cambii.

Vide *nauticum fænus.*

Litis contestatio.

Vide *contestatio litis.*

Litis instantia.

Litis cœptæ instantia quanto temporis spatio perimatur, & an adversus peremptam litis instantiam facile restitutio impetretur, 5. 1. 20. Tom. 2.

Littus.

An in littore quivis ædificare possit sine publica auctoritate, 1. 8. 4. Tom. 1.

Locatio conductio.

Quid sit navem *per aversionem* conducere, 14. 1. 2. Tom. 4.
Quid sit locatio, quid distet a promissione locandi. An locatio in longum tempus sit alienatio, an hæc valeat, si non secundum mores solemniter coram lege loci, in quo prædium locatum jacet, facta sit. An prohibitus alienare in longum tempus locare possit, 19. 2. 1. Tom. 3.
An ad locationem prædiorum urbanorum & rusticorum scriptura opus sit in Hollandia & Ultrajecti, 19. 2. 2. Tom. 3.
Quæ res locari possint. An alienæ. An & quando locatione dominium transeat, 19. 2. 3. Tom. 3.
An fructuarius & similes, ac creditor antichresin habens, res ipsi domino elocare possint, 19. 2. 4. Tom. 3.
Quando conductor ipse rursus rem elocare possit, quando non, 19. 2. 5. Tom. 3.
De locatione operarum; eligit quisque, cujus operas conducere velit. Sed id aliquando fallit, 19. 2. 6. Tom. 3.
Merces varie appellatur: debet esse certa; quandoque non ex conventione sed usu certa est, 19. 2. 7. Tom. 3.
Merces consistere debet in pecunia numerata, quandoque in parte fructuum. Quis sit colonus partiarius, 19. 2. 8. Tom. 3.
An redemptor operis possit opus pro mercede retinere, & an opere non perfecto ut præscriptum erat, redemptori opus relinqui possit, an magis merces pro rata sit diminuenda, 19. 2. 40. Tom. 3.
Quales res locari soleant auctione publica. De locatione, *quamdiu locator voluerit*; & de facta per curatores in tempus, *quo pupilli majorennes erunt*. An hæc expiret per veniam ætatis, aut secundum mores per nuptias, 19. 2. 9. Tom. 3.
De locatione tacita. An pro ea obligati maneant fidejussores & pignora primæ conductionis. An & repetita taciæ censeatur clausula consensus in condemnationem. An & pœnæ stipulatio, 19. 2. 9. Tom. 3.
In quantum tempus tacite repetita intelligatur conductio, maxime in prædiis rusticis & urbanis, 19. 2. 10. Tom. 3.
Hodie apud nos tacitæ locationum continuationes in prædiis non amplius admissæ. An tacita continuatio sit, si locator furere cœperit aut moriatur, & finito locationis tempore nullus ei hæres sit, 19. 2. 11. Tom. 3.
Qui plura scripserint de tacita conductione, 19. 2. 12. Tom. 3.
Finita locatione, an primus conductor tantum offerens quantum tertius, potior sit in locatione, invito locatore. Quid, si sit conductor prædii fiscalis. An proprietarius in fundi fructuarii conductione potior sit extraneo, si tantumdem offerat fructuario, 19. 2. 13. Tom. 3.
Quid sit actio conducti, ad quid tendat, ubi de instrumentis ædium aut fundi locati, de reparatione, de patientia tollendi, quæ conductor suo sumptu fecit, & efferendi illata, finita conductione, 19. 2. 14. Tom. 3.
An conductori reparandum sit damnum, quod ex vitio rei locatæ passus est, 19. 2. 14. Tom. 3.
Si quis separatim duobus eandem rem locaverit, vel suas operas, quis potior sit, 19. 2. 15. Tom. 3.
Recensentur casus, quibus conductor ante tempus expelli potest, nec tamen consequitur id quod interest; ubi de eo, qui re locata indiget ad proprios usus; de necessaria rei locatæ reparatione; de abusu conductoris; de mora solvendæ pensionis; de morte fructuarii, præbendarii, fiduciarii, qui agros locaverant; & quo usque per pensionis perceptionem proprietarius, fideicommissarius, aut successor in præbenda, confirmasse conseantur præcedentem conductionem. De agro, qui ab hostibus captus, per eos elocatus est, si hostes ante finem locationis iterum expellantur, 19. 2. 16. Tom. 3.
Casus quibus conductor expulsus ante tempus consequitur, quanti sua interest; sub quo & continetur, quanto pluris conductor primus secundo locavit. Ubi de eo, qui locavit rem alienam, vel fructuariam tanquam propriam, de fundo dotali per maritum locato, & an uxor isti locationi stare teneatur soluto matrimonio, an pupilli locationi per tutores factæ. An legatarius proprietatis aut ususfructus, vel emptor locationi per defunctum aut venditorem factæ. Et quid moribus, 19. 2. 17. Tom. 3.
Posita licentia expellendi, conductor non privata sed publica auctoritate expellendus; ac præcedere debet tempestiva denunciatio. Nec impeditur expellendi licentia, si conductori ipsum prædium conductum in securitatem conductionis obligatum sit. Nec ob quemvis abusum, sed tantum ob graviorem, conductor expelli potest, 19. 2. 18. Tom. 3.
Posito statuto, quod successor particularis stare teneatur locationi, etiam futuri temporis pensio ei solvenda est, licet conductor eam in antecessum jam solvisset locatori, 19. 2. 19. Tom. 3.
An literati cogere ad migrandum possint vicinos majore cum strepitu artificia exercentes, 19. 2. 20. Tom. 3.
Mutuum est verus contractus, licet ex uno tantum latere obliget, 12. 1. 2. Tom. 3.
Est stricti juris; cur alii contractus sint bonæ fidei, alii stricti juris, & unde colligendum, an bonæ fidei, an stricti juris sint, 12. 1. 3. Tom. 3.
Mutuum re constat; sufficit in eo ficta traditio. Conciliatur *l.* 11. *ff. de reb. credit.* cum *l.* 19. *ff. de præscript. verbis*, & *l.* 34. *ff. mandati*, 12. 1. 4. Tom. 3.
Conciliatur *l.* 15. *ff. de reb. cred.* cum *l.* 34. *ff. mandati*, ac probatur, inter solos præsentes, non item absentes, fictam traditionem jure Romano (vel secus moribus) fuisse conceptam, excepto constituto possessorio, & casu, quo res prius ex alia causa per dominum tradita fuit, 12. 1. 5. Tom. 3.
Monstratur, legum superiorum conciliationem non posse peti a distinctione temporum, quasi olim variæ traditiones factæ fuissent reprobatæ, quæ post admissæ, 12. 1. 6. Tom. 3.
Qui possint dare mutuum, ubi de negotiorum gestoribus, procuratoribus, tutoribus, civitatis administratoribus, dominis nummos suos alieno nomine mutuos dantibus, & de sociis, qui dant pecuniam communem, 12. 1. 7. Tom. 3.
Qui non possint dare, ubi de pupillis, provinciarum præsidibus, & his, qui nummos alienos dederunt tanquam suos, 12. 1. 8. Tom. 3.
Sæpe mutuum, quod ab initio inutile est, nummorum consumptione confirmatur, etiamsi reprobi nummi dati essent, quod exemplis firmatur, 12. 1. 8. Tom. 3.
Confirmatur etiam ante consumptionem nummorum, si accipiens eos usuceperit. Quo modo nummi censeantur consumpti, 12. 1. 9. Tom. 3.
Quid juris, si filiusfamilias viaticum suum, cum peregre degeret studiorum causa, mutuum dederit, 12. 1. 10. Tom. 3.
Qui possint mutuum accipere, ubi de præsidibus, judicibus apud quos lis pendet, civitatibus & Ecclesiis mutuum accipientibus per suos administratores. Et quando civitates ac Ecclesiæ ex mutuo per administratores accepto obligentur vel non, ex jure civili, canonico, & moribus, 12. 1. 11. Tom. 3.
Quando pupilli, minores & similes obligentur ex mutuo per tutores & curatores accepto, 12. 1. 12. Tom. 3.
In mutuo fit alienatio corporum datorum. An sit mutuum, si tibi nummos donem, ut eos mihi credas, tuque credideris, 12. 1. 12. Tom. 3.
Quibus detur certi condictio ex mutuo, an & domino nummorum, quos non dominus suo nomine numeraverat. An & Titio, si meos nummos Titii nomine dederim, vel ipsius Titii nummos. Quid, si plures mutuum dederint. Quando actio incipiat illis competere, qui nummos alienos dederint ut suos, 12. 1. 15. Tom. 3.
Non impeditur certi condictio ex mutuo, si numerationi mutui conventio alia inutilis adjecta sit; quod exemplis illustratur, 12. 1. 16. Tom. 3.
Conveniendi hac actione mutuarii, si plures acceperint, an singuli in solidum conveniri possint, 12. 1. 17. Tom. 3.
An mutuatarius in mutuo accipiendo efficaciter id agere possit, ut mutuans unum ex mutuatarii hæredibus in solidum conveniat, 12. 1. 17. Tom. 3.
Reddendum in mutuo idem in genere, non plus; nec usuræ ex pacto adjecto; sed tantum ex stipulatu. Quid moribus, 12. 1. 18. Tom. 3.
Quo in loco, & quo tempore mutuum reddi debeat. Quando reddendum, si nullum restitutioni mutui tempus adjectum sit, 12. 1. 19. Tom. 3.
An adjecto die, quo mutuum restitui debet, mutuatarius illud ante tempus addictum invito mutuanti reddere possit, & an valeat pactio, ne mutuatarius reddat mutuum, nisi post certi temporis lapsum, 12. 1. 20. Tom. 3.
Mutuum non potest per partes restitui, nisi in casibus quibusdam exceptis, 12. 1. 21. Tom. 3.
Aliud pro alio restitui nequit; nec aurum infectum pro pecunia signata. Quid reddendum si aliud in instrumento dicatur datum esse, aliud vere datum probetur, 12. 1. 23. Tom. 3.
Pro nummis aureis datis argentei restitui possunt, & vice versa; paucis casibus exceptis, 12. 1. 23. Tom. 3.
De mutatione monetæ, ratione bonitatis internæ vel externæ, quæ inter dationem mutui & restitutionem contigit, cui prosit vel noceat, an debitori, an creditori, 12. 1. 24. Tom. 3.
Si alius sit valor nummorum in uno quam in altero loco, considerandus valor loci illius, in quo solutio facienda est, 12. 1. 25. Tom. 3.
Probatur mutuum per scripturam: ubi de agnitione chirographi per scribentem, aut viduam ejus, aut hæredes, aut in officio successores, facienda: & quando illud juris interpretatione pro agnito habeatur, 12. 1. 26. Tom. 3.
Probatur & per testes. Quid, si dissentiant in quantitate numerata, vel de numeratione quidem, at non de quantitate deponant, vel unus de numeratione, alter de quantitate, 12. 1. 27. Tom. 3.
Olim viguit parœmia, (*rens renten altyt renten*) nec post acceptas semel usuras repetitio sortis fieri potuit, licet id pacto actum esset. Quo usque id nunc in Hollandia & Ultrajecti mutatum sit, 12. 1. 28. Tom. 3.
Cujus loci statuta spectanda sint in quæstione, an sortem ex pacto repetere liceat, nec ne, 12. 1. 29. Tom. 3.

N

Naufragium.

An & quando fisco cedant bona naufragorum, aut in tempestate projecta navis levandæ gratia, in littus appulsa, vel in mari inventa, tum jure civili, tum moribus; & ad quos pertineat rerum talium custodia, 47. 9. 3. Tom. 6.

Navis.

An navis sit res mobilis an immobilis, 1. 5. 11. Tom. 1.
De navigiis collisis, in retia impactis &c., vide *Aquilia lex*.

Nauta.

Quales actiones competant contra nautas, caupones, stabularios

rios pro rebus, quarum custodiam recipere solent, 4. 9. 1. Tom. 1.
Quid sit actio rei persecutoria in factum de receptis, cui, contra quos, ad quid detur, & quale damnum reparandum sit. Quid, si nauta res nautæ receperit, 4. 9. 2. Tom. 1.
Quid sit actio in factum exercitoria ex quasi delicto; quibus detur, contra quos, ex quorum facto, & ad quid tendat, 4. 9. 3. Tom. 1.
Ratio harum actionum; & an sit in potestate nautæ vel cauponis, ne quem recipiat, 4. 9. 4. Tom. 1.
An directæ actiones aut noxales ex delicto cum his actionibus concurrant, & an altera alteram perimat, 4. 9. 5. Tom. 1.
An nauta & similes liberari possint servos suos noxæ dando, 4. 9. 6. Tom. 1.
Quid juris, si nauta præmonuerit, ut quisque res suas sibi servet. Quid, si caupo hospiti claves cubiculi dederit, 4. 9. 7. Tom. 1.
Quid juris, si nauta vel caupo follem aut cistam a viatore receperit obsignatam, & is postea res inde ablatas queratur, 4. 9. 8. Tom. 1.
Si sarcina nautæ transvehenda commissa negetur ni reddita, ad quem missa, an jurijurando nautæ stari debeat, 4. 9. 9. Tom. 1.
Hodie contra nautas & similes cessat dupli pœna. Quo modo exercitores teneantur, & quo modo liberari possint, 4. 9. 10. Tom. 1.

Nauticum fœnus.

Quid sit nauticum fœnus, quid quasi nauticum, de *periculi* pretio, *ad l. 5. ff.* de nautico fœnore, 22. 2. 1. Tom. 3.
In quo consistat substantia nautici fœnoris. Quando cesset, & vulgares tantum usuræ debeantur, 22. 2. 2. Tom. 3.
Moribus nostris periculi pretium in materia *assecurationis* legitimis usuris non est coarctatum. Quales leges hoc & superiori seculo *de assecuratione* sint conditæ, 22. 2. 3. Tom. 3.
Si mutuum detur magistro aut domino navis sub pignore carinæ, (*op bodemerye*) etiam supra centesimas usuras pacisci licet. Si navis pereat, an in instrumentis & reliquis navis salvatis talis creditor aliquod jus habeat. Quid juris, si navis culpa nautæ perierit aut publicata sit; aut perierit, dum nauta alio navigat, quam quo iter ab initio destinatum erat, 22. 2. 4. Tom. 3.
Lucrum, quod ex procuretis cambii literis provenit, usurarum vulgarium modo adstrictum non est. Quales contractus intercedant in cambii literis expediendis, inter quos oriantur obligationes, & quæ actiones. Nulla per literas cambii novatio fit. Si quis ob non solutas cambii literas egerit contra scriptorem literarum, & non obtineat ob inopiam ejus, redire potest ad acceptantem, 22. 2. 5. Tom. 3.
Quibus modis fieri possit, ut literæ cambii effectu careant. Is, cui solutio per cambii literas mandatur, eas vel acceptare vel rejicere potest, nisi ab institore ad præponentem, quem obligare potest, directæ sint. An acceptatio fieri possit sub conditione. An eo, cui per literas solutio mandatur, illas acceptare recusante, tertius eas acceptare possit ante vel post protestationem, 22. 2. 6. Tom. 3.
Is qui eas offert, si non acceptentur, intra triduum protestari debet, ne regressu careat contra scribentem. Quando non nocest neglectam esse intra triduum protestationem, 22. 2. 6. Tom. 3.
Si die literarum cambii veniente, acceptans non solvat intra quantum temporis spatium, tunc protestatio facienda sit. An & quando literæ cambii cum protestatione arrestari possint, 22. 2. 7. Tom. 3.
Literæ cambii ante & post acceptationem, re adhuc integra, revocari possunt, nisi quis per eas procurator in rem suam constitutus sit. Ante diem literis cambii insertum solutio non recte fit. Et cur. Interim ab illis, qui ex cambii literis debitores sunt, cautio exigi potest, 22. 2. 8. Tom. 3.
Si secundus primo scripserit cambii literas ita ut fateatur, sibi a primo, tertio, & quarto quantitatem jam solutam esse, & illæ per primum tertio, per tertium quarto datæ, ac per quartum oblatæ mandatario, non acceptentur, an quartus contra secundum agere per saltum possit, 22. 2. 9. Tom. 3.
Cujus loci leges in quæstionibus cambii spectandæ sint. Quæ sint privilegia mensæ cambialis Amstelodamensis, 22. 2. 10. Tom. 3.

Negatio.

An quando neganti incumbat probatio, 22. 3. 16. Tom. 3.

Negatoria Actio.

Vide *confessoria Actio.*

Negotiorum gestio.

Vide *gestio negotiorum.*

Nepos.

Nepos an moribus nostris sit in potestate avi paterni, 1. 6. 3. Tom. 2.

Nobiles.

Nobiles in variis distant a plebeiis, 1. 5. 4. Tom. 1.
Nobilitas regulariter per patrem, non matrem, propagatur, 1. 5. 4. Tom. 1.
An nova nobilitate donati gaudeant privilegiis & juribus vetustæ nobilitatis, præcipue extra territorium nobilitantis, 1. 5. 4. Tom. 1.
An nobiles possint arrestari, 2. 4. 48. Tom. 1.

Nobilis.

Quid requiratur, ut quis tanquam nobilis adscribatur Hollandiæ Ordinibus, 38. *D.* 15. Tom. 5.

Nominatores.

Nominatores tutorum an teneantur jure civili ac moribus, si tutores tutelam male gesserint, 27. 7. 3. Tom. 4.
De nominatoribus magistratuum & similium, 50. 8. 4. Tom. 6.

Notio.

Notio in quibus distet a jurisdictione, 2. 1. 1. Tom. 1.
Quæ pertineant ad nudam notionem, 2. 1. 1. Tom. 1.
Si jure novo magistratus ipsi judicent, & ea faciant quæ vulgo sunt nudæ notionis, ea tamen expediunt vi jurisdictionis; sed si ea committerent judicibus a Justiniano designatis, hi omnia faciunt jure simplicis notionis, non jurisdictionis, 2. 1. 2. Tom. 1.

Novatio.

Quid sit novatio necessaria, & in quibus effectu distet a voluntaria, 46. 2. 1. Tom. 6.
Quid sit novatio voluntaria in genere. Quid specie, delegationi opposita. An & pacto fiat. Et quid moribus, 46. 2. 2. Tom. 6.
An olim, jure novo, ac moribus inducatur ex præsumptionibus. An si verbis aut scripto comprehensa sit formula stipulationis Aquilianæ. An per transactionem. An, si posterior obligatio non possit cum priore consistere, 46. 2. 3. Tom. 6.
An pœnæ stipulatione obligationi alteri adjecta, 46. 2. 4. Tom. 6.
Non fit novatio per conventionem de re alia pro re debita in solutum danda. Nec stipulatione postea addita de usuris præstandis, aut de majoribus loco minorum solvendis; nec hisce modis liberantur fidejussores aut pignora, 46. 2. 5. Tom. 6.
Non fit novatio, si creditor debitori terminum solutionis prorogaverit. An fidejussores tunc teneantur in id, in quo crevit obligatio ob dilationem, 46. 2. 6. Tom. 6.
An sit novatio, si protestatio de non novando facta sit. Vel posterior obligatio sit ipso jure nulla. Quid, si deficiat conditio novationis. Quid si conditio novationis existat, sed ante ejus existentiam res debita perierit, aut persona ex priore obligatione desierit teneri, 46. 2. 7. Tom. 6.
Quis novare possit. An & quando pupilli. An procurator vel unus ex duobus reis, vel adjectus solutioni, vel filiusf. in causis, quibus actio patri quæsita, 46. 2. 8. Tom. 6.
Qualia debita novari possint. Ubi & de debito in diem, vel sub conditione, 46. 2. 9. Tom. 6.
An novatione tollatur obligatio ex causa judicati. An & privilegia prioris obligationis, & pignorum ac fidejussorum vinculum, usurarum cursus, pœnæ stipulatio &c. An & quatenus mora purgetur, 46. 2. 10. Tom. 6.
De delegatione, vide *delegatio.*

Novellæ Leonis.

Quam habeant auctoritatem, 1. 2. 6. Tom. 1.

Noverca.

An noverca possit in jus vocari sine venia, 2. 4. 9. Tom. 1.
An arrestari, 2. 4. 48. Tom. 1.

No-

Novum jus.

Jus novum quo modo strictam recipiat interpretationem, 1. 3. 44. Tom. 1.

Jus novum nec judex statuere nec privatus a judice impetrare debet, & si fecerit, eodem jure debet uti, 2. 2. 1. Tom. 1.

Ad cujus petitionem jure novo utatur, qui illud dedit aut impetravit, 2. 2. 2. Tom. 1.

Cui tunc noceat factum extensiosis, aut impetratio tutoris, curatoris, filiifamilias & similium, 2. 2. 2. Tom. 1.

Quibus in casibus cessat ista pœna, et eodem jure utatur, 2. 2. 3. Tom. 1.

Noxalis actio.

De æquitate noxalium actionum; & jure singulari, si servus injuriam intulerit, 9. 4. 1. Tom. 2.

Recensentur delicta privata, in quibus noxales actiones locum habent. Non dantur, si crimen publicum, aut extraordinarium, aut populare a servo commissum sit; nec, si ex privatis delictis extra ordinem criminaliter agatur, 9. 4. 2. Tom. 2.

Nec, si ex servi contractu obligatio descendat, licet tunc dolus servi intervenerit: nisi minor dolo servi læsus sit. An ex quasi delicto servi, 9. 4. 3. Tom. 2.

Quibus detur noxalis actio. An fructuario, cui servus fructuarius nocuit. An uni ex pluribus servi dominis, & quid juris si pluribus nocitum sit, 9. 4. 4. Tom. 2.

Datur contra dominum servi. Quis conveniri possit, si servus jam manumissus aut alienatus sit, 9. 4. 5. Tom. 2.

Quinam sint effectus noxæ deditionis. Et quid si non dominus noxæ dederit, 9. 4. 6. Tom. 2.

An & quando noxalis actio contra bonæ vel malæ fidei possessorem, fructuarium, creditorem, jus pignoris habentem, commodatarium dari possit, 9. 4. 6. Tom. 2.

Recensentur casus, quibus quis noxali actione conventus liberari nequit noxæ dando. An, si domino sciente & patiente servus deliquerit, directa & noxalis actio contra dominum detur, & an altera alteram tollat. Quid, si unus dominorum scivesit, alter ignoraverit, quid, si uterque sciverit, 9. 4. 7. Tom. 2.

Recensentur casus, quibus neque damnum reparandum, neque servus noxæ dandus est, sed reus a judicio noxali absolvendus, 9. 4. 8. Tom. 2.

Quid juris, si plures servi simul deliquerint. Quid si servus unus sæpius deliquerit, & dominus ab uno conventus damnum reparaverit, aut servum agenti noxæ dederit, 9. 4. 9. Tom. 2.

Peti potest exhibitio familiæ servorum, ut agnoscatur servus qui læsit, 9. 4. 9. Tom. 2.

Quo in loco noxalis actio movenda, 9. 4. 9. Tom. 2.

Olim noxalis actio etiam ex filiifamilias delicto dabatur, hodie non, 9. 4. 10. Tom. 2.

Quo modo & quo usque hodie parentes & domini ex liberorum, famulorum, & ancillarum delictis regulariter teneantur. Jus singulare est, quod insolatores (*bleekers*) & collium cuniculariorum conductores ex factis famulorum & ancillarum teneantur. Quo usque teneatur, cujus filius puellam prægnantem fecit, respectu alimentorum & dotis, 9. 4. 10. Tom. 2. & 15. 5. 11. Tom. 3.

Nullitas sententiæ.

De nullitate sententiarum, & quod nunc nullitatis allegatio varius admissa sit, sed ab ipsis etiam sententiis nullis appellandum sit, 49. 8. 1. & *seqq.* Tom. 6.

Nunciatio novi operis.

Quando quis possit vel non possit novum opus facere, quo alteri nocetur, 39. 1. 1. Tom. 5.

Quid sit nunciatio novi operis. Ob quas causas fiat. Quo modo fiat per prætorem, per lapilli jactum; per verba. Quid inter hos modos intersit ratione retinendæ possessionis. Nunciatio novi operis nunc enim tantum specimaleno- tat, quæ verbis fit, 39. 1. 2. Tom. 5.

Qui possint nunciare nomine publico, vel privato. Ubi de pupillis, superficiariis, emphyteutis, creditoribus hypothecariis, bonæ fidei possessoribus, tutoribus, procuratoribus, fructuariis, servitutem prædiis habentibus. Quid juris, si pluribus noceatur opere novo, 39. 1. 3. Tom. 5.

An coloni vel inquilini. An servi. Quid intersit inter *interdictum de operis novi nunciatione*, & *quod vi aut clam*. An, & quo modo socius socio, sive in proprio, sive in communi fundo quid novi faciat. Quo modo nunc socio succurratur, 39. 1. 4. Tom. 5.

Quibus nuncietur. An & quo modo prætori ipsi aut alteri magistratui. Quid, si plures sint domini rei, in qua opus fit. An nuncietur messem facientibus, vineam vel arborem putantibus, opus pristinum reficientibus, aut iis, qui opus jam perfecerunt, 39. 1. 5. Tom. 5.

Facienda nunciatio in re præsente. Quid, si in pluribus locis opus fiat. Quid, si partim jure, partim non jure. Consultum, tempore nunciationis modulos adhiberi, ut sciatur, quid post extractum sit. Quo tempore possit fieri nunciatio. An & absente domino, operariis, servis, pueris, infantibus, qui sunt in opere, 39. 1. 6. Tom. 5.

Quis sit effectus nunciationis. An destruendum opus, si in opere perfectum sit, cum pergens haberet exstruendi jus. An &, si perrexerit, cum jam cœpisset agere, *jus sibi esse ita ædificare*, vel, cum ignoraret, nunciationem factam esse. Et, quid, si hæres contra nunciationem defuncto factam perrexerit, 39. 1. 7. Tom. 5.

An contra nunciationem exstructum privata possit destrui nunciantis auctoritate, 39. 1. 8. Tom. 5.

An cesset effectus morte nunciantis, vel alienatione per eum facta. An hæres nunciantis de novo nunciare possit. An experiri interdicto de operis novi nunciatione. Quid moribus, 39. 1. 9. Tom. 5.

Cessat, si prætor, qui prius jusserat, deinde prohibeat nunciationem. Si nuncians eam remittat. An remittere possit factam prætoris auctoritate. Quibus ex causis prætor eam remittat. Ubi de nunciante, qui noluit de calumnia jurare, aut de satis cavere, aut caruit jure nunciandi. Idem de oblata per eum, cui nunciatum, cautione de destruendo, si appareat non jure exstructum, sive illa acceptetur, sive non. Qualis interponi debeat, & an prætor eam statim admittat, an demum post tempus. Admissa cautione, quale interdictum habeat pergere volens, 39. 1. 10. Tom. 5.

An & cesset morte ejus, cui facta; vel alienatione.

An & quo usque hæres aut particularis successor ejus, cui nunciatum teneatur ex suo vel defuncti facto contra nunciationem, 39. 1. 11. Tom. 5.

Nundinæ.

De antiquo circa nundinas jure. Cur solus Princeps concedat jus nundinarum majorum. An concedere possit civitati in præjudicium vicinarum civitatum hoc jure jam gaudentium, 50. 11. 1. Tom. 6.

De rebus alienis aut furtivis emptis in nundinis privilegiatis. De immunitate, ne debitores tempore nundinarum inquietentur. An aliis competat, quam mercatoribus. An pertineat ad loca, per quæ accessus & recessus est, 50. 11. 2. Tom. 6.

An ante nundinas per unum creditorem jam detenti, per alium tempore nundinarum *commendari* possint. An gaudeant hac immunitate, qui foro cesserunt, a loco nundinarum relegati sunt, aut in ipsis nundinis contraxerunt, 50. 11. 3. Tom. 6.

An hi, qui deliquerunt in nundinis vel ante nundinas. An &, qui tempore nundinarum fugiunt, aut de fuga suspecti sunt. An qui renunciarunt nundinarum immunitati. An illa renunciatio etiam heredes teneat renunciantis, aut viduam, aut maritum secundum viduæ, 50. 11. 4. Tom. 6.

Quanti temporis præscriptione jus nundinarum acquiratur, 50. 11. 5. Tom. 6.

Nuptiæ.

An nuptiis tollatur patria potestas jure Romano & moribus, 1. 7. 3. Tom. 1.

An mulier per nuptias a patria potestate liberata recidat in potestatem patriam aut tutoriam, si adhuc minorennis vidua fiat, 1. 7. 14. Tom. 1.

An per nuptias masculus aut fœmina majorennis fiat, 4. 4. 6. Tom. 1.

An in loco domicilii per nuptias majorennis factus, ubique pro tali habendus sit, 4. 4. 8. Tom. 1.

An per nuptias majorennis factus, superveniente viduitate intra legitimam ætatem, iterum minorennis fiat, & quid in vidua. Et quid, si migrent ad locum, in quo nuptiis non inducitur majorennitas, 4. 4. 9. & 10. Tom. 1.

De veterum ritibus in nuptiis; & quid sint nuptiæ, 23. 2. 1. Tom. 4.

De polygamia, vide *polygamia*.

Jure civili nullæ erant necessariæ solemnitates. An requisita deductio sponsæ in domum sponsi, 23. 2. 2. Tom. 4.

Moribus adhibendæ tres publicæ proclamationes, etiam in nuptiis Judæorum. An iis omissis nuptiæ sint nullæ, licet gratutum nullitatem non exprimat. Quales magistratus possint dispensationem eas remittere. An nuptiæ nunc in ædibus privatis contrahi possint sine venia magistratus, 23. 2. 3. Tom. 4.

An valeant nuptiæ per Hollandum in Brabantia contractæ servatis solemnibus Brabantinis, sed omissa proclamatione in loco domicilii Hollandici, 23. 2. 4. Tom. 4.

Fru-

Frustra apud nos quæritur, an nuptiæ sint ex verbis, *duco te in uxorem*, 23. 2. 5. Tom. 4.

An & quando nunc ex cohabitatione nuptiæ præsumantur, 23. 2. 5. Tom. 4.

Frustra apud nos disputatur, an furor, ebrietas, metus, impediat nuptias solemniter contractas, 23. 2. 6. Tom. 4.

De consensu parentum ad nuptias liberorum in potestate: & quid, si absint aut furiosi sint. Quid si sine causa consensum denegant, 23. 2. 7. Tom. 4.

An sufficiat parentum consensus tacitus. An ratihabitio patris faciat nuptias retro legitimas, aut legitimet liberos ante conceptos, 23. 2. 8. Tom. 4.

An ob defectum consensus paterni nuptiæ jure civili fuerint nullæ, 23. 2. 9. Tom. 4.

An necessarius patris consensus ad nuptias emancipatorum. Quid, si filia emancipata minorennis sit, 23. 2. 10. Tom. 4.

An requisitus fuerit matris aut curatorum aut propinquorum consensus, 23. 2. 10. Tom. 4.

Quid moribus obtineat circa consensum parentum ad nuptias minorennium liberorum. Quæ pœnæ, si consensus desit. An tunc, patre petente, matrimonium resolvendum. Quid, si minorennes munere politico, Ecclesiastico, aut militari fungantur, aut seorsim a patre habitent, 23. 2. 11. Tom. 4.

Quid juris circa consensum parentum, si liberi majorennes sint. Cessat appellatio in Hollandia, si judex probet causas patris, nuptiis filii majorennis contradicentis, 23. 2. 12. Tom. 4.

Quid, si pater consentiat, mater dissentiat, aut vice versa. An requiratur matris consensus si pater deficiat, 23. 2. 13. Tom. 4.

An requiratur parentum consensus, si ad secundas nuptias transiverit, aut duri & sævi sint, vel peccandi conditionem liberis imponant, vel prodigi sint declarati, 23. 2. 14. Tom. 4.

An avi vel vitrici vel novercæ consensus hodie sit necessarius, 23. 2. 15. Tom. 4.

An hodie desideretur consensus curatorum aut propinquorum. Et quorum. Quæ pœnæ, si consensus ille desit, 23. 2. 16. Tom. 4.

An & consensus parentum, si liberi ad secunda vota transeant, 23. 2. 17. Tom. 4.

Sufficit hodie tacitus parentum consensus, qui & in eo est, si proclamationibus haud contradixerint, licet ex statuto nullas tenerentur reddere dissensus causas. Quid, si ignaris parentibus, sine fraude sponsi sponsæque, per negligentiam eorum, quibus causæ matrimoniales mandatæ, proclamationes peractæ & nuptiæ secutæ sint, 23. 2. 18. Tom. 4.

Quo usque moribus ratihabitio parentum, qui ab initio dissenserant, firmet nuptias. Et an faciat pœnas cessare, 23. 2. 19. Tom. 4.

Pœnæ, Caroli V. edicto contentæ, tantum habent locum contra seducentem, non item contra minorem seductum seductamve, 23. 2. 20. Tom. 4.

Nec, si auctoritate magistratus nuptiæ contractæ sint, quia tutores aut cognati sine causa dissentiebant: nec, si pater dicat, se invitum consentire, quia res amplius integra non est, & velle, ut pœnæ edicti locum habeant. Quid, si nuptiis jam contractis magistratus declaret, sine causa tutores aut propinquos dissensisse, 23. 2. 21. Tom. 4.

Si pater hodie injuria manifesta vetet nuptias liberorum minorennium, an magistratus tunc supplere possit consensum parentum, 23. 2. 22. Tom. 4.

An parentes aut tutores sine causa dissentientes retinere possint bona eorum, qui nuptias ineunt auctoritate magistratus, 23. 2. 23. Tom. 4.

Quæ sint causæ justæ, ob quas parentes, tutores, cognati, jure dissentiant, 23. 2. 24. Tom. 4.

Inter quos nuptiæ jure civili non subsiterint. Ubi de nuptiis impuberum, patrum cum plebe, scenicarum cum ingenuis, præsidum cum provinciali, tutorum cum pupillis, susceptoris cum suscepta, 23. 2. 25. Tom. 4.

An olim & hodie nuptiæ sint ratæ Judæorum, Paganorum, Mahumedanorum cum Christianis; hæreticorum cum orthodoxis, raptoris cum rapta. Et quid, si raptor abolitionem impetraverit, 23. 2. 26. Tom. 4.

De matrimonio inter adulterum, & adulteram, vel conjugem secundam priori viventi superinductam; vel inter mulierem & eum, qui cum muliere conspiravit in necem mariti, 23. 2. 27. Tom. 4.

De matrimonio leprosorum, vetularum, senum, castratorum, spadonum, hermaphroditorum, amentium, furiosorum, 23. 2. 28. Tom. 4.

De prohibitis nuptiis inter ascendentes & descendentes ratione cognationis, affinitatis primi generis, & adoptionis, 23. 2. 30. Tom. 4.

De prohibitis nuptiis in linea collaterali inter eos, qui sibi invicem parentum & liberorum loco sunt per cognationem, affinitatem primi generis, & adoptionem, 23. 2. 31. Tom. 4.

De nuptiis collateralium, qui sibi invicem parentum & liberorum loco non sunt ratione cognationis aut affinitatis, vetitis in gradu secundo, permissis in gradu quarto, 23. 2. 32. Tom. 4.

An nuptiæ permittendæ in secundo genere affinitatis inter ascendentes, aut descendentes, aut inter collaterales, veluti inter privignam & novercæ defunctæ viduum &c. 23. 2. 33. Tom. 4.

Impedimentum nuptiarum ex affinitate, intelligendum de affinitate jam dissoluta, 23. 2. 34. Tom. 4.

An affinitas naturalis ex stupro vel concubinatu impediat nuptias, 23. 2. 35. Tom. 4.

An liceat ducere sponsam patris vel filii, 23. 2. 35. Tom. 4.

An nuptiæ valeant inter comprivignos, vel cum novercæ sorore aut matre, 23. 2. 36. Tom. 4.

An magistratus supremus permittere possit nuptias lege divina Mosaica ob cognationem vel affinitatem vetitas, aut interdictas solo jure civili, 23. 8. 37. & 38. Tom. 4.

Quibus in casibus nuptiæ, quæ ab initio erant inutiles, ex post facto convalescant, 23. 2. 39. Tom. 4.

De maritali ex nuptiis potestate in uxorem, vide *uxor*.

De communione bonorum ex nuptiis inter conjuges, vide *communio bonorum inter conjuges*.

Ut nuptiarum effectus locum habeant, an & ubi consensus sine concubitu sufficiat, ubi non, 23. 2. 93. Tom. 4.

Posita concubitus necessitate, recensentur variæ quæstiones circa ipsum concubitum, 23. 2. 94. Tom. 4.

Si post solemnes denunciationes alteruter moras nectat in nuptiis contrahendis, & mors interveniat, an tunc effectus nuptiarum locum habeant, 23. 2. 95. Tom. 4.

De nuptiis contractis in locis, quæ subsunt societati Indiæ Orientalis, 23. 2. 97. Tom. 4.

De secundis nuptiis & pœnis earum, vide *nuptiæ secundæ*.

Nuptiæ secundæ, & pœnæ.

De pœnis nuptiarum secundarum intra annum luctus a vidua initarum, 23. 2. 98. Tom. 4.

Si ob diutinam mariti absentiam mulier alteri nupta sit an posteriores nuptiæ, petente primo marito, dissolvendæ sint. Quid agendum, si prior reversus sponte velit cedere, 23. 2. 99. Tom. 4.

Quo modo multis locis parens binubus ante nuptias secundas liberis primi thori assignare debeat bona parentis prædefuncti, 23. 2. 100. Tom. 4.

Pœnæ pleræque secundarum nuptiarum æque in masculis, ac fœminis locum habent, 23. 2. 101. Tom. 4.

De amissione proprietatis quæsitorum a priore conjuge. An & amittantur, quæ tantum occasione prioris conjugis ab extraneo data. An & quæ ex legis aut statuti beneficio quæsita ex bonis prioris conjugis, 23. 2. 10. Tom. 4.

De amissione quæsitorum ex successione intestata liberorum primi thori, quatenus illa a parente prædefuncto profecta sunt. Et de variis, quæ conjugi binubo non adimuntur in pœnam, 23. 2. 102. Tom. 4.

An & proprietas legitimæ, quæ parentibus debita ex bonis liberorum, amittatur per secundas nuptias; quatenus bona liberorum a parente prædefuncto profecta sunt, 23. 2. 103. Tom. 4.

Adempta binubo vel binubæ cedunt liberis prioris thori æqualiter, licet inæqualiter parenti prædefuncto hæredes sint, 23. 2. 104. Tom. 4.

Si tertiæ quartæve nuptiæ sint, adempta solis cedunt liberis illius parentis, a quo profecta, 23. 2. 104. Tom. 4.

Capiunt liberi adempta binubo, licet parenti prædefuncto hæredes non exstiterint, nisi ingrati & ob id juste ab eo exhæredati sint, 23. 2. 105. Tom. 4.

An prædefuncti parentis res binubo quæsitas, & per eum alienatas, liberi vindicare possint, si binubo parenti hæredes exstiterunt, 23. 2. 105. Tom. 4.

An & nepotibus ex filiis prioris thori hæc adempta cedant. An & hæredibus extraneis, 23. 2. 106. Tom. 4.

An cessent pœnæ superiores, si omnes liberi prioris thori vivo parente binubo moriantur, vel binubus vivis liberis prioris thori rursus ad viduitatem redigatur, 23. 2. 107. Tom. 4.

De cautione, quam binubus aut binuba præstare debet pro mobilibus a conjuge priore profectis, 23. 2. 108. Tom. 4.

Quo usque pœnæ superiores ex *l.* 3. *&* 5. *C. de secund. nupt.* in Hollandia & Ultrajecti locum habeant, 23. 2. 109. Tom. 4.

De pœna, ne plus relinquatur secundæ conjugi, quam ei ex liberis primi thori, cui minimum relictum est. Quibus liberis cedat, quod amplius relictum est. An & conjugi secundæ pro portione filiali. An & nepotibus in stirpes. Et quid, si plurium nuptiarum anteriorum liberi sint, 23. 2. 110. Tom. 4.

Quæ ita liberis prioris thori cedunt, ipsis non imputanda in legitimam, nec ex his supplementum fit, si cui ex liberis mi-

minus sit relictum, quam legitima, 23. 2. 111. Tom. 4.
An liberi avocare possint relicta contra *l. hac edictali*, si parenti binubo hæredes exstiterint, Et quid si binubus id testamento expresse prohibuerit, vel liberi ei vivo promiserint, se non avocaturos, 23. 2. 112. Tom. 4.
An impediatur avocatio donatorum inter vivos, si mutuo conjugum consensu donatio resoluta sit; aut ex eo, quod postea donans binubus fiat non solvendo, sic ut tunc immoderata cedere deberent in æris alieni solutionem, 23. 2. 13. Tom. 4.
An avocatio immoderate relictorum cesset ex eo, quod relicta repudiantur a vitrico vel noverca, 23. 2. 114. Tom. 4.
An ex eo, quod respectu immoderate relictorum parens binubus substitutum dedit, 23. 2. 115. Tom. 4.
Quid juris, si quis per interpositam personam immoderate datum. Et quid, si binubus executori testamenti sui jusserit, ut in usus secreto expositos eroget certam nummorum quantitatem, ac suspicio fraudis sit, 23. 2. 116. Tom. 4.
An noverca vel vitricus propter *l. hac edictali* prohibeatur plus relinquere privigno vel privignæ, quam propriis suis prioris thori liberis, 23. 2. 117. Tom. 4.
An privignus novercam instituere possit, præteritis suis fratribus germanis, 23. 2. 118. Tom. 4.
An binubus plus relinquere possit liberis posterioris, quam prioris thori, & an hoc pacto dotali recte conveniatur, 23. 2. 119. Tom. 4.
Quænam conjugi secundæ imputentur in filialem portionem. An jocalia, dona matutina, doaria, donatio remuneratoria. An & ususfructus omnium bonorum, & quid tunc liberi prioris thori offerre debeant vitrico vel novercæ. Quid, si datus sit ususfructus cum onere alendi liberos prioris thori, 23. 2. 120. Tom. 4.
Quid, si binubus secundæ conjugi omnem legaverit supellectilem, & illa videatur excedere portionem filialem, 23. 2. 121. Tom. 4.
An imputanda in filialem portionem, quæ conjugi ex bonis binubi obveniunt ex legis aut statuti dispositione, 23. 2. 122. Tom. 4.
An communio universalis statutaria impediatur in Hollandia per *d. l. hac edictali*; vel, si pacto exclusa sit, an testamento in præjudicium liberorum primi thori reduci possit, 23. 2. 122. Tom. 4.
Ultrajecti *l. hac edictali* impedit universalem communionem; non tamen quatenus filialem non excedit portionem, nec quatenus liberis prioris thori utilis est; & cum pacto exclusa non est, nascitur, ubi omnes thori prioris liberi vivo binubo moriuntur, 23. 2. 1. 123. Tom. 4.
An *l. hac edictali* impediat communionem acquæstuum stante matrimonio obventurorum, an ne binubus stante matrimonio renunciet medietati quæstuum jam partorum aut sperandorum. An obstet, ne pacto dotali id agatur, ut quæstum omnem secunda conjux habeat, & onera matrimonii sola sustineat, 23. 2. 124. Tom. 4.
An majorem portionem uxor secunda capere possit, si doceat, liberis prioris thori pro patrimonio materno plus fuisse assignatum, quam debebatur. Quid, si talis assignatio amplior stante secundo matrimonio, vel post pacta dotalia secundi matrimonii, facta sit; vel binubus immoderatum donativum (*ceu uytsettinge*) in liberos primi thori contulerit, 23. 2. 125. Tom. 4.
An binubus possit ex pacto dotali debitam conjugi secundæ filialem portionem fideicommisso gravare? vel eam testamento ad legitimam diminuere, si liberis singulis prioris thori plus reliquerit, 23. 2. 126. Tom. 4.
An ad constituendam portionem filialem prius legitima liberorum primi thori ex patrimonio binubi ducenda sit, 23. 2. 127. Tom. 4.
Filialis portio æstimanda inspecto mortis tempore, circa numerum liberorum & patrimonii quantitatem, 23. 2. 128. Tom. 4.
Quæ sit portio filialis, si omnes prioris thori liberi vivo binubo mortui sint, 23. 2. 129. Tom. 4.
Quanta sit portio filialis secundæ conjugis, si binubus uni ex liberis prioris thori minus reliquerit quam legitimam, aut unum in totum exhæredaverit, 23. 2. 130. Tom. 4.
Quid juris circa filialem portionem, si omnes liberi prioris thori a parente binubo juste exhæredati sint, 23. 2. 131. Tom. 4.
Quid juris in illis locis, ubi filialibus ne legitima quidem debita, & de filiali novercæ portione quæstio est, 23. 2. 132. Tom. 4.
Quanta sit filialis novercæ portio, si filius primi thori in sola legitima institutus sit, & nepotes ex eo nati in reliqua bona, 23. 2. 133. Tom. 4.
Quo modo filialis portionis ineunda ratio, cum avus binubus, nullos relinquens filios, sed solos nepotes, uxori secundæ eam dedit, 23. 2. 134. Tom. 4.
An & fructus immoderate datorum restituendi, & ex quo tempore, 23. 2. 135. Tom. 4.
Quibus in locis vigeat aut non vigeat *l. hac edictali*, & cujus loci statuta circa eam spectanda sint, 23. 2. 136. Tom. 4.
De aliis pœnis secundarum nuptiarum, amissione tutelæ, relictorum sub conditione viduitatis &c. 23. 2. 137. Tom. 4.
An & in militibus locum habeant pœnæ secundarum nuptiarum. An & in vidua partum ex stupro edente, 23. 2. 138. Tom. 4.
An cessent hæ pœnæ, si conjux præmoriens superstiti dederit licentiam ad alia vota transeundi. An, si liberi in nuptias secundas consenserint. An, si pœnis hisce expresse renunciaverint, 23. 2. 138. Tom. 4.
An pœnæ locum habeant, si non nuptiæ, sed sola sponsalia contracta sint, 23. 2. 139. Tom. 4.

O

Oblatio, consignatio & depositio.

Qualem effectum habeat sola realis oblatio debiti. An solvat antichresin? An faciat cessare pœnæ promissæ exactionem, cursum usurarum sistat, moram purget, 46. 3. 28. Tom. 6.
Quis sit effectus, si res debita legitime consignata ac deposita sit? Cujus periculo deinceps sit. An deponens eam, nondum a creditore acceptam, repetere possit. An tunc cessent effectus depositionis. An fidejussores & pignora depositione liberata, tunc iterum incipiant obligari. An deponens depositionem debeat denunciare creditori. Quid agendum, si pars debiti sit liquida? pars illiquida. Depositionis loco est, si creditor profiteatur, se pecuniam haberu pro consignata ac deposita. Quid, si graphiarius, apud quem facta depositio, foro cedat, 46. 3. 29. Tom. 6.

Obligatio.

Obligatio uxoris an noceat marito, & an uxori obligatio mariti. Vide *uxor*.
Quid obligatio. An conferri possit in arbitrium debitoris, vel creditoris, 44. 7. 1. Tom. 6.
An dentur obligationes mere civiles, quæ sint efficaces. An non ex causa judicati, jurisjurandi, confessionis, 44. 7. 2. Tom. 6.
Quotuplex sit obligatio naturalis tantum, & qui speciei cujusque effectus sint, 44. 7. 3. Tom. 6.
De obligatione mixta, naturali & civili. Ex quibus causis descendat? de varia significatione & divisionibus contractuum. An conditiones potestativæ contractibus additæ, per hæredes impleri possint, 44. 7. 4. Tom. 6.
De natura quasi contractuum, & præsumpta in his conventione, non vero consensu, ac de numero eorum, 44. 7. 5. Tom. 6.
De obligationibus ex delicto, 44. 7. 6. Tom. 6.
Non possunt apud nos per tabelliones instrumentis obligationum inseri formulæ obligationis cameralis, 44. 7. 24. Tom. 6.

Obsignatio.

De obsignatione publica ædium, cœnaculorum, cistarum, sarcinarum; & quando auctoritate privata horum resignatio fieri possit, quando non, 16. 3. 16. Tom. 3.

Occupatio.

De acquisitione dominii per occupationem, 41. 1. 1. Tom. 5.

Ocularis inspectio.

De oculari inspectione, 10. 1. 9. Tom. 2. & 22. 3. 2. Tom. 3.

Oneris ferendi servitus.

Vide *servitutes urbanæ*.

Operæ servorum.

Quid sit servitus operarum, & in quibus distet ab usufructu, 7. 7. 1. Tom. 2.
In quibus differat ab usu, 7. 7. 2. Tom. 2.
An & servitus operarum jumenti detur, quæ ab usu & usufructu distincta est, 7. 7. 3. Tom. 2.

Operæ libertorum.

De operis libertorum, quales, & quo modo pro ætate ac con-

conditione præstandæ, cujus sumptu, &c. 38. 1. 1. & 2. Tom. 5.

Opera publica.

De operum redemptione, probatione, periculo, usuris præstandis ob opera publica non præstita. Quæ sint opera publica. De creatione curatoris operum publicorum; quæ ejus officia, quæ obligatio. Quale, & quo usque periculum operum publicorum ad eum hæredesque spectet, 50. 10. 1. Tom. 6.

Recensentur multa per eum cavenda, & observanda, ne jus publicum lædatur. An & quando nova opera possit inchoare. Quando privatus opera publica facere sumptu suo possit. An & quando legata vel donata ad opus certum publicum converti possint in opus aliud, aut restaurationem operum, quæ jam sunt. De inscribendo operibus publicis nomine illorum, quorum sumptu structa, ornata, non aliorum, 50. 10. 2. Tom. 6.

Qui moribus nostris prohibiti vendere materiam ad opera publica, quia nimio sanguinis aut affinitatis vinculo contingunt eos, qui ea fieri curant, 50. 10. 5. Tom. 6.

Operis novi nunciatio.

Vide *nunciatio novi operis.*

Oppositio contra decretam venditionem.

Catalogus multarum quæstionum circa hanc oppositionem, 42. 5. 3. Tom. 6.

Quis cognoscat de oppositionis causis, si alius tulerit sententiam, alius requisitus eam exsequatur, 42. 5. 4. Tom. 6.

An pendente oppositione executor suspendere debeat executionem? An opponens, veniente die sibi dicto, possit petere tempus ad deliberandum, 42. 5. 5. Tom. 6.

Optio.

Vide *electio.*

Opus.

Quid sit locatio operis, in quo distet a locatione operarum & usus, 19. 2. 33. Tom. 3.

Locatur opus vel aversione, vel in pedes mensurasve, vel in dies singulos constituta mercede, 19. 2. 34. Tom. 3.

An redemptor operis possit alteri mandare operis implementum; & an ipse ex substituti facto teneatur, 19. 2. 34. Tom. 3.

De probatione & improbatione operis. Quis sit effectus, si probatio operis arbitrio locatoris permissa sit. Quid, si redemptor a præscripto recesserit ex voluntate locatoris, 19. 2. 35. Tom. 3.

De probatione operis per tertium facienda. An is tempus operis faciendi prorogare possit. Quid juris, si inique aut dolose arbitrium interposuerit, aut interveniente dolo ipsius redemptoris. Si tertius nolit vel non possit arbitrari, non est nulla locatio operis, sed judex tunc arbitratur, 19. 2. 36. Tom. 3.

De periculo operis, an illud ad locatorem, an ad redemptorem pertineat. An post operis probationem periculum pertineat etiam ad locatorem probantem, si vitio operis collabatur opus. De operis necdum probati vitio quamdiu queri locator possit, 19. 2. 37. Tom. 3.

Si plures sint redemptores ejusdem operis, an singuli in solidum conveniri possint, si opus non perfectum, aut vitio suo collapsum sit, 19. 2. 37. Tom. 3.

Intra quod tempus opus redemptum absolvi debeat. An agi possit ad id quod interest, vel opus alteri relocari possit ante lapsum temporis, quo perfici debuit, 19. 2. 38. Tom. 3.

Quo in loco opus faciendum sit, si alibi fiat, redemptor nihil agit. An valeat redemptio operis sine loci adjectione, 19. 2. 39. Tom. 3.

Quando operis redemptori solvenda merces. An opere non perfecto, ut præscriptum erat, redemptori opus relinqui possit, an magis solvenda sit merces pro rata diminuta. An operis retentio pro mercede permissa sit, 19. 2. 40. Tom. 3.

De operis promissione, & quando opus tardius inchoatum, aut non impletum, pœna debeatur, vel id quod interest, & quo usque hæredes ejus, qui opus promisit, teneantur ad interesse vel pœnam ex defuncti vel sua vel cohæredum culpa, vide *stipulatio.*

Ordinis beneficium.

Quibus in casibus ordinis beneficium ante Justinianum fuerit notum in fidejussoribus nonnullis, in uno ex pluribus, qui solus tutelam gessit, aut debita fiscalia exegit, aut tutorem creavit, in fidejubente in id, quod a debitore vel ex pignore redigi non potest. An olim creditor cogi potuerit, ut excuteret prius debitorem periculo fidejussoris, 46. 1. 14. Tom. 6.

Opponenda hæc exceptio ante litem contestatam. Si excussus debitor post litem cum fidejussore contestatam locuples fiat, an iterum ante fidejussorem excutiendus sit. An non, si ante litem fidejussori motam locuples fiat. Quid, si cœperit præsens esse, ob cujus absentiam jam cœptum agi cum fidejussore. Quando debitor censeatur excussus. Quid, si apparitor afferat, se excussisse, & nulla bona invenisse. Quid, si excussa sint bona in territorio judicis excutientis sita, sed debitor alia habeat in alia regione. Si prædiis & prædibus cautum sit, in Hollandia prius pignora excutienda, 46. 1. 15. Tom. 6.

Cessat in fidejussore *judicatum solvi:* & renunciatione specialiter, non generaliter facta. An sufficiat, uni beneficio specialiter, reliquis generaliter renunciasse, ut & reliqua cessent. An cesset, si se obligaverit, ut principalem. An, si huic beneficio renunciaverit, qui fidejussit in id, quod a debitore vel ex pignore redigi nequit. An, & si renunciaverit, qui fidejussit pro debito, quod adhuc liquidum reddi debet, 46. 1. 16. Tom. 6.

An cesset, si debitor bonis cesserit, vel alias manifesto pauper sit. An, si bona ejus ex delicto publicata. An, si creditor, conventus ex alia causa a fidejussore, velit, cum eo compensare, 46. 1. 17. Tom. 6.

An cesset in fidejussore pro debito naturali; vel pro eo, qui rescriptum moratorium impetravit. Quid, si negaverit, se fidejussisse, vel excussionem principalis impediverit; vel jam acceperit a debitore id, in quod fidejussit. Cessat, si debitor absit, nec intra modicum tempus a fidejussore sistatur. Quis hic jure civili & moribus pro absente habeatur. Quid, si absit, sed bona habeat in loco, unde abest, & ubi conveniendus. An fidejussores publicanorum & redemptorum operum publicorum jure civili & moribus gaudeant hoc beneficio, 46. 1. 18. Tom. 6.

Quibus in casibus aliis ex DD. opinione casset hoc beneficium, 46. 1. 19. Tom. 6.

An, qui condemnationem in totum vel pro parte contra reum obtinuit, possit, eo non excusso, transire ad fidejussorem, qui ordinis beneficio caret, 46. 1. 20. Tom. 6.

De beneficio ordinis in administratoribus rerum ad civitates pertinentium, collegis eorum & fidejussoribus & nominatoribus, 50. 8. 4. Tom. 6.

Origo.

De foro competente ex causa originis. Quis sit locus originis? quid si in insula, aut vico, aut matre peregrinante natus sit, 5. 1. 91. Tom. 2.

Originis locus etiam fingitur ex manumissione, adoptione, 5. 1. 91. Tom. 2.

Communis patria fuit Roma, ubi quisque conveniri potuit, nisi haberet jus revocandi domum. Qui illud jus habuerint, quando id habuerint legati, quando non? & quid moribus, 5. 1. 91. Tom. 2.

In quibus locus originis distet a domicilio proprie dicto, 5. 1. 92. Tom. 2.

Origo juris.

De origine juris, 1. 2. 1. & *seqq.* Tom. 1.

Ornamentum.

Quid sit ornamentum. Si testatrix Cajæ ornamenta sua leget generaliter, & mandet, certas ornamenti species cum suo cadavere inferri tumulo, nec hæ inferantur, apud quem remaneant. An ornamento legato cedant gemmæ post adjectæ. An debeantur, quæ post detractæ, ad aliud ornamentum translatæ. An debeatur ipsum ornamentum sic diminutum. An ornamento cedant gemmæ nondum junctæ, sed quas testator jungere destinaverat. An suis ornamentis legatis & illa, quæ ex mandato quidem testatoris, sed post mortem ejus empta. An & rudes gemmæ nulli ornamento junctæ aut destinatæ. Distinctæ sunt gemmæ a lapillis & margaritis, 34. 2. 6. Tom. 5.

Si testatrix leget torquem suam margaritarum, (*hare halsparlen*) & postea pretii majoris torquem in alios usus convertat, quid tunc ex legato debeatur, 34. 2. 7. Tom. 5.

P

Pacta.

An & quo usque per pacta expressa aut tacita recedi possit a statutis, vide *statutum.* De pactis adjectis divisioni hæreditatis, vide *familiæ erciscundæ.*

De

De pactis adjectis emptioni venditioni, vide *emptio venditio*.
De pactis emptioni & venditioni servorum adjici solitis, 18. 7. 1. Tom. 3.
De pactis pignorum, vide *hypotheca*.
Quid sit pactum, & in quibus a pollicitatione ac contractu distet, 2. 14. 1. Tom. 1.
Pactum nudum, etsi geminatum non parit actionem, 2. 14. 2. Tom. 1.
Pactum nudum liberatorium non ipso jure, sed ope exceptionis, tollit civilem obligationem, exceptis quibusdam casibus, 2. 14. 3. Tom. 1.
Quid juris, si quis pacto promiserit, se liberaturum suum debitorem, nec tamen liberet, 2. 14. 3. Tom. 1.
Qui sint effectus pacti nudi obligatorii, 2. 14. 4. Tom. 1.
De pactis legitimis civilibus ac prætoriis, 2. 14. 5. Tom. 1.
De pactis adjectis circa contractuum accidentia, naturam ordinariam, & substantiam, 2. 14. 5. Tom. 1.
Pactum in continenti adjectum contractui bonæ fidei parit actionem, & qualem, 2. 14. 6. Tom. 1.
Ex pacto contractui stricti juris adjecto actio non datur, 2. 14. 7. Tom. 1.
De pactis contractui bonæ fidei ex intervallo appositis, tum adjicientibus tum detrahentibus, 2. 14. 8. Tom. 1.
Hodie ex nudo pacto actio datur, 2. 14. 9. Tom. 1.
Pacta vel privata sunt vel publica; ubi fœderibus, &c. Pacta rebellibus, latronibus, hæreticis, hostibus servanda, 2. 14. 10. Tom. 1.
Quid sint pacta realia, & an quis nominatim uni hæredi pacisci possit pacto obligatorio aut liberatorio. An unum ultra partem hæreditariam gravare, 2. 14. 11. Tom. 1.
An pactum fidejussoris prosit reo principali, aut confidejussoribus, 2. 14. 12. Tom. 1.
An alteri quis pacisci possit jure civili & moribus, 2. 14. 12. Tom. 1.
Quid sit personale pactum, & quibus prosit, 2. 14. 13. Tom. 1.
An pactum personale prosit fidejussori, 2. 14. 14. Tom. 1.
In dubio pactum magis reale præsumendum, quam personale, 2. 14. 14. Tom. 1.
Pactorum tectiorum exempla in illatis in prædium urbanum; solutis in antecessum usuris; creditoribus emptorem hæreditatis sponte judicium suscipientem convenientibus, licet is solvendo non sit, in redditione pignoris vel chirographi. Quid juris, si ex duobus ejusdem debiti chirographis unum reddatur. Quis probet, si creditor neget, se reddidisse chirographum, quod debitor tenet, 2. 14. 15. Tom. 1.
Non valent pacta stolida aut turpia ad delinquendum invitantia; nec de futura successione tertii viventis, nec ut paciscentium unus alteri succedat, vel sibi mutuo ultimus superstes, si tertius consenserit in pactionem de sua successione nec postea mutet. Quid, si alteri quis promiserit, se eum instituturum, nec postea faciat. Quid si titulo donationis, executione in mortem dilata. De pactis illustrium familiarum successoriis, 2. 14. 16. Tom. 1.
Valet pactum de successione tertii, incerti, vel certi quidem sed jam defuncti, si dubius sit fideicommissi suspensi eventus, 2. 14. 17. Tom. 1.
Non valent pacta inter clientem & patronum de quota litis; nec, ut demum obtenta victoria advocatus salarium petat. An advocato vel procuratori pendente lite legari aut donari possit, 2. 14. 18. Tom. 1.
An pacta subsistant inter medicum & ægrotum, 2. 14. 19. Tom. 1.
Non valent pacta, quibus dominus sibi de re sua arbitrium adimit, ne quid in re sua faciat, si alterius non intersit. An pacta rem afficiant, 2. 14. 20. Tom. 1.
An valeat pactum inter duos, ut, uter prior matrimonium inierit, is alteri pecuniam aut pœnam præstet, 2. 14. 21. Tom. 1.
Nemo paciscendo nocere alteri potest, ne debitor quidem suo fidejussori, 2. 14. 22. Tom. 1.
Si major pars creditorum paciscatur cum debitore de parte debiti, id reliquis non nocet; nec tutor sibi obest, si pupilli nomine cum majore creditorum parte pactus in partem sit, quo minus ipse solidum petat. Jus singulare Zelandorum in his, 2. 14. 24. Tom. 1.
Pactum majoris partis creditorum nocet minori, si hæres debitoris oberati adire nolit, nisi pactione in partem facta, 2. 14. 23. Tom. 1.
Quo in casu etiam tutor pupilli heredis nomine paciscens, eadem parte contentus esse debet, si creditor sit, 2. 14. 25. Tom. 1.
Nec hoc jus mutatum sunt moribus abrogatum, post inductum beneficium inventarii, 14. 2. 26. Tom. 1.
Idem est, si debitor obæratus vivat quidem, sed latitet, nec ejus bona appareant, nec sistere se velit, nisi post pactum in partem, 2. 14. 27. Tom. 1.
De rationibus per tutores reddendis, vide *tutela*, *tutores*.

Reauditio.

Quid sit, in quibus conveniat cum appellatione, in quibus ab ea differat. Et alia, 49. 2. 8. Tom. 6.

Receptatores.

An tantum latronum, an & aliorum sceleratorum receptatores sint, 47. 16. 1. Tom. 6.
De pœnis eorum; & quando exasperentur, quando mitigentur, quando cessent, jure civili et moribus. Quid, si quis falso accusetur receptationis, 47. 16. 2. & seqq. Tom. 6.

Reconventio.

De foro competente ex reconventione; & quid, si reconventus respondere nolit, 5. 1. 78. Tom. 2.
An actor renunciando liti inchoatæ possit evitare reconventionem, 5. 1. 78. Tom. 2.
An conventus ex contracto reconveniri possit pluribus actionibus etiam ex delicto natis, 5. 1. 78. Tom. 2.
An reconventio, & quo usque, in injuriarum actione locum habeat, 5. 1. 78. Tom. 2.
An unus ex pluribus cohæredibus agentibus aut conventis reconvenire aut reconveniri ex alia causa possit, 5. 1. 78. Tom. 2.
Nemo invitus cogitur reconvenire. An reus pendente lite possit actorem alia lite apud alium judicem pulsare, 5. 1. 79. Tom. 2.
Quo tempore, & an post litem contestatam, reconventio fieri possit, an & post sententiam in appellatione, 5. 1. 80. Tom. 2.
An tutor, curator, administrator nomine officii agens pro pupillo & similibus, reconveniri possit de eo, quod suo nomine debet, & vice versa, 5. 1. 81. Tom. 2.
An socius, nomine societatis agens, de eo quod alia ex causa solus debet, 5. 1. 82. Tom. 2.
An actor conveniri possit ab eo, qui reo in lite assistit, veluti ab auctore, qui emptori vocatus adest. Et an auctor vocatus, ut liti assistat, emptorem vocantem reconvenire possit, 5. 1. 83. Tom. 2.
An is, qui in rem suam procurator constitutus est per cessionem actionis, si agat, reconventionem pati teneatur de eo, quod cedens debet, 5. 1. 84. Tom. 2.
Non potest fieri reconventio apud judices tales, qui in ea causa, de qua fit mutua petitio, ne ex speciali quidem prorogatione possent competentes esse. Et quid juris, si reconventio fiat de majore quantitate, potestatem talis judicis egrediente, 5. 1. 85. Tom. 2.
An reconventioni locus, ubi tantum extraordinaria fit imploratio officii judicis, quæ non continet ullam juris persecutionem; veluti, ut tantum insinuatio alteri fiat, 5. 1. 86. Tom. 2.
An in summariis & privilegiatis causis reconventio locum habeat ex causa non privilegiata. Et an tunc utraque causa simul terminanda sit, & quid juris, si utraque summaria sit, 5. 1. 86. Tom. 2.
Moribus renovatio admissa in interdictis adipiscendæ possessionis, non item in interdictis recuperandæ & retinendæ possessionis; nec in causa fractæ pacis publicæ, 5. 1. 87. Tom. 2.
Propter quas rationes, & quibus in causis judex terminare possit causam conventionis ante causam reconventionis. Condemnatus tamen ex conventione potest id, in quod damnatus est, deponere apud judicem, & attestare pro eventu litis in reconventione, 5. 1. 88. Tom. 2.
Reconventus non potest iterum secundam facere reconventionem, 5. 1. 89. Tom. 2.

Redhibitoria actio.

In redhibitoria & quanti minoris actione quid morbi, vitii, & jumentorum veniat appellatione, 21. 1. 2. Tom. 3.
Quid juris, si venditus sit fundus pestilens, aut sola jugera fertilia, quæ tamen a sterilibus non erant separanda, quid, si servitutes prædio impositæ aut tributa dolo malo fuerint celata, 21. 1. 1. Tom. 3.
An redhibitoria detur ex reticentia, ex callida & insidiose obscura admonitione, ex dicto promissove. Qualia dicta per venditorem præstanda sint, qualia non, & de jactantia ac commendatione, 21. 1. 3. Tom. 3.
Quibus, contra quos, & ob quæ vitia rei principalis aut accessoriæ competat. Quid juris, si res plures sint venditæ, vel paria jumentorum, & una res vitiosa sit. Quales impensas emptor præter pretium recuperet. Quæ vicissim venditor reddat. Quid, si rem interim pignori obligaverit, 21. 1. 4. Tom. 3.
Quid sit actio quanti minoris, quo modo facienda æstimatio, si res plures uno pretio venditæ, quid moribus, 21. 1. 5. Tom. 3.
Intra quod tempus redhibitoria & quanti minoris actione agi debeat. Redhibitoria semel, at quanti minoris actio sæpius datur. An redhibitoria consumat actionem quanti minoris & vice versa, 21. 1. 6. Tom. 3.
Quo modo agendum redhibitoria aut quanti minoris, si plures emptores aut venditores, vel plures unius hæredes sint, 21. 1. 7. Tom. 3.
Non dantur hæ actiones pendente venditionis conditione, nec propter leve vitium. An propter vitia post venditionem supervenientia, & quis de eo judicet, an venditione recentiora sint. An propter vitia animi, aut vitia patentia, 21. 1. 8. Tom. 3.
Cessant, si emptor sciverit vitia, ubi de scientia domini, servi, & procuratoris. An emptor artifex præsumatur scivisse, 21. 1. 9. Tom. 3.
An venditoris scientia vel ignorantia spectetur. Quid si venditor generaliter pactus sit, ne de vitiis morbisve teneretur. Quid si, ne de certo vitio teneretur, 21. 1. 10. Tom. 3.
An cesset, vitio sanato, servo empto manumisso, pretio per emptorem post vitium compertum soluto. An locum habeant in donatione, locatione. Ob quæ vitia moribus agi possit, 21. 1. 11. Tom. 3.

Reditus.

Reditus annui, quorum dies jam cessit, sunt mobiles; licet ipsum jus exigendi reditum immobilibus accenseretur, 1. 8. 22. Tom. 1.
Jus ipsum exigendi reditum pedagii, portorii, metallorum, salinarum, venationis, piscationis, & aliorum, quæ regalium appellatione veniunt, immobile est, 1. 8. 23. Tom. 1.
Reditus in stricto & proprio sensu vel sunt mere reales, vel mere personales, vel mixti, 1. 8. 24. Tom. 1.
Reditus mere reales in plerisque locis pro immobilibus habentur, 1. 8. 25. Tom. 1.
Reditus annui mixti in Hollandia pro mobilibus habentur, licet alibi immobilibus accenseantur, 1. 8. 26. Tom. 1.
Debita usuraria hypothecis immobilium munita mobilia sunt, licet in quibusdam immobilium naturam imitentur, 1. 8. 27. Tom. 1.
Reditus & sortes, quas ex suis cautionibus debet respublica, fiscus, civitas, vicus, collegia stabilia, mobilibus potius, quam immobilibus accenseri debent, 1. 8. 28. Tom. 1.
Reditus venationum, piscationum, aucupiorum, quo usque fructuario cedant, 7. 1. 23. Tom. 2.
Quantum cedat ei, cui reditus vitalitii ususfructus competit, 7. 1. 25. Tom. 2.
An & quo usque olim in Hollandia ac Ultrajecti, alibique viguerit parœmia, (*eens renten altyt renten*,) & an adhuc vigeat, 12. 1. 28. Tom. 3.
Cujus loci statuta sint spectanda quantum ad usum hujus parœmiæ, 12. 1. 29. Tom. 3.
An ex annuis reditibus jam debitis novus reditus constitui possit, 22. 1. 20. Tom. 3.
Quid intersit inter usumfructum & reditum legatum. An reditum ex fundo debens possit vendere fundum, si reditum præstet, 33. 2. 2. Tom. 5.
An reditus legatus morte legatarii extinguatur, an perpetuus sit, 33. 2. 3. Tom. 5.
Reditus ad ludos illicitos relictos debetur, sed licitis applicandus est. Non debetur reditus temporis illius, quo ludi

di non editi, sed remanet penes gravatum, sive hæredem sive legatarium. An & quo usque reditus præscriptio fieri possit, & quanto temporis spatio, 33. 2. 4. Tom. 5.
Si reditus fundo per legatum sit impositus, & fundus venditus postea pereat, an emptor adhuc ad reditum teneatur, 33. 2. 5. Tom. 5.

Reductio.

Si quis sententia arbitri se gravatum putet, reductio hodie peti potest. Intra quantum tempus, & an petita suspendat executionem sententiæ arbitri, 4. 8. 25. Tom. 1.
Quæ sit pœna reductionis temere petitæ, 4. 8. 25. Tom. 1.
Reductio peti potest, licet ei ante sententiam renunciatum sit; sed tunc ea petita non suspendit executionem, sed reformationis effectum habet, 4. 8. 26. Tom. 1.
Quis sit judex competens ad petendam reductionem, 4. 8. 27. Tom. 1.
Si judex reductionis judicaverit, iterum a sententia ejus appellari potest, 4. 8. 28. Tom. 1.
Reductione petita, an pœna debeatur, si *laudum* extrema reductionis sententia confirmetur, an vero etiam ante. Et an pœna debita, si reductionem petens desistat a lite sine transactione, 4. 8. 29. Tom. 1.
An pœna debeatur, si *laudum* per judicem reductionis tantum pro parte infirmetur, vel in solidum quidem, sed ex aliis documentis, 4. 8. 30. Tom. 1.
Compromisso sæpe adjicitur consensus in condemnationem judicialem eorum, quæ *laudo* comprehensa. An a tali sententia appellari aut supplicatio fieri, aut restitutio peti possit, 4. 8. 31. & 32. Tom. 1.

Reformatio.

Quid sit, & in quibus distet ab appellatione. Peti potest post executionem; etiam ab eo qui appellationem deseruit, 49. 2. 7. Tom. 6.

Refutatio feudi.

De feudi refutatione & requisitis, 38. D. 93. Tom. 5.

Regalia.

De regaliis minoribus, 49. 14. 3. Tom. 6.

Regula Catoniana.

Quando locum habeat regula Catoniana, quando non, 34. 7. 1. & 2. Tom. 5.

Rei vindicatio.

Vide *Vindicatio.*

Relatio.

De relationibus, & sententiis ad eas latis; ac hodie an earum sit usus, 49. 1. 21. Tom. 6.

Relegatio.

Vide *exilium.*
Relegatione non tollitur patria potestas, 3. 7. 9. Tom. 1.

Religiosus locus.

Quid sit locus religiosus, qui eum possit facere. An servitutem realem debens, si noceat prædio dominanti. An fructuarius invito proprietario, aut vice versa, 11. 7. 4. Tom. 2.
De cenotaphio; illatione thesauri non fit locus religiosus. De pretiosorum cum cadavere illatione, 11. 7. 2. Tom. 2.
Qua actione teneatur, qui cadaver non jure illatum privata auctoritate ejecit, 11. 7. 3. Tom. 2.
Qua actione teneatur, & quibus, qui non jure cadaver intulit, 11. 7. 3. Tom. 2.
Locus illatione cadaveris religiosus factus, desinit esse in commercio. An tunc usucapi possit. An & quatenus legari, vendi, & quo respectu videatur in nostra esse potestate, 11. 7. 4. Tom. 2.
De sepulcris familiaribus, & hæreditariis & hodiernis. An filius exhæredatus in ea inferri possit, & ubi secundum jus canonicum quisque sepeliri possit, 11. 7. 5. Tom. 2.
Quibus modis loca desinant religiosa esse, 11. 7. 6. Tom. 2.
Quis funerare defunctum debeat, & de actione funeraria & impensa funeris, vide *funus & funeraria actio.*
Qui prohibitus est inferre mortuum, cum haberet inferendi jus, habet actionem in factum ad id, quod interest, quæ nec hæredi nec in hæredem datur. Quæ ejus ratio sit, 11. 8. 1. Tom. 2.
Si prohibitus inferre, non habeat locum alium commodum ad mortuum inferendum, agit statim interdicto, *ne vis fiat mortuum inferenti*: quo tamen vincere & ille potest, qui non habet inferendi jus, & cur, 11. 8. 2. Tom. 2.
Qui sepulcrum habet, non viam ad illud, ei via per vicinos concedenda est, 11. 8. 3. Tom. 2.
De interdicto de sepulcro ædificando vel reficiendo, 11. 8. 4. Tom. 2.
Remedium l. 2. C. de rescind. venditione. Vide *rescissio venditionis.*

Remissio mercedis.

An & quando ob insolitam sterilitatem remissio mercedis facienda sit, vel non, 19. 2. 24. Tom. 3.
An colonus partiarius petere possit remissionem mercedis ob insolitam sterilitatem, 19. 2. 8. Tom. 3.
Quæ sit insolita sterilitas, arbitrio judicis æstimandum. Sterilitas æstimanda consideratis omnibus totius agri fructibus, non partium singularum. Quid juris, si paucissimi fructus nati maximo pretio venditi sint. Quid, si fructus uberrimi pretio vilissimo. An uno vicinorum remittente mercedem, etiam reliqui remittere debeant, 19. 2. 25. Tom. 3.
Recensentur aliæ causæ, ob quas remittenda merces; ubi de eo, qui sine causa expulsus est ante tempus; quique, cum ab initio usum non præstitisset, postea offert; vel longe majorem dixit agri locati quantitatem, 19. 2. 26. Tom. 3.

Remissio criminis.

Vide *gratia.*

Renovatio investituræ.

Vide *investitura.*

Renunciatio.

An privilegia pereant renunciatione, 1. 4. 22. Tom. 1.
Renunciatio privilegiorum, quæ rebus ipsis & factis contingit, strictissimam recipit interpretationem, 1. 4. 22. Tom. 1.
Privilegia Universitati data non pereunt renunciatione privata quorundam membrorum; imo quandoque ne ipsi quidem renuncianti, 1. 4. 23. Tom. 1.

Repertorium.

De repertorio conficiendo ad impediendam soluto matrimonio, aut interrumpendam continuationem communionis. Vide *continuatio communionis.*
Tutores ante administrationem facere debent repertorium, nisi sit in mora periculum. Quæ in illud sint referenda, & quibus expressis qualitatibus, 26. 7. 3. Tom. 4.
Quo modo & intra quod tempus illud conficiendum sit. Quo modo, si parens vel vitricus aut noverca pupillorum superstes sit. An testator tutori remittere possit confectionem repertorii, 26. 7. 4. Tom. 4.
Quæ sit pœna tutoris non conficientis repertorium. Quid, si quædam dolo, vel bona fide, prætermiserit. Quid, si plus in illud retulerit, quam vere erat in patrimonio pupilli, vel majorem jactabundus expresserit patrimonii quantitatem, 26. 7. 5. Tom. 4.
De ratione, cur introductum sit circa aditionem hæreditatis beneficium inventarii. Inventarii confectio ante Justinianum in multis aliis casibus locum habuit, uti & hodie, 28. 8. 9. Tom. 4.
Quæ sint observanda in inventario ratione temporis, tabellionis, testium, citationis eorum quorum interest, descriptionis rerum & fructuum etiam mortuo testatore perceptorum, subscriptionis per hæredem faciendæ. An continuata serie, vel una charta, fieri debeat, 28. 8. 10. Tom. 4.
Quo modo, quibus citatis, hodie beneficium inventarii specialiter a Principe impetrandum & judice confirmandum sit. Quid, si creditores aliique citati se non sistant. Cujus loci solemnia hic adhibenda sint, 28. 8. 11. Tom. 4.
Quamdiu apud nos duret potestas petendi hoc beneficium inventarii. Ubi petendum, si mortui sint delegati ad comitia Ordinum Generalium, aliaque Collegia, 28. 8. 12. Tom. 4.
Quales hæredes petere nunc possint hoc beneficium. An & illi, qui prius petierant tempus deliberandi, 28. 8. 13. Tom. 4.
An jure civili conficiens inventarium hoc ipso jam hæres factus fuerit. An hodie hoc beneficium recte petat, qui jam pro hærede se gessit, aut hæreditatem expilavit. An, si alii consanguinei remotiores sine inventario adire velint. Et an tunc is, qui jam beneficium impetraverat, ei renunciare, ac simpliciter adire possit. An & tunc, cum nullus alius simplicem offert aditionem. An & maritus simplicem aditionem offerre, si hæredes uxoris cum inventario adire velint. An hæc aditio sine inventario offerri possit, cum beneficium inventari jam confirmatum est, 28. 8. 14. Tom. 4.

An

An testator possit hæredi remittere hanc inventarii confectionem. An jurata assertio testatoris de sui patrimonii quantitate in testamento facta, pro repertorio sit. An testator prohibere possit, ne hæres adeat cum inventario; & quis talis prohibitionis effectus sit, 28. 8. 15. Tom. 4.
Quid juris si res quædam in repertorio bona fide vel dolo prætermissæ sint, 28. 8. 16. Tom. 4.
An durante inventarii confectione hæres a creditoribus hæreditariis conveniri possit. An non actione judicati ab illis quibus defunctus fuerat condemnatus. An non a dominis rerum per defunctum detentarum. An ex causa spolii per defunctum commissi. An interim conveniri fidejussores defuncti. An hæres interim recte conveniat debitores hæreditarios, 28. 8. 17. Tom. 4.
Quis sit effectus repertorii absoluti, respectu creditorum. An hæres venditioni se possit opponere, si cum bonis defuncti etiam propriæ ipsius res proscriptæ sint. An venire contra rerum suarum venditionem a defuncto factam. An contra transactionem, quam defunctus fecit cum fiduciario super fideicommisso, quod post mortem defuncti ad hunc cum inventario hæredem devolvi debet, 28. 8. 18. Tom. 4.
Si hæres cum inventario vendiderit bona defuncti, emptor a nullo creditore hypothecario defuncti conveniri potest, 28. 8. 19. Tom. 4.
Talis hæres tuto solvit creditoribus prius venientibus, licet debiliore jure munitis, & legatariis, qui deio conveniendi per creditores potiora jure habentes. An debiti liquidi solutio suspendi debeat ob debita alia illiquida. An ob id, quod quidam creditores se opponant confirmationi inventarii, & longior oppositis mora est, 28. 8. 20. Tom. 4.
Potest aliquando res hæreditarias creditoribus in solutum dare. Non tamen jure hodierno, 28. 8. 21. Tom. 4.
Deducit Falcidiam ex legatis, licet militis sit hæreditas cum inventario adita. An hæredi pereant res hæreditariæ, an magis creditoribus & legatariis, 28. 8. 22. Tom. 4.
Deducit ante omne creditum impensas in funus, in inventarium, in testamenti insinuationem, & in alias necessarias. Quales & quantas funeris impensas. An & impensas litis pro rerum hæreditariarum persecutione vel defensione. Vel factas ob id, quod quidam se opponant inventario, 28. 8. 23. Tom. 4.
Non fit confusio, si quid defunctus hæredi, aut vice versa debuit. An filia tunc dotem sibi a patre promissam petere possit. An & pœnæ conventionales ac legitimæ tunc hæredi salvæ sint, 28. 8. 24. Tom. 4.
An hæres cum inventario post distributam omnem pecuniam & redditas rationes adhuc teneatur suscipere *arramenta* litis contra defunctum cœptæ, 28. 8. 25. Tom. 4.
An inventarium fiduciarii prosit fideicommissario, 28. 8. 26. Tom. 4.
An hæres adiens sine inventario perdat falcidiam & legitimam. An & Trebellianicam, 28. 8. 27. Tom. 4.
Si leviora quædam circa inventarium hæres neglexerit, an beneficium perdat. An milites sine inventario adeuntes in solidum teneantur. An fiscus capiens bona damnatorum, aut vacantia. An illi, qui succedunt in bona damnatorum, dum fiscus jus suum remisit. Et quid, si fiscus a privato hæres scriptus sit. An hodie Diaconi, aliique curatores pauperum, adeuntes hæreditatem pauperibus delatam, vel ipsarum pauperum, sine inventarii beneficio, teneantur ultra vires hæreditatis, 28. 8. 28. Tom. 4.
Qui scripserint de inventario, 28. 8. 29. Tom. 4.

Repetundarum crimen.

Quæ munuscula capere magistratus potuerint. De jurejurando, de officio gratis impertiendo, & contractibus in fraudem hujus juris factis, 48. 11. 1. Tom. 6.
Recensentur, qui teneantur lege Julia repetundarum: & quomodo puniantur, jure civili ac moribus, 48. 11. 2. & 3. Tom. 6.

Repressalia.

De prohibitis pignorationibus seu repressaliis, 5. 1. 29. Tom. 2.
Licitæ tamen ex concessione Principis repressaliæ, quoties debitor & creditor non subsunt uni supremo Principi, & Princeps alterius regionis peregrino creditori contra suos subjectos jus dicere detrectat, 5. 1. 30. Tom. 2.
Ordinarius judex non potest repressalias concedere; nec Princeps peregrinis, sed tantum subjectis suis, 5. 1. 31. Tom. 2.

Reprobatio testium.

Vide *testes*.

Repudiatio hæreditatis.

Quibus modis omittatur hæreditas, tum re, tum verbis. An sui vel extranei abstinere vel repudiare possint, si quid ex hæreditate surripuerint, aut conditionem potestativam impleverint, sub qua instituti. An repudiare, qui semel adiverunt, si mulier vidua professa sit, se stare velle testamento mariti sui, & post abtinere ex testamento nequeas, quæ speraverat, an adhuc ad pacta dotalia reverti possit, 29. 2. 33. Tom. 5.
Quo modo, & cujus auctoritate repudiatio fiat jure civili ac moribus, si impuberi, minori, prodigo, furioso delata sit hæreditas. Si nuptæ delata, maritus repudiat etiam invita ea spudiores. An & tunc, cum ex statuto bona alienare nequit sine consensu uxoris suæ, 29. 2. 34. Tom. 5.
An & ad quem effectum fieri possit repudiatio hæreditatis nondum delatæ, præcipue pendente institutionis conditione, 29. 2. 35. Tom. 5.
Repudians evitat regulariter onus debiti hæreditarii. An liberi abstinentes solvere debeant ea debita, quæ pater ad alimoniam liberorum, aut studia, aut peregrinationem contraxit, 29. 2. 36. Tom. 5.
An, qui repudiavit, iterum mutata mente adire possit. Repudians ex testamento an adhuc adire ab intestato. An & vice versa. An repudians ex posteriore imperfecto, adhuc adire possit ex priore perfecto, 29. 2. 37. Tom. 5.
An per repudiationem filius perdat & ea, quæ ipsi ex jure primogenituræ debentur. An hæres prælegata. An fideicommissa, si testator hæredes institutos sibi invicem per fideicommissum substituerit in casum, quo sine liberis moreretur. An filia, quæ accepta dote renunciavit hæreditati paternæ, venire possit ad fideicommissum, si pater institutos pro fideicommissum liberos substituerit, 29. 2. 38. Tom. 5.
De jure accrescendi inter cohæredes, & an invito cohæredi accrescat. Quo usque jus accrescendi hodie inter cohæredes locum habeat, 29. 2. 39. & 40. Tom. 5.
Qui dolo repudiat hæreditatem ex testamento vel conditione, sub qua institutus, non paret, tenetur ad legata, ac si adivisset. Quid, si dolose cesserit legitimo vel substituto, gratis aut accepta pecunia, 29. 4. 1. Tom. 5.
An ad legata teneatur, si bona fide repudiet, aut ut fraudem sibi a testatore factam eludat. Quid, si institutus & simul substitutus, adeat ex substitutione, vel ab intestato, cum testator ei electionem dedisset; ex quo jure vellet adire. Quid, si alio quam hæredis titulo res hæreditarias possideat, 29. 4. 2. Tom. 5.
Quid sit usus hujus tituli ex jure hodierno, 29. 4. 3. Tom. 5.

Repudium.

Vide *Divortium*.

Res.

Quæ sit summa rerum divisio, 1. 8. 1. Tom. 1.
Res communes, vide *communis*.
Res publicæ, vide *publica*.
Res sacræ, vide *sacra*.
Res sanctæ, vide *sancta*.
Res universitatis, vide *universitas*.
Res mobiles & immobiles, vide *mobiles & immobiles*
Res incorporales, vide *incorporales*.
Res fungibiles, vide *fungibiles*.

Rescissio.

De Rescissione sententiæ ex falsis documentis latæ, vel ob instrumenta noviter reperta: & quis tunc judex competens, 42. 1. 28. Tom. 6.
De rescissione alienationis in fraudem creditorum factæ, vide *Pauliana actio*.

Rescissio venditionis.

Quando possit mutuo consensu ab emptione recedi. An & in præjudicium juris, quod tertio vel fisco ex venditione quæsitum, 18. 5. 1. Tom. 3.
Quo modo per acceptilationem ex una late factam resolvatur utrimque obligatio ex venditione perfecta. Quid juris, si quis id, quod pure emit, postea emat sub conditione, 18. 5. 2. Tom. 3.
Recensentur causæ, ex quibus invito alterutro venditio resolvi potest, præcipue enormis læsio, 18. 5. 3. Tom. 3.
An propter enormem læsionem condictio ex lege detur, an vero restitutio in integrum petenda sit, an magis actio ex empto instituenda. Quid moribus, & intra quod tempus, 18. 5. 4. Tom. 3.
Habet locum *l. 2. C. de rescind. vend.* sive emptor sive venditor læsus sit. Quando emptor læsus intelligatur ultra dimidium justi pretii. An hoc remedium hæredi & in hæredem detur. An debitori, si creditor pignus vendiderit, 18. 5. 5. Tom. 3.
An hoc remedium detur adversus tertium, in quem emptor sur-

rursus rem alienavit. Et quid, si emptor secundus in bona fide sit, vilioris tamen emerit, 18. 5. 6. Tom. 5.
Cui incumbat probatio in quæstione læsionis. Cujus temporis pretium inspiciendum sit. An considerandum sit pretium affectionis. An, quod thesaurus in fundo vendito repertus sit, 18. 5. 7. Tom. 5.
Si reus conventus eligat resolutionem contractus ob enormem læsionem, an impensæ, per emptorem in rem emptam factæ restituendæ sint, 18. 5. 8. Tom. 5.
An laudemia & alia dominis directis aut fisco soluta pro venditione, restituenda sint per dominum directum aut fiscum. An iterato solvenda pro resolutione contractus. An emptor, si laudemia & alia soluta repetere nequeat ab illis, quibus solvit, ea repetere possit ab ipso venditore, 18. 5. 9. Tom. 5.
An pretium cum medii temporis usuris, & res cum medii temporis fructibus restitui debeat, 18. 5. 10. Tom. 5.
An præstandæ sint usuræ pretii superflui quod reddendum, vel ejus quod in supplementum pretii majoris addendum est, casu, quo venditio ob læsionem non resolvitur, 18. 5. 11. Tom. 5.
An hoc remedium etiam locum habeat in immobilibus pretiosioribus, 18. 5. 12. Tom. 5.
Habet etiam locum hoc remedium in cæteris bonæ fidei judiciis, quæ emptioni similes, puta permutatione, datione in solutum, locatione, emphyteusi: at non in permutatione beneficiorum ecclesiasticorum, 18. 5. 13. Tom. 5.
Non etiam in commodato & similibus, nec in negotiis stricti juris. Quid moribus, 18. 5. 14. Tom. 5.
Cessat hoc remedium in hæreditate & aleæ vendita, in vendito jure aperiendi lapicidinas aut metallifodinas, venditione fructuum nasciturorum, aut ususfructus, aut reditus vitalitii, uti & in contractu assecurationis, 18. 5. 15. Tom. 5.
Cessat, si testator jusserit testamento rem vendi certo pretio, sive sciverit, sive ignoraverit verum pretium. An habeat locum, si judicis jussu venditio solemniter auctione publica, facta sit. An, si tantum auctione publica, sed sine judicis auctoritate ex domini voluntate. An, si magistratus decreto res minorum venditæ, 18. 5. 16. Tom. 5.
Cessat, si quis sciverit verum rei pretium, cum pluris emeret, aut venderet minoris, 18. 5. 17. Tom. 5.
Item, si quis specialiter huic remedio renunciaverit, vel pactum sit appositum, ut pro donato haberetur, quidquid infra vel supra justum pretium appareat datum, 18. 5. 18. Tom. 5.
An locum habeat, si res sine culpa emptoris perierit. Quid juris, si emptor eam majore pretio vendiderit tertio, antequam casu interiret, 18. 5. 19. Tom. 5.
An emptor uti possit remedio *l.* 2. si ipse rem rursus alteri vendiderit, 18. 5. 20. Tom. 5.
An venditor ob non solutum pretium petere possit rescissionem emptionis, 19. 1. 21. Tom. 5.

Restitutoria actio alienationis.

Vide *Pauliana actio*.

Rescripta.

Inutilia sunt rescripta gratiæ & justitiæ per sub vel obreptionem impetrata, 1. 4. 3. Tom. 1.
Quid juris, si rescriptum per sub & obreptionem impetratum plura capita contineat, 1. 4. 4. Tom. 1.
Inutilia sunt rescripta, si careant die & consule, vel Principis subscriptione; vel contra jus & utilitatem publicam sint impetrata, 1. 4. 5. Tom. 1.
Inutilia quoque, si adimant jus tertio quæsitum, 1. 4. 6. Tom. 1.

Residui crimen.

Quibus modis committatur, & puniatur, 48. 13. 6. Tom. 6.

Res judicata.

Vide *exceptio rei judicatæ & sententia*.

Resolutio juris.

Quando verum sit, quando non, resoluto jure dantis pignus ipsum resolvi pignoris jus, pluribus exemplis monstratur, 20. 6. 8. Tom. 5.

Responsio.

Vide *interrogatio*.

Restitutio in integrum.

Quid sit restitutio, quot modis impetretur, & quæ æquitas ejus, 4. 1. 2. Tom. 1.
Qui jure Romano potuerint restituere, non minor magistratus contra sententiam superioris: quisque tamen contra suam, 4. 1. 3. Tom. 1.
Quis jure hodierno restituat, ubi de incidentibus in lite quæstio est, 4. 1. 5. Tom. 1.
Quis restituat, ubi adversus negotia principalia, contractus, aditiones & similia, restitutio facienda est? & an judices Universitatis, quæ Leydæ est, 4. 1. 4. Tom. 1.
Non supremi, sed ordinarii judices cognoscunt de justitia restitutionis ex mandato supremorum, ac confirmant restitutiones, 4. 1. 5. Tom. 1.
Quid agendum, si quis velit restitui adversus negotium, quod non apud Judices sed arbitros compromissarios ventilatur, 4. 1. 6. Tom. 1.
Quis censeatur judex competens, ad id, ut ei examen causæ restitutionis in integrum ac confirmatio committatur? sive adversus summo jure valida; sive adversus ipso jure nulla, restitutio petatur, 4. 1. 7. Tom. 1.
Si contra sententiam restitutio petatur, an examen committi possit ipsi judici, qui eam tulit. An & ei, qui judicanto superior est, 4. 1. 8. Tom. 1.
Qui petere possint restitutionem. An procuratores, & quale in iis requiratur mandatum. An conjunctæ personæ sine mandato. An syndici, bonorum curatores, tutores, &c., 4. 1. 9. Tom. 1.
Petitur contra lædentes, quandoque & contra tertios possessores. An & contra hæredes, 4. 1. 10. Tom. 1.
Non datur restitutio, si tantum modica læsio sit: quæ læsio sit gravior, arbitrio judicis committendum est, 4. 1. 11. Tom. 1.
Non datur, si alia ordinaria remedia supersint: nisi remedium ordinarium & extraordinarium non infamans adversus eundem competat, vel restitutio pinguior sit, 4. 1. 12. Tom. 1.
Nec etiam, si quis ipso jure tutus sit, nisi ex abundanti secundum mores, 4. 1. 13. Tom. 1.
An iterum petere possit, qui semel repulsam est passus, ex eadem causa. An ex alia. An, si causæ prioris pleniores cœperit habere probationes, 4. 1. 14. Tom. 1.
An contra parentes & patronos detur restitutio? & quid moribus, 4. 1. 15. Tom. 1.
Intra quadriennium petenda restitutio, exceptis quibusdam casibus, quibus brevius aut longius tempus jure præfinitum est, 4. 1. 16. Tom. 1.
An facultas petendæ restitutionis duret quadriennio, si actio extincta, contra cujus interitum restitutio petitur, breviori tempore duret, vel pauci tantum dies ad agendum superfuerint ante natum agendi impedimentum, 4. 1. 17. Tom. 1.
Currit quadriennium, licet absens sit is, contra quem restitutio petenda, si modo procuratorem vel defensorem reliquerit, 4. 1. 18. Tom. 1.
Ex quo tempore quadriennium computandum sit in singulis restitutionum causis? & an ignorantibus id tempus currat, 4. 1. 19. Tom. 1.
Quid moribus observetur circa tempora petendæ restitutionis, etiam, cum ea petitur adversus negotia ipso jure nulla, 4. 1. 20. Tom. 1.
Quis sit effectus restitutionis, 4. 1. 21. Tom. 1.
Non est judicium duplex, rescindens & rescissorium, qualiscunque fuerit causa restitutionis, *ibid.*
Restituendi cum re etiam fructus: & vicissim is, contra quem restitutio fit, indemnis servandus. Qua occasione de recuperandis impensis, redintegrandis actionibus, & quales actiones ei, contra quem restitutio fit, non redintegrentur, 4. 1. 22. Tom. 1.
An restitutione adversus emptionem pro parte impetrata, adversarius a tota possit emptione recedere, *ibid.*
An impetrata restitutione adversus sententiam, ea quoque infirma sit, quatenus damnosa fuit ei, contra quem restitutio facta est, 4. 1. 24. Tom. 1.
Restitutio facta strictam recipit interpretationem. An minor, qui mutui accepti nomine usuras solveras, adversus mutuum restitutus usuras solutas repetere possit, si in restitutione usurarum mentio facta non sit, 4. 1. 24. Tom. 1.
An, pendente petitione restitutionis, sententia vel negotium, contra quod ea petitur, executioni dari possit, & quid moribus, 4. 1. 25. Tom. 1.
Quot sint justæ causæ restitutionis, & quid juris, si plures in eandem personam aut rem concurrant, 4. 1. 26. Tom. 1.
Nemo invitus tenetur petere restitutionem: a petitione cœpta potest quisque desistere: & jam impetratæ renunciare: quo casu nec adversarius sentiet effectum restitutionis, quæ ei ex consequentia profuisset, 4. 1. 27. Tom. 1.
Cujus loci statuta sint observanda in concedenda aut deneganda restitutione, 4. 1. 29. Tom. 1.
De restitutione ex capite metus, vide *metus*.
De restitutione ex capite doli, vide *dolus*.

De

De restitutione ex capite minorennitatis, vide *minor 25. annis*.
De restitutione ex capitis diminutione, vide *capitis diminutio*.
Ex quibus causis majores restituantur, vide *majores 25. annis*, & *absentia*.
De alienatione judicii mutandi causa, vide *alienatio judicii mutandi causa*.

Restitutio gratia.

De gratia & remissione criminum, vide *gratia*.

Retentio.

An reus in rei vindicatione condemnatus retinere rem possit, quia aliam ab alio de re eadem litem patitur, aut jus pignoris habet, aut damni infecti pro re illa cavit. An & propter impensas, 6. 1. 31. Tom. 2.
An commodatarius rem commodatam retinere possit, donec impensæ in eam factæ restitutæ fuerint, jure civili & moribus, 13. 6. 10. Tom. 3.
An sorte soluta pignus pro usuris necdum solutis retineri possit, 13. 7. 6. Tom. 3.
An pro necessariis impensis pignus retineri possit, 13. 7. 10. Tom. 3.
An institor retentione mercium sibi commissarum possit sibi consulere pro eo, quod præponens ei debet, cum ipse præponens res jam vendidisset ac tradi mandasset, 14. 3. 9. Tom. 3.
An non possit depositum pro impensis necessariis retineri, 16. 3. 15. Tom. 3.
Recensentur multi casus, in quibus jus retentionis locum habeat; ac differt jus retentionis in multis a compensatione, 16. 2. 20. Tom. 3.
Jus retentionis transmittitur ad successores universales & particulares, *ibid*.
An jus retentionis habens teneatur rem reddere, si ei cautio de solvendo debito offeratur, 16. 2. 21. Tom. 3.
An redemptor operis possit opus pro mercede retinere, 19. 2. 40. Tom. 3.

Retorsio.

Quid sit jus retorsionis, 2. 2. 4. Tom. 1.
Quando æquum, quando iniquum sit, jure retorsionis uti, per varias regulas explicatur, 2. 2. 5. Tom. 1.

Retractus.

De pacto de retrovendendo. Quale tunc pretium reddendum sit, qualis actio ex hoc pacto ad rem recuperandam competat. An fructus rei & usuræ pretii medii temporis restituendæ sint. An duplicata debeantur laudimia ob redemptionem, 18. 3. 7. Tom. 3.
An jus redimendi ex pacto ad hæredes transeat. Quid, si quidam ex his redimere nolint. An & extraneo hoc jus cedi possit. An huic juri præscribi. Si primus emptor alteri simpliciter rem vendiderit sine pacto redimendi, an primus venditor contra emptorem secundum agere possit, 18. 3. 8. Tom. 3.
De jure retractus conventionalis & legalis. Legalis strictam recipit interpretationem, nec locum habet, nisi doceatur, jus illud in tali causa per legem, aut consuetudinem loci, in quo immobilia sita, receptum esse, 18. 3. 9. Tom. 3.
De retractu conventionali, & pacto, ut, *si emptor rursus vendere velit, non alii quam venditori vendat*. Emptor tunc extraneo vendere volens, denunciare id venditori debet, ut is intra duos menses declaret, an rem eodem pretio velit emptam habere. Pacto tamen hoc non impeditur emptor extraneo rem donare, legare, &c., 18. 3. 10. Tom. 3.
Jus retractus legalis competit domino directo emphyteuseos: etiam emphyteutæ, si dominus vendat dominium directum. Item domino directo feudi, etiam subinfeodanti, si vasallus, aut subinfeudatus, feudum vendat, & emptor necdum investitus sit. Datur & socius ad partem a socio distractam; & ei, cui census ex fundo debitus, si fundus vendatur, 18. 3. 11. Tom. 3.
An & quatenus competat illis, qui jus pignoris habent in re immobili, dominis prædii unde reditus annuus venditus debetur. An dominis jurisdictionis, baillivis, prætoribus. An fructuariis vendita proprietate, *ibid*.
In omnibus fere locis viget retractus gentilitius: non tamen Ultrajecti aut in Gelria vel Transisulania. An ubique in Hollandia, 18. 3. 12. Tom. 3.
Ex jure Romano peti potest fundamentum retractus gentilitii. Quæ juris mutationes hic inciderint, 18. 3. 13. Tom. 3.
Competit hoc jus cognatis masculis, fœminis: non adoptatis. An naturalibus? An conceptis post venditionem. An debeant esse proximi ex illa linea, unde res est profecta. Et quid in feudis retrahendis, 18. 3. 14. Tom. 3.
An detur illis, qui ex statutis non vocantur ad successionem ab intestato? An naturalibus ratione feudi a linea materna distracti? An remotioribus jure repræsentationis ad successionem ab intestato venientibus cum alio proximiore. An jus retractus regatur secundum jus successionis intestatæ, *ibid*.
Hoc jus retractus ex lege competens alteri cedi nequit: nec quis pro alio, sed tantum pro se retrahit; de quo & in locis quibusdam *jurare* tenetur, 18. 3. 15. Tom. 3.
Non retrahit, qui ingratus fuit in cognatum venditorem: nec huic juri renunciavit. An tacite renunciaverit, qui pro evictione fidejussit, aut oblatam sibi emptionem non acceptavit, aut venditioni præsens fuit: aut venditionis instrumento subscripsit, 18. 3. 16, Tom. 3.
An filius venditoris, etiam in patris existens potestate, retrahere possit. An & hæres venditoris. Et quid, si venditor promiserit, se rem præstiturum liberam ab omni retractu, 18. 3. 17. Tom. 3.
An, si cognatus & extraneus simul emerint, cognatus retrahere possit partem extranei. An maritus, si stante matrimonio rem emerit a cognato suo, vel retraxerit eam, extraneo per cognatum venditam, & illa sic cesserit communionis jure uxori pro parte, 18. 3. 18. Tom. 3.
Si maritus stante matrimonio fundum emat & rursus vendat, retractum habent cognati uxoris & mariti si fundus fuerit conjugum communis factus, 18. 3. 19. Tom. 3.
Si plures vendiderint simul eundem fundum, an unius venditoris cognatus partem, an totum, retrahere possit, *ibid*.
Qua solemnitate retractus fiat in Hollandia. Et quid, si in forma peccatum sit, 18. 3. 20. Tom. 3.
Retractus tantum obtinet in immobilibus, & incorporalibus quæ immobilibus hodierno jure accensentur: in Hollandia fere in prædiis tantum ruri; non in ædibus in urbe sitis: sive avita sint, sive per venditorem ipsum prius empta, sive allodialia. Et an in curia feudali lis de retractu agitanda sit, 18. 3. 21. Tom. 3.
Si simul sint venditæ res retractum admittentes cum rebus retractum respuentibus, quousque retractus tunc fieri possit, 18. 3. 22. Tom. 3.
Retractus tantum in emptione, & datione in solutum, similibusque, in quibus pretium apparet, locum habet. An in venditionibus subhastatione factis. Non in permutationibus, transactionibus, donationibus, legatis. Quid si res partim vendita, partim donata sit, 18. 3. 23. Tom. 3.
An emptor & venditor mutuo consensu resiliendo ab emptione, impedire possint jus retractus? An per adjectionem pacti, ut demum res sit vendita, si cognatus non retrahat. An per adjectionem pacti de retrovendendo. An per id, quod emptor intra tempus retractui præfinitum rursus eandem rem in extraneum alienavit? An tunc primi an secundi venditoris cognati potiores sint. Et quid tunc observandum sit ac reddendum per retrahentem, 18. 3. 24. Tom. 3.
De tempore intra quod retractus fieri debeat. An tempus illud currat a tempore venditionis, an a tempore traditionis. An currat ignoranti, & an adversus lapsum temporis restitutio dari debeat. An sufficiat extrajudicialis interpellatio intra tempus facta. An in jus vocatio, 18. 3. 25. Tom. 3.
Quæ per retrahentem emptori reddenda vel offerenda sint. An emptore ea non admittente consignatio ac depositio necessaria sit, 18, 3. 26. Tom. 3.
Retrahens subintrat in locum emptoris. Quales fructus emptor retrahenti restituat, 18. 3. 27. Tom. 3.
Retrahenti competunt dilationes emptori ab initio datæ. Venditor de pretio residuo non contra emptorem, sed contra retrahentem agit: & vicissim retrahenti actiones dantur contra venditorem. Reviviscunt emptori jura omnia, quæ per emptionem extincta fuerant, 18. 3. 28. Tom. 3.
Onera rei imposita gravant retrahentem. Si dominus directus retrahat feudum venditum, imposita per vasallum servitutes durant, secus, si jure caducitatis feudum domino aperiretur, 18. 3. 29. Tom. 3.
An retrahens solvat laudimia aliaque onera, a quibus emptor ex privilegio personali liber erat. In retractu legali semel tantum laudimia & alia debentur, velut ex una emptione, *ibid*.
In concursu quinam potiores sint in jure retractus, quoties pluribus retractus competit ex diversis causis, vel ex eodem jure, 18. 3. 30. Tom. 3.
De retractu actionum venditarum per debitorem faciendo, vide *actio*.

Revisio.

In quorum sententiis locum habeat. Quid sit? In quibus conveniat cum appellatione, ubi & in quibus causis permissa sit,

sit, vel non? quod victor aque supplicasa possit, ac victua: & directo supplicara debeat: non *a minima* supplicara, 49. 2. 2. Tom. 6.

In quibus differat ab appellationa. Ubi, intra quod tampus a variorum judicum supramorum sententiis in Hollandia alibique supplicandam sit. *An* revisio revisionis peti. An non quarala nullitatis proponi. An suspendat executionem. Si suspendat, peti poteat coarctari tampus ei interponendæ & prosequendæ. Per quos illa coarctatio fiat, 49. 2. 3. Tom. 6.

De adjunctis in revisione, & numero eorum. An revisio gratis, seu, pro Deo, ut ajunt, obtineri possit? An *in* aa alia facta poni, aliæ probationes adduci. Et quid, si quæ prioribus instantiis addacta, per inferiores judices rajecta fuerint. An hic restitutio dari contra lapsum *fatalium*. An facultas supplicandi aliqua quantitate, sententiis comprehensa, coarctata sit. 49. 2. 4. Tom. 6.

Quid amendatur per sententiam revisionis. Non semper ultima sententia est optima, 49. 2. 5. Tom. 6.

De tempora revisionis terminandæ, 49. 2. 6. Tom. 6.

Vide *supplicatio*.

Revocatio.

De Revocatione testamenti, vide *infirmatio testamenti*.

De revocatione donationis inter vivos propter ingratitudinem, liberos postea natus, vel jam ante natos, vida *donatio*.

De revocatione donationis mortis causa, vide *donatio mortis causa*.

Reus.

Non potest reus de alieno sed tantum suo debito conveniri. Aa uxor pro marito: maritus pro uxore: filius pro patre. Non extraneus pro extraneo, ubi de prohibitis pignorationibus, 5. 1. 29. Tom. 2.

Raus an venire teneatur, ut exceptionem fori declinatoriam opponat, 5. 1. 65. Tom. 2.

Rhodia lex.

Rhodiensas peritia navigandi & aliis celebres, 14. 2. 1. Tom. 5.

Reliqua de lege Rhodia, vide ad varbum *jactus*.

Ripa.

An in ripa fluminis unicuique liceat ædificare, 1. 8. 9. Tom. 1.

De ripa munienda, 43. 15. 1. Tom. 6.

S

Sacra res.

Quid sint *res sacræ*, 1. 8. 5. Tom. 1.
Non sunt convertendæ in usus profanos, nec alienari possunt nisi certis in casibus, 1. 8. 6. Tom. 1.

Desinunt esse res sacræ vel lege publica, vel dum ab hostibus captæ sunt, *ibid.*

Sacrilegium.

Quid propria sit sacrilegium, & qua requisita ejus, quæ improprie dicantur sacrilegia. Quæ pœna sacrilegii, 48. 13. 4. & 5. Tom. 6.

Salarium.

An integrum anni totius salarium fuerit debitum, si assessor, aut præses cui assidebat, in medio anni mortuus fuisset, aut successorem accepisset, 1. 22. 5. Tom. 1.

Non valet pactum inter clientem & advocatum de salario non nisi post victoriam petendo, 2. 1. 12. Tom. 1.

Advocatis salaria debita, licet non promissa. Non tamen pro iis consequendis licita retentio instrumentorum: (secus pro impensis) nec competit pro salario privilegium prælationis, 3. 1. 6. Tom. 1.

An salarium peti possit ab Advocatis & similibus post biennium ab opera navata, *ibid.*

An debitum salarium, si quis in causa sibi cum alio communi postulet, vel *in* sua, vel in proximi agnati, cui gratis adessat, si vincat & victus victori in expensas damnetur, 3. 1. 7. Tom. 1.

An annuo salario constituto, & Advocato in medio anni moriente, heredes ejus integri salarii petitionem habeant; & quid moribus, 3. 1. 8. Tom. 1.

An socius, qui præcipue vel solus gessit negotia societatis, salarium pacisci, aut viri boni arbitrio consequi possit, 17. 2. 19. Tom. 3.

An in mandato salarium seu honorarium intervenire possit, & an, ac quo remedio peti, 17. 2. 2. Tom. 3.

De variorum salariis, 50. 13. 1. *& seqq.* Tom. 6.

De salario tutoribus constituendo, ex jure civili & hodierno, 27. 4. 12. Tom. 4.

Salvus conductus.

Quis obærato absenti, qui cum creditoribus transigere tentat, salvum conductum concedat, & quando hic denegandus sit, 42. 3. 21. Tom. 6.

Sancta res.

Quid sint res sanctæ, 1. 8. 7. Tom. 2.

Quæ sint pœnæ violantium legatos aut muros civitatum, *ibid.*

Satisdatio tutorum.

De cautionibus per tutores ante administrationem præstandis, ex jure civili & hodierno, 26. 7. 2. Tom. 4.

Scopelismus.

Quid sit crimen scopelismi. Quæ pœna. De veteribus colonis migrare jussis, & vulnerum, mortis, incendii, alteriusve mali metu absterrentibus novos colonos. De extorquentibus per scriptas denunciationes pecuniam certo loco deponendam sub mortis aut incendii comminatione, 47. 11. 5. Tom. 6.

Scriptura.

Scriptura chartæ cedit. An jure petatur exhibitio chartæ per eum, qui suas rationes in aliena charta scripsit. Et quid de scripturæ impensis, 41. 1. 26. Tom. 5.

Secretarius.

Vide *graphiarius*.

Senator, Senatus.

Quid sit Senatus, quid potuerit, & quæ fuerit dignitatis diversitas in ordine senatorio, 1. 9. 2. Tom. 1.

Senatores gaudent jure fori pecaliaris, duplicis domicilii, & immunes sunt a quæstionibus, plebejorum pœnis, carceribus, sordidis muneribus, 1. 9. 3. Tom. 1.

Liberi senatorum dignitatis paternæ participes sunt, licet ante dignitatem nati, si modo id petierint; unde varia deciduntur, 1. 9. 4. Tom. 1.

Uxor senatoris, vide *uxor*.

Matres senatorum non ita gaudent dignitate filiorum, ut uxores dignitate maritorum, 1. 9. 9. Tom. 1.

Quibus modis evanescat senatoria dignitas, 1. 9. 10. Tom. 1.

Quid juris sit in liberis ante vel post patris amotionem a senatu natis, *ibid.*

Senatusconsulta.

Quid sint senatusconsulta, & quando inducta, 1. 3. 26. Tom. 1.

Senatusconsultis quandoque tribuuntur, quæ alibi edictis aut orationibus Principum, *ibid.*

Sententia.

An reus sententia partim absolvi, partim condemnari possit. An in Hollandia ferri sententia, *dat den eysch en conclusie word ontseyh, invoegen die gedaan en genomen is*, 42. 1. 1. Tom. 6.

De duplici significatione rei judicatæ, & quid intersit inter *sententiam* & *rem judicatam*. Quando impleta censeatur conditio, *tot dat het proces uytelyk sal weesen getermineert*, 42. 1. 2. Tom. 6.

Quid intersit inter *sententiam* & *opinionem*. An & quando comminationes, programmata, epistolæ, subscriptiones, commonitiones judicum habeant auctoritatem rei judicatæ. De mora pronunciandi, *videri* sibi, 42. 1. 3. Tom. 6.

Quid sit sententia interlocutoria. An per definitivam retractari possit. Plures interlocutoriæ habent vim definitivæ. An tunc per judicem eandem revocari possint, ut appellatio impediatur, 42. 1. 4. Tom. 6.

Interlocutoria est, qua reus absolvitur ab instantia. An simul una sententia conjungi possit absolutio ab instantia & adjudicatio petitionis. Est & interlocutoria, qua litigantes jubentur adesse delegatis transigendi causa: vel pleniorem allegatorum quorundam probationem facere: uti &, si ipsis præscribatur regula tractandi litem, prout in factis consentiant aut dissentiant, aut possessio uni litigantium adjudicatur, 42. 1. 5. Tom. 6.

De adjudicationibus solutionis fiduciariæ, pendente lite principali, ex agnito chirographo, libro mercatorio, confessione rei &c. Qualia debeant concurrere requisita. Quid, si ex libro mercatorio conventus neget totum contractum, seu traditionem mercium. Quot citationibus opus ad eam obtinendam, 42. 1. 6. Tom. 6.

Quid, si reus praesens chirographum abneget. Quid, si dilationem petat ad faciendam agnitionem. Si renuat agnoscere aut abnegare, an ob id condemnatus appellare possit. An & quo usque viduæ, hæredes, in officio successores, teneantur scripturam agnoscere. Et post quot citationes fingantur agnovisse. Quid juris, si quis literarum imperitus tantum subnotaverit, 42. 1. 7. Tom. 6.
An evitet solutionis fiduciariæ decretum, si alleget, se instrumentum, quod subscripsit, non legisse: vel non debere, quod instrumento contentum; vel alium suo nomini scripto superscripsisse, aut instrumentum decennio antiquius esse; aut instrumento agnito falsitatem commissam esse; aut circa debitum scriptura comprehensum in calculo erratum esse, 42. 1. 8. Tom. 6.
An, si contractus initi & chirographi conscripti tempore se non sanæ mentis, aut prodigum, aut minorem curatore destitutum fuisse dicat. An & quando, si non numeratæ pecuniæ exceptionem opponat. Et quid, si super ea exceptione reus actori jusjurandum in continenti deferat, 42. 1. 9. Tom. 6.
An, si opponatur exceptio solutionis, acceptilationis, novationis, pacti de non petendo, &c. si non ex confessione adversarii vel scriptura probetur. Et quid, si super hisce reus actori jusjurandum deferat, 42. 1. 10. Tom. 6.
An, si allegetur, restitutionem peti posse, vel jam coeptam peti. Vel peti posse remissionem mercedis scriptura contentæ, 42. 1. 11. Tom. 6.
An & post litem contestatam hæc fiduciaria solutio peti possit, aut in appellatione, cum in prima lite non esset petita, 42. 1. 12. Tom. 6.
An ex decreto fiduciariæ solutionis nummi actori adnumerandi, an in graphejo deponendi sint. Qualem cautionem actor nummos accipiens præstare debeat. Quid, si idonee cavere nequeat. An executio decreti solutionis fiduciariæ peti possit post definitivam sententiam, sed a qua appellatum ab actore vel reo. Ad quid teneatur actor, si fiduciariæ solutionis sententia retractetur per definitivam, 42. 1. 13. Tom. 6.
Non decernenda solutio fiduciaria, si chirographum nec vere nec fictione juris sit agnitum, licet juratam contineat promissionem: nec, si tantum per testes debitum probetur; vel adhuc illiquidum sit; vel debitor rescriptum moratorium jam impetraverit, vel debitum adhuc ex die vel conditione suspensum sit: vel jam in causa sit conclusum: vel pars parti jam detulerit jusjurandum litis decisorium: vel definitiva jam lata sit, & in rem judicatam transiverit, 42. 1. 14. Tom. 6.
Cessat & si reus utatur exceptione contractus ab auctore needum impleti, nisi isti exceptioni renunciatum sit. Cessat, si chirographum careat causa debiti, vel eam habeat ex qua non fit condemnatio: si nudus agat possessor chirographi, nisi illud habeat, *thoonder deser*, si decretum fiduciariæ solutionis totam absorberet litem principalem, si conclusio ad fiduciariam solutionem diversa sit a conclusione in lite principali: si actor non petierit fiduciariam solutionem, sed sententiam, 42. 1. 15. Tom. 6.
Cessat contra mulierem Vellejani exceptione se tuentem. An &, si maritus aut uxor conveniatur ex contractu uxoris sine viro inito. An si reus declinatoriam opponat fori exceptionem. An contra ærarii Hollandici quæstores, qua tales. An & quibus observatis Hollandiæ Curiæ contra civitates Hollandiæ possint provisiones decernere. An & quo modo eam a creditoribus eam obtineat, postquam bonis debitoris curator datus fuit, 42. 1. 16. Tom. 6.
Quid sit sententia definitiva. An judex possit litem pro parte decidere, pro parte in aliud tempus differre, vel litigantis unius intuitu, si plures sint litis consortes. An plures lites una sententia terminari inter easdem vel diversas personas, 42. 1. 17. Tom. 6.
Quæ sint requisita definitivæ sententiæ. Ubi & præsentia partium, ac eorum, qui judicare jussi sunt. Quid, si judices impare numero dissentiant. Quid, si pari numero circa quantitatem, aut circa alia. An non tunc prævaleat sententia, a qua præses stat, 42. 1. 18. Tom. 6.
Ferenda sententia secundum leges, allegata & probata; puta inter illos, qui litem contestati sunt, sed hodie non in procuratores, conformis libello: non in plus quam petitum, licet appareat plus debitum; nec in plus quam debitum, licet plus petitum. Uno in casu plus petens adhuc jure novo causa cadit, 42. 1. 19. Tom. 6.
Regulariter debet esse certa, litem finiens: quot modis videatur certa esse. Recensentur casus, quibus & incerta valeat, 42. 1. 20. Tom. 6.
Temerarius litigator damnandus in expensas litis, licet victor id non petierit, nisi vincat absens ex contumacia, vel in appellatione per allegationem defensionis, in lite prima per dolum omissæ. An victus victori teneatur de impensis litis, si judex nihil de his definierit. An ob solas impensas litis non adjudicatas appellare liceat. An victus victori ad impensas, si victor talis, qui victus haud ferret impensas litis, 42. 1. 21. Tom. 6.
Hodie sæpe compensantur impensæ, arbitrio judicis: uti de accusantibus publico nomine, de lite super parentes & liberos aut propinquos: de lite inter juris quæstiones: de debitore extra judicium haud interpellato, & debitum offerente die sibi dicto: de victo in appellatione, cum vicisset in prima lite: de lite decisa ex jurejurando, per adversarium aut judicem delato: de lite post litem contestatam sopita per transactionem, 42. 1. 22. Tom. 6.
Quando victus in quamdam tantum impensarum partem condemnetur. Quando unus solus ex pluribus ejusdem litis consortibus. Difficilius facienda a judicibus impensarum compensatio. Facta impensarum compensatione, victus tamen solus fert impensas executionis, si non sponte pareat judicato, 42. 1. 23. Tom. 6.
Si plures sint litis consortes in expensas damnati, singuli tantum pro parte tenentur, licet respectu litis principalis singuli in solidum damnati sint: & quidem pro parte virili, licet inæquales in lite partes habeant, veluti cohæredes. Quid, si cohæredes partium inæqualium successerint condemnato in expensas. An particulares successores conveniri possint ad impensas, ad quas prædecessor damnatus fuit. Quæ partes impensarum debeantur a singulis, si unus consors litis majorennis, tres minorennes ab uno tutore repræsentati, in expensas litis damnentur, 42. 1. 24. Tom. 6.
An judex appellationem desertam, aut se incompetentem pronuncians, condemnare possit in impensas. An pendente lite principali condemnare in impensas retardatæ litis. Et an tunc etiam executio earum fiat ante finem litis. An &, si super lite principali deinde transactum sit, 42. 1. 25. Tom. 6.
Quæ veniant nomine impensarum litis. An sumptus in iter, aut damna fortuita occasione itineris. An alius judex, quam qui judicavit, impensas litis taxare possit, aut apud alium fieri earum persecutio. Quo modo procedatur in taxandis litis impensis. An taxationis revisio peti, 42. 1. 26. Tom. 6.
An judex possit mutare sententiam, quam tulit. An non ante pronunciationem ejus. An & quando supplere ea, quæ desunt sententiæ. An dubiam sensum explicare. An deolerare ad tertii petitionem, sententiam ei haud præjudicaturam, si forte per consequentiam præjudicare possit, 42. 1. 27. Tom. 6.
De rescissione sententiæ ex falsis documentis latæ, vel propter instrumenta noviter reperta. Quis tunc judex competens, 42. 1. 28. Tom. 6.
Res judicata pro veritate habetur, inter litigantes jus facit, aliis nec prodest, nec nocet. Quibus in casibus noceat aliis, 42. 1. 29. Tom. 6.
Perit vis sententiæ novatione. Quando illa non videatur facta. Item renunciatione, licet tacita, ut lis denuo moveatur. An &, si absolutus denuo conveniatur, & vel non opponat judicati exceptionem, vel ea opposita adversarius judicatum neget, vel judex rejecta judicati exceptione iterum cognoscat, & ita judicet contra prius judicatum. Quanto temporis spatio sententia apud nos aliosque antiquetur, ut novo executionis decreto opus sit, 42. 1. 47. Tom. 6.

Separatio thori & mensæ.

De separatione thori & mensæ & affectibus ejus, si privatim, vel auctoritate publica facta sit, 24. 2. 16. & *seqq.* Tom. 4.

Separatio bonorum.

De separatione bonorum patroni a bonis servi hæredis necessarii: peculii filiifamilias a bonis patris, fisco patris bona occupante, hæreditatis patris ab hæreditate filii impuberis in gratiam substituti pupillaris: castrensis peculii a paganico; bonorum fidejussoris a bonis debitoris obærati, qui fidejussori hæres exstitit, 42. 6. 1. Tom. 6.
De separatione bonorum defuncti a bonis hæredis, ad petitionem creditorum legatariorum. An eam petant creditores conditionales. An & ei locus, si quis ex substitutione hæres sit. An & hypothecariis creditoribus utilis esse possit. An & quando eam petant creditores hæredis, 42. 6. 2. Tom. 6.
An petitio separationis prosit iis, qui non petierunt. Bonis defuncti separatis non sufficientibus, an & quando hæres conveniri possit. An quod superest ex separato patrimonio defuncti, cedat creditoribus hæredis, 42. 6. 3. Tom. 6.
Quando & quibus in casibus cesset petitio separationis, 42. 6. 4. Tom. 6.

Se-

Sepulcrum, sepultura.

De sepulcri violati aut inhabitati actione. Cui competat. Quid si plures sint, ad quos sepulcrum spectat. An is, ad quem spectat jus sepulcri, pœnitere possit, si prius agere noluerit. An pro hærede se gerat filius hoc agens judicio, 47. 12. 1. Tom. 6.

Quibus aliis judiciis privatis aut publicis locus sit ob sepulcra vel cadavera violata, spoliata? Quando cessent vel mitigentur pœnæ hujus criminis jure civili, ac moribus, 47. 12. 2. *&* *seqq.* Tom. 6.

De impedientibus sepulturas defunctorum, & signantibus bona debitoris moribundi, 47. 12. 4. Tom. 6.

Vide *religiosus locus.*

Sequestratio.

De deposito sequestrario, actione depositi sequestraria, subducentibus sequestrata, officiis & potestate sequestri, & similibus, vide *depositum.*

Servi.

An hodie adhuc servi dentur, 1. 5. 3. Tom. 1.

De servi corrupti actione tum directa, tum utili, & corruptione tentata, 11. 3. 1. *&* *seqq.* Tom. 2.

Serviana actio & hypothecaria.

Quid sit actio Serviana & quasi Serviana seu hypothecaria. Quando detur, si pro debito conditionali pignus pure, aut vice versa, pro debito conditionali pignus sub alia conditione obligatum sit, 20. 4. 1. Tom. 3.

Contra quos detur. An & contra eum, qui cum debitore litigavit de proprietate, ac victor evasit, 20. 4. 2. Tom. 3.

An & quando jure novo debitor & fidejussores excuti debeant ante tertium pignoris possessorem. Quid nostris & vicinorum moribus obtineat, 20. 4. 3. Tom. 3.

Cum res plures pro uno debito obligatæ sunt, vel res una, quæ postmodum inter plures hæredes divisa vel uni adjudicata est, creditor unum in solidum convenire potest, nec tenetur actionem dividere, 20. 4. 5. Tom. 3.

Si unus ex pluribus hæredibus solidum solverit, quo modo contra cæteros cohæredes regressum habeat. An & tertiis tum justis tum injustis possessoribus actio per creditorem cedenda sit contra reliquos aliarum rerum aut partium obligatarum possessores, si illi hypothecaria in solidum damnati sint, 20. 4. 5. Tom. 3.

Hypothecaria conventus unus, si solidum solverit, pro rata a reliquis aliorum pignorum possessoribus repetit. An, si pignus sæpius sit venditum, ultimus possessor hypothecaria conveniendus sit, an vero & primus venditor de pretio quod accepit, conveniri possit, 20. 4. 6. Tom. 3.

In quo intersit, utrum creditor hypothecaria agat contra debitorem, an vero contra tertios possessores, 20. 4. 7. Tom. 3.

Si res eadem pluribus eodem tempore per partes vel in solidum obligata sit, quo modo singuli agere possint, tum contra tertios, tum inter se, 20. 4. 8. Tom. 3.

Quamdiu olim & jure novo Justinianeo duraverit actio hypothecaria. An usucapione rei oppignoratæ jus pignoris evanuerit. Et quid nunc apud nos obtineat, 20. 4. 9. Tom. 3.

De jure prælationis inter creditores, vide *de privilegiis creditorum.*

Servitutes.

Servitutes prædiales moribus accensentur immobilibus, at personales quandoque mobilibus, quandoque immobilibus, 1. 8. 20. Tom. 1.

Quid sint servitutes in genere, & quotuplices; An detur servitus, qua persona servit rei, 7. 1. 1. Tom. 2.

Servitus personalis ususfructus, usus, & habitationis, an in realem degenerare possit, 7. 1. 2. Tom. 2.

Quandoque servitutis appellatione per excellentiam servitutes reales denotantur, 8. 1. 1. Tom. 2.

Reales servitutes sine prædio dominante & serviente esse nequeunt. An futuro prædio imponi vel acquiri servitus possit, 8. 1. 2. Tom. 2.

Prædia ad servitutes reales necessaria vel urbana sunt vel rustica: nec loco, sed usu, distinguuntur, 8. 1. 3. Tom. 2.

Servitutis vel urbanæ vel rusticæ denominatio fit a prædio dominante. Eadem species servitutis potest aliquando urbana, aliquando rustica esse. Possunt & reales servitutes concedi ut personales, 8. 1. 4. Tom 2.

An una, an vero plures servitutes sint, non ex servientium sed dominantium prædiorum numero æstimandum, 8. 1. 5. Tom. 2.

Si servitutes prædiales jam constitutæ sunt, sequuntur universales & particulares prædiorum successores active & passive. Si tantum promissæ, particularis successor eas non tenetur imponere; at omnino universalis; & quo usque, 8. 1. 6. Tom. 2.

De servitutibus prædiorum urbanorum, vide *servitutes urbanæ.*

De servitutibus prædiorum rusticorum, vide *servitutes rusticæ.*

Servitutes prædiales rusticæ & urbanæ iisdem constituuntur modis, pactionibus & stipulationibus. An hodie necesse sit eas constitui coram lege loci, 8. 4. 1. Tom. 2.

Ultima quoque voluntate & officio judicis, 8. 4. 2. Tom. 2.

Quid jure veteri, medio & novo obtinuerit circa usucapionem & præscriptionem servitutum, & de lege Scribonia, 8. 4. 3. Tom. 2.

An ad servitutum acquisitionem per præscriptionem requiratur scientia domini. An & justus titulus verus, 8. 4. 4. Tom. 2.

Non acquiritur servitus præscriptione, si quis longo tempore non sit usus jure suo, puta, altius non ædificaverit, & inde vicinus commodum senserit, licet ad preces vicini intermisisset. Secus si id omisisset ad vicini prohibitionem, 8. 4. 5. Tom. 2.

Quanto tempore servitutes moribus hodiernis acquirantur? & de annali præscriptione ejus, qui quid sine servitute extruxit, quod servitutem redolet, ex lege municipali, 8. 4. 6. Tom. 3.

An possint esse *servitutes servitutum*; & an servitutes *neque ex bonis neque extra bona sint*. Ad explicationem *l. 1. ff. de usu & usufr. legato.*

Servitutes urbanæ & rusticæ jam constitutæ una cum prædiis pignori dari possunt; sine prædiis seorsim nullo modo. Possunt tamen utræque vicinum prædium habenti creditori de novo constitui in crediti securitatem, duraturæ, donec debitum solutum fuerit, 8. 4. 8. Tom. 2.

Prædiales servitutes omnes individuæ sunt; pro parte acquiri vel amitti nequeunt. An unus sociorum prædio communi possit servitutem imponere? Quid juris, si plures socii separatim prædio communi servitutem imposuerint actu inter vivos, vel ultima voluntate. Et quid moribus, 8. 4. 9. Tom. 2.

An unus sociorum prædio communi servitutem acquirat? & quid hodie. An hæres acquirat prædio, quod alteri sub conditione legatum est, ut prosit legatario, 8. 4. 10. Tom. 2.

An & quatenus superficiarii, vasalli, emphyteutæ eas imponant, 8. 4. 11. Tom. 2.

An prædialem servitutem habentes possint opus novum nunciare, 8. 4. 12. Tom. 2.

An servitutes, & nominatim, an servitus aquæ ductus, constitui possit ultra prædii dominantis utilitatem? vel quis alteri ductum aut haustum ex suo ductu concedere, 8. 6. 13. Tom. 2.

An unquam res sua cuiquam servire possit? qua occasione explicatur Africani locus in *l. 33. §. 1. ff. de servit. præd. rust.* 8. 4. 14. Tom. 2.

Servitutes prædiales solius amœnitatis gratia constitui non possunt sine concurrente prædii dominantis utilitate, 8. 4. 15. Tom. 2.

Plures servitutes prædiales per eundem locum pluribus concedi possunt, 8. 4. 16. Tom. 2.

Concessa servitute, omnia concessa videntur, sine quibus servitus exerceri nequit; quod exemplis in haustu, ductu, itinere, actu, via, eorumque complanatione, impedimentorum remotione, refectione, & aditu refectionis causa, aliisque monstratur, 8. 4. 16. Tom. 2.

Servitutem debens nihil agit, sed tantum patitur, 8. 4. 17. Tom. 2.

Omnes servitutes debent habere causam perpetuam: non tamen usum continuum. Quid juris de servitute *foraminis pavimenti proluendi gratia*, tum jure civili tum moribus, 8. 4. 17. Tom. 2.

Si servitutes ad certum tempus vel precario concedantur, id præter earum naturam est, sed tamen subsistunt, 8. 4. 1. Tom. 2.

An, qui precario concessit servitutem prædialem, illam omni tempore pro arbitrio revocare possit, 8. 4. 18. Tom. 2.

Requiritur in servitutibus prædialibus vicinitas prædii dominantis & servientis. Unde vicinitas æstimanda sit tanquam servituti sufficiens, 8. 4. 19. Tom. 2.

De confessoria & negatoria actione pro servitutibus realibus, vide *confessoria actio.*

Servitus prædialis nondum constituta, sed tantum vendita vel stipulanti promissa, evanescit, si stipulans ante impositionem alienet fundum suum, aut partem ejus; nisi simul spem servitutis alienaverit ac cesserit. Et quid juris, si is, cui legata servitus, fundum alienet ante impositionem, 8. 6. 1. Tom. 2.

Jam constitutæ evanescunt confusione, seu consolidatione,

Si quis partem tantum prædii dominantis & servientis pro diviso acquisiverit, in parte altera adhuc servitus salva est, 8. 6. 2. Tom. 2.
Quid juris, si prædii dominantis & servientis domini sibi invicem partem prædii tradiderint? Quid, si prædium serviens inter plures socios divisum sit, & postea prædii dominantis dominus partem unam acquirat, 8. 6. 2. Tom. 2.
An reviviscant servitutes confusione extinctæ, si iterum postea cesset confusio, 8. 6. 3. Tom. 2.
Pereunt etiam interitu prædii dominantis aut servientis: restituenda tamen, si restituatur in pristinum statum prædium, quod interierat, licet inter interitum prædii & restitutionem intercesserit tempus, quod sufficit ad amittendam servitutem: nisi dominus prædii servientis posuerit aut exstruxerit interim aliquid servituti contrarium, & inde tantum tempus elapsum sit, 8. 6. 4. Tom. 2.
Non tamen pereunt, si sola agri superficies mutetur, ex vineis prata fiant, 8. 6. 4. Tom. 2.
Perdunt remissione expressa vel tacita, quod exemplis docetur. An & quando per unius servitutis remissionem altera quoque remissa videatur, 8. 6. 5. Tom. 2.
Servitutes remitti possunt pro parte aliqua prædii dominantis aut servientis, sive unus tantum prædii dominus sit, sive plures prædium dominans aut serviens diviserint inter se, 8. 6. 6. Tom. 2.
Non remittit servitutem unus ex pluribus dominis prædii pro indiviso communis: nec fructuarius, aut proprietarius, aut tutor, aut maritus, ratione prædii fructuarii, pupillaris, dotalis, 8. 6. 6. Tom. 2.
Quanti temporis non usu servitutes *continuæ & discontinuæ* vulgo dictæ pereant jure civili ac moribus, 8. 6. 7. Tom. 2.
An in hac amissione per non usum tempora prædecessoris singularis conjungantur cum temporibus successoribus, 8. 6. 8. Tom. 2.
Quibus modis quis videri possit servitute usus vel non usus esse? & an sufficiat, quod per alium servitus exercita sit, 8. 6. 9. Tom. 2.
Quid juris circa amissionem, quæ non usu fit, si prædium dominans aut serviens per longitudinem aut latitudinem inter plures socios divisum sit, 8. 6. 10. Tom. 2.
Recensentur casus, quibus servitutes non pereunt non utendo, 8. 6. 11. Tom. 2.
Urbanæ servitutes non extinguuntur non usu, nisi simul concurrat factum servituti contrarium, & bona fides præscribentis: secus in rusticis, 8. 6. 11. Tom. 2.
Quid juris, si quis pleniore vel minus plena servitute usus sit, quam quæ concessa erat? vel unus ex pluribus per eundem locum aquam ducentibus jus suum amiserit, vel iverit tantum, non item egerit actum habens, vel iverit per unum fundum ex pluribus servientibus, 8. 6. 12. Tom. 2.
Finiuntur etiam servitutes resoluto jure ejus, qui illas concessit, 8. 6. 13. Tom. 2.
An moribus pereat prædialis servitus, si prædium serviens solemniter decreto judicis venditum ac traditum sit, & dominus prædii dominantis edictis monitus non mature indicaverit suam servitutis jus, 8. 6. 14. Tom. 2.

Servitutes rustica.

Quid sit iter tum jure Romano tum moribus, 8. 3. 1. Tom. 2.
Qui fundum vendens aquam excipit in illo fundo, & *circa eam late decem pedes*, non proprietatem, sed iter tantum videtur excepisse, 8. 3. 1. Tom. 2.
Quid sit actus? quæ latitudo ejus, an & quo sensu iter actui insit, vel non, 8. 3. 2. Tom. 2.
Quid via? quo modo iter & actum contineat, quæ sit latitudo viæ jure civili, & moribus, 8. 3. 3. Tom. 2.
Vicinus viam vendere vel precario concedere cogitur vicino, cujus prædium nullum exitum aditumque habet. Et quid distet talis via a viis aliis, circa potestatem claudendi, scindendi, corrumpendi viam, 8. 3. 4. Tom. 2.
Quid sit via vicinalis; & an claudi possit, 8. 3. Tom. 2.
Quid sit aquæ ductus: requirit aquam vivam. Quid, si fons exaruerit, iterumque fluat post tempus quod præscriptioni sufficit, 8. 3. 6. Tom. 2.
An, si aqua longo tempore ex prædio superiore ad inferiora defluxerit, dominus agri superioris possit extraneo aquam concedere, in præjudicium domini agri inferioris, 8. 3. 6. Tom. 2.
Quid aquæ haustus. An haustum debens cingere puteum & muro includere possit. Ad quem spectet refectio & purgatio putei servientis, vel putei communis. An via publica aut locus sacer intermedius haustum impediat, 8. 3. 7. Tom. 2.
Itinere, actu, via, aquæductu, sine certi loci designatione concessis, electio competit domino prædii dominantis, per quam fundi partem ire, agere, &c. velit. Sed civiliter eligere debet: nec, si elegerit, mutare rursus potest. Dominus tamen prædii servientis mutare potest, & alium æque commodum locum assignare, 8. 3. 8. Tom. 2.
An flumen publicum intermedium impediat iter, actum, viam, haustum, si non vado, nec ponte sed pontonibus trajiciatur, 8. 3. 9. Tom. 2.
Quid sit servitus pecoris pascendi, quando realis, quando personalis sit. An tunc ex pascuis novalia fieri. An dominus suum quoque pecus immittere. An includi possit animal alienum non jure depascens, 8. 3. 10. Tom. 2.
Recensentur aliæ plures servitutes rusticæ partim ex legibus, partim ex moribus, 8. 3. 11. Tom. 2.
Exemplo servitutum enumeratarum possunt & aliæ excogitari, si modo servitutis natura & requisita adsint, 8. 3. 12. Tom. 2.
An servitus sit rustica, si testator jusserit, *ab uno prædio alteri prædio præstari certam arundinum aut similium quantitatem*, vel si id inter duorum fundorum dominos contractu actum sit, 8. 3. 12. Tom. 2.
An servitutem aquæductus habens, possit alteri ductum aut haustum ex suo ductu concedere, 8. 4. 13. Tom. 2.

Servitutes urbana.

De servitute *oneris ferendi*: & quid in ea singulare, 8. 2. 1. Tom. 2.
De servitute *tigni immittendi*, & an eam habens, plura tigna, quam ab initio immiserat, deinceps immittere possit, & an in locum corruptorum alia substituere, 8. 2. 2. Tom. 2.
De servitute tigni immittendi, *& ut super immissis ædificare liceat*, 8. 2. 2. Tom. 2.
De servitute *tigni projiciendi seu protegendi*. Quid sint protectiones, suggrundæ, meniana, & unde dicta, 8. 2. 3. Tom. 3.
Si quid in meum parietem sit immissum per eum, qui servitutem non habet, rescindere privata auctoritate possum: non item, si tantum protectum, & quæ sit ratio diversitatis, 8. 2. 4. Tom. 2.
Non est servitus *altius tollendi*, sed potius libertas, cum vicinus vicino permittit altius tollere contra modum lege vel statuto definitum, 8. 2. 6. Tom. 2.
In quo consistat servitus, quæ tribuit *licentiam altius tollendi*, 8. 2. 6. Tom. 2.
An etiam sit quædam servitus *altius tollendi*, qua vicinus cogitur altius tollere in suo, 8. 2. 7. Tom. 2.
Quid sit servitus altius non tollendi, 8. 2. 8. Tom. 2.
Quid sit servitus *luminum seu luminis immittendi*. Quid moribus sit *venster recht*. An acquisita censeatur luminum servitus, si fenestram posuerim in vicini pariete, eo silente nec contradicente, 8. 2. 9. Tom. 2.
Quid sit servitus *luminis non aperiendi*. Si talis conventio sit interposita, afficit prædium serviens sine ulla quasi traditione, 8. 2. 10. Tom. 2.
De servitute, *ne luminibus officiatur*: distat a servitute *ne altius tollatur*. An servitus hæc generaliter constituta pertineat etiam ad lumina futura, quæ tempore constitutionis nondum erant, 8. 2. 11. Tom. 2.
De servitute *prospectus & ne prospectui officiatur*, & ne in aream alterius prospiciatur, 8. 2. 10. Tom. 2.
De servitute *stillicidii & fluminis*. An stillicidium in flumen converti possit, & contra. An retroduci. An produci. An & quatenus ædificari possit in eo loco, in quo aqua cassitat. Quid moribus, 8. 2. 13. Tom. 2.
De servitute *cloacæ, & fumi immittendi ex taberna casearia* vel alio loco: *effundendi* vel *abjiciendi* in aream vicini: & qualia tunc effundi possint. Item, *ut vicinus in suo quod positum habeat*: ut liceat *in aream vicini terram, saxa, lapides provolvere: ut theatra vel contignationes in area vicini ad ædificandum facere liceat*: & quando vicinus invitus ad id cogi possit, 8. 2. 14. Tom. 2.
De servitute foraminis pavimenti proluendi gratia, 8. 4. 17. Tom. 2.

Sicarius.

Vide *homicidium*.

Silentium.

Vide *interrogatio*.

Simonia.

De hoc crimine & pœna, 48. 14. 1. Tom. 6.

Simulatio.

Quid sit simulatio, & in quo distat a fictione juris, 22. 5. 20. Tom. 3.

Si-

Situs rei.

De foro competente ratione situs rei, 5. 1. 76. Tom. 2.
An quis vi privilegii possit actionem in rem in loco rei sitæ motam trahere ad forum suum privilegiatum, 5. 1. 76. Tom. 2.
Actio in rem vilam extra locum situs rei moveri potest in loco domicilii possessoris, si de mobilibus, non si de immobilibus agatur, & quid juris in petitione hæreditatis, 5. 1. 77. Tom. 2.

Socer, socrus.

An socer aut socrus possit in jus vocari sine venia, 2. 4. 8. Tom. 1.

Societas conjugalis.

Vide *communio bonorum inter conjuges.*

Socius, societas; actio pro socio.

An socius unus recte compromittat de re communi, 4. 8. 4. Tom. 1.
Socius invito socio nihil novi facere potest in re communi. Quid juris, si fecerit, aut fieri passus sit, 10. 3. 7. Tom. 2.
Pendente judicio communi dividundo socius non potest suam partem invitis cæteris alienare: nunquam ultra suam partem, licet major sociorum pars consentiat in rei totius alienationem, nisi res communes commerciales sint, 10. 3. 7. Tom. 2.
Quid juris sit, si dissensus sociorum sit, utrum res communes, vel cui locandæ sint. Et quid, si sociorum unus tantam mercedem offerat, quantam extranei, 10. 3. 8. Tom. 2.
Quid sit societas, quo modo, & a quibus iniri possit, 17. 2. 1. Tom. 3.
Quo modo societas tacite ineatur; quæ veniant in tacitam societatem, tacita universorum bonorum societas coiri nequit, 17. 2. 2. Tom. 3.
Cum societate non confundenda communio, *ibid.*
Quid sit publica, quid privata societas, & in quibus differant, 17. 2. 3. Tom. 3.
Quæ veniant in universalem societatem, ubi de dote filiæ, sumptibus in studia filii, & an non dissoluta societate socius unus tantum præcipiat, quantum propter alterius filium filiamve erogatum. Si aliquando ad patrem dotantem dos data redeat, an alteri socio pro rata communicari debeat. Et quid juris, si unus sociorum ab uxore dotem acceperit vel dotem ex pacto lucratus sit, 17. 2. 4. Tom. 3.
An in universalem societatem veniant turpia lucra, & an moribus probata sit universalis societas, *ibid.*
Quæ veniant in societatem simpliciter initam, quæ in societatem certæ rei vel negotiationis, sive lucra sive damna. Quæ in societatem navigandi communi periculo, & de societate Indiæ Orientalis & Occidentalis, 17. 2. 5. Tom. 3.
Quæ res in societate ipso jure communes fiant, quæ communicandæ sunt. An communicatæ, si eas socius retulerit in rationes societatis, 17. 2. 6. Tom. 3.
Rei turpis & maleficiorum nulla societas est. Quid juris, si occasione honestæ societatis unus sociorum lucra turpia captaverit, & alteri socio scienti vel ignoranti communicaverit, ac postea ad restitutionem aut pœnam damnetur, 17. 2. 7. Tom. 3.
Quales lucri & damni partes ferant socii ex natura societatis, omnia pacta circa lucrum & damnum sustineri debent, quibus *leonina* societas evitata est: nominatim, ut unus ferat partem lucri, de damno non teneatur. Apparente tamen enormi læsione per pactionem aut arbitrium tertii, locus est remedio *l. 2. C. de rescind. vendit.*, 17. 2. 8. Tom. 3.
Actio pro socio plerumque datur finita societate, quandoque & ea durante, 17. 2. 9. Tom. 3.
Per actionem pro socio tantum petuntur præstationes personales, non rerum ipsarum communium divisio, 17. 2. 10. Tom. 3.
Ad præstationes personales pertinet rationum redditio. Hæc ab initio non potest pacto remitti. Quando & quibus temporibus peti possit, maxime, si onus omnia gerat, 17. 2. 11. Tom. 3.
Ad præstationes personales pertinet etiam lucri & damni communicatio, cautio de lucro & damno futuro communicando, 17. 2. 12. Tom. 3.
An socius teneatur, si acquirendi conditione usus non sit. An lucrum cum damno pensandum, si in quibusdam diligentia maxima profuerit, in aliis negligentia summa nocuerit, *ibid.*
Præstet culpam levissimam, si in suis diligentissimus sit; vel præter operam insuper artificium promiserit; ad explicationem *l. 52. §. 2. ff. pro socio*, *ibid.*
Impensæ ab uno sociorum factæ restituendæ ei sunt: ubi & de privilegio retinendi rem communem jure domini pro impensis ab uno socio factis, 17. 2. 13. Tom. 3.
An singuli socii in solidum an tantum pro parte conveniri possint ex contractibus nomine societatis celebratis, & quid moribus, *ibid.*
An socii ære alieno nomine societatis contracto obligentur, si pecunia, societati credita, in arcam communem versa non sit, 17. 2. 14. Tom. 3.
An socius derelinquendo suam partem societatis liberari possit ab onere æris alieni, ad quod nomine societatis devinctus est, 17. 2. 15. Tom. 3.
Petitur etiam actione pro socio, ut socius reliquis restituat, quod supra suam partem nomine societatis acceperit, 17. 2. 16. Tom. 3.
An socius unus a debitoribus societatis solidum petere possit: vel hi tuto uni socio solidum solvere, *ibid.*
An socius moram faciens in restituenda pecunia societatis, aut lucris societati communicandis, vel nummos tales in suos usus convertens, ad usuras condemnandus, sit, ad explicationem *l. 60. ff. pro socio*, 17. 2. 17. Tom. 3.
Agitur etiam hac actione ad id, ut liceat uti re secundum primam sociorum intentionem: & ne quid novi fiat contra eam. Item ut præstentur, quæ singularibus pactis placuerint; qua occasione explicatur *l. 69. ff. pro socio*, 17. 2. 18. Tom. 3.
An socius, qui præcipue, vel solus, negotia societatis gessit, salarium pacisci, aut viri boni arbitrio consequi possit, 17. 2. 19. Tom. 3.
Socii inter se gaudent beneficio competentiæ, tam particulares quam universales. Quando illud cesset, & quid moribus, 17. 2. 20. Tom. 3.
Singulare est, quod unus ex pluribus sociis suam partem integram adeptus a socio, debitore societatis, communicare id reliquis teneatur, si illi solidum consequi ab eo nequeant: quodque, si unus sociorum impendia per alterum facta restituere nequeat, id reliquos pro rata gravet, 17. 2. 21. Tom. 3.
Si socius unus, qui nomine societatis plus quam suam partem consecutus est, foro cesserit, reliqui socii in rebus & creditis societatis potiores sunt aliis socii foro cedentis creditoribus, 17. 2. 22. Tom. 3.
De interitu societatis per mortem socii. Quo usque hac in parte societas vectigalium differat a societate privata. An testator socius hæredem suum damnare possit testamento, ut in societate perseveret, 17. 2. 23. Tom. 3.
Hæres socii, si non sit adscitus, an & quo usque emolumenti successor sit, & quid distat hic publica societas vectigalium a privata, 17. 2. 23. Tom. 3.
Qualem culpam præstet hæres socii in perficiendis a defuncto inchoatis. Et quid juris, si socius unus quædam gesserit, ignorans mortem socii, 17. 2. 23. Tom. 3.
Nemo potest, invitis sociis cæteris, alium suo loco substituere: renunciare tamen potest societati expresse vel tacite. Quid juris, si callide vel intempestive renunciaverit, & an renunciari possit societati vectigalium, 17. 2. 24. Tom. 3.
Quo modo renunciatio fieri possit, an & procurator. An & procuratori socii. An & quo modo absenti socio. An sufficiat renunciationem privatim fieri, an vero publice facienda, 17. 2. 25. Tom. 3.
Finitur & societas finito negotio, publicatione bonorum ac cessione. Quid juris si servus socius alienetur, vel socius ex patrefam. fiat filiusfam. aut vice versa, 17. 2. 26. Tom. 3.
Finita societate, pro qua parte res redeant ad socios, maxime, si unus operam, alter pecuniam contulerit, 17. 2. 27. Tom. 3.
An cum actione pro socio concurrere possit actio furti contra socium? & an una intentata alteram perimat, 17. 2. 28. Tom. 3.

Solemnitas.

Adhibenda sunt solemnia loci, in quo actus geritur, idque magis ex comitate quam rigore juris, 1. 4. *part.* 3. *n.* 10. & 15. Tom. 1.
Quid juris, si quis dolo malo se alio conferat extra locum domicilii, ut actum aliquam minore gerat solemnitate, 1. 4. *part.* 2. *n.* 14. Tom. 1.
Quid, si lex municipalis expresse infirmos declaret actus peregrina solemnitate gestos, 1. 4. *part.* 2. *n.* 14. Tom. 1.
Quid juris, si quis extra domicilii aut rerum sitarum locum alibi actum gesserit, neglecta solemnitate loci, in quo actus geritur, & adhibita ea, quam lex domicilii aut rei sitæ requirit, 1. 4. *part.* 2. *n.* 15. Tom. 1.

So-

Solutio.

An debitor ei, qui jam alteri cessit actionem, recte solvat, 18. 4. 15. Tom. 3.
An debitores societatis uni ex sociis recte solidum solvant, 17. 2. 16. Tom. 3.
Qui possint solvere. Ubi de criminum reis, procuratoribus, aliis quibusvis solventibus pro debitore sciente, ignorante, invito. Quando alius pro alio solvere nequeat. An pupilli & minores recte solvant sine tutore. An uxor sine mariti consensu. An accipiens de solutione facta, & non probans, condemnandus sit, 46. 3. 1. Tom. 6.
Quibus solvi possit. An reo criminis. An adjecto solutioni. Et quid, si adjectus statum mutaverit. An heredi adjecti, 46. 3. 2. Tom. 6.
An & quando procuratori. An ei, qui tantum ad litem, vel tantum ad rem vendendam constitutus est. Vel cujus mandatum jam revocatum. An falso procuratori. An apparitori in jus vocanti, aut executionem sententiæ facienti, 46. 3. 3. Tom. 6.
An & quando servis. Et quid, si manumissi sint. An nostratibus famulis, aut ancillis, quod domino debitum, 46. 3. 4. Tom. 6.
Quo modo solvere debeant debitores pupillorum. An recte, deficientibus tutoribus, patri pupillorum. An uxori sine mariti auctoritate. An cedenti post actionem cessam. An uni ex sociis solidum. An heredi fiduciario, dum pendet conditio fideicommissi. An & quando hereditatis possessori facta liberet solventem. De stipendiis ministrantium societati Indicæ, heredi non vero soluti, 46. 3. 5. Tom. 6.
Quid agendum, si plures sint, qui singuli dicunt, sibi solidum deberi, vel se ex asse creditoris heredes esse, 46. 3. 6. Tom. 6.
An debitor creditoris sui creditori recte solvat sine voluntate ejus. An secundus conductor primo locatori mercedem. An possessor chirographi, habentis *thoonder daer*, ubi mera ex eo possit fiduciariam solutionem aut absolutam, si non doceat, quo jure chirographum teneat. An liberatur, qui coactus hostibus regionem invadentibus solvit, quod fisco vel privatis debet, 46. 3. 7. Tom. 6.
Cujus loci mensura in solutione mobilium & immobilium spectanda sit. Quid, si duo loca solutioni rerum admensurandarum alternative sint addita. Quando apud nos merces necessario appensione vel admensione tradi debeant, ut tributum eo nomine præstetur. Quando facienda appensio, & cujus sumptu, 46. 3. 8. Tom. 6.
In qua moneta debitum pecuniarium solvi debeat. Re in genere debita, quæ species, & cujus electione solvenda sit. An debitor generis, vel rei fungibilis liberetur pessimum dando, ex jure civili & moribus. An rem in genere debens, vel duas res alternative, solvere possit illam speciem, quæ tempore obligationis contractæ in bonis creditoris erat, sed esse desiit, 46. 3. 9. Tom. 6.
Aliud pro alio invito creditori solvi nequit. Recensentur casus excepti, 46. 3. 10. Tom. 6.
An creditor possit partem debiti petere. An debitor creditori volenti partem solvere. An, & quibus casibus eidem invito. De hereditarii debiti solutione, 46. 3. 11. Tom. 6.
Quo in loco solvendum. An debitor rem debitam deferre debeat ad domum creditoris. Quo tempore solvendum ex obligatione pura, in diem, & conditionali. An ante diem invito creditori. Quando solvendum, quod promissum *hoc anno, hoc mense, calendis Januariis, post aliquot dies* vel *annos*, vel *quando debitor voluerit*, 46. 3. 12. Tom. 6.
Quis sit effectus solutionis. Quid juris, si res soluta, vel in solutum data, evincatur creditori. Vel dolo debitoris pluris æstimata in solutum data sit. Sub pœna debens, an soluta pœna liberetur ab obligatione principali, & vice versa, 46. 3. 13. Tom. 6.
Quæ requirantur, ut ex trium annorum posteriorum solutione probata præsumatur, annorum præcedentium reditus solutos esse, 46. 3. 14. Tom. 6.
Quibus modis probetur solutio jure civili ac moribus. Et de apocha, 46. 3. 15. Tom. 6.
Si quis ex pluribus debens causis, aliquid solvat, quo modo & quando tunc ipse debitor vel creditor eligat, in quam causam solutum velit. Si neuter tempore solutionis id constituerit, in quam causam tunc lex definiat, solutum videri. Quid juris, si alicui solvatur, qui & suo & procuratorio nomine exactionem habeat, nec dictum sit, in quam causam solvatur, 46. 3. 16. Tom. 6.

Specificatio.

Cui cedat nova species facta ex sua vel aliena materia. Cui frumentum, vestis, navis, ex alienis spicis, lana, vel materia. An & mala fide novam faciens speciem ex alieno fiat dominus ejus; quibus actionibus teneatur, qui ex alieno speciem novam fecit, 41. 1. 24. Tom. 5.

Sponsalia.

Valent sponsalia, quæ puella inivit cum adolescente, ut per eum a naufragio aut vi latronum liberetur, 4. 2. 6. Tom. 1.
Quid sint. Quid sponsalium sponsio, in quo differat sperata, pacta, sponsa, 23. 1. 1. Tom. 4.
An contrahi inter absentes, *ibid.*
Qui possint contrahere. An & impuberes, 23. 1. 2. Tom. 4.
An prodigus, 23. 1. 3. Tom. 4.
De sponsalibus metu, dolo, errore per ebrietatem contractis; & de consensu postea libere repetito, 23. 1. 4. Tom. 4.
An requiratur patris aut tutorum consensus. Et an pater vel tutor possit sponsalia dirimere, 23. 1. 5. Tom. 4.
An, & quando sub conditione contracta, pura fiant per subsequentem concubitum, 23. 1. 6. Tom. 4.
An duret obligatio sponsalium initorum sub conditione *si pater consenserit*, si is initio dissentiat, sed postea consentiat, 23. 1. 7. Tom. 4.
De sponsalibus initis sub conditione impossibili natura, vel turpi. An sub turpi inite demum obligent impleta turpitudine, an & si turpitudinem implere puella recuset, 23. 1. 8. Tom. 4.
An exspectandum implementum conditionis, si illa non impossibilis nec turpis, sed difficilis sit, 23. 1. 9. Tom. 4.
De sponsalibus ex die certo vel incerto suspensis, & quando inde ad nuptias agi possit, 23. 1. 10. Tom. 4.
Si statutum requirat scripturam ad sponsalia, & ea desit, an sufficiat confessio? An jurisjurandi delatio admitti possit. An probatio per quinque testes. Qui agant de probatione sponsalium, 23. 1. 11. Tom. 4.
De obligatione ex sponsalibus ad nuptias: de *vetere actione ex sponsu*: dilatione matrimonii ultra biennium, resolutione sub dispendio arrharum, 23. 1. 12. Tom. 4.
An sponsalia firmari stipulatione pœnali, *ibid.*
Quibus modis nunc refractarius ex sponsalibus ad nuptias cogi possit. An & tunc, cum matrimonium cum alia jam contraxit, *ibid.*
Quæ fuerint jure civili justæ causæ recedendi a sponsalibus, altero invito. Quid, si præcesserit aut supervenerit fornicatio sponsi vel sponsæ, 23. 1. 13. Tom. 4.
Quid, si sponsus ipse stupratorem subornaverit, vel sponsæ sponsa peccandi occasionem dolo subministraverit. Quid, si sponsa ante vel post sponsalia vim passa est ignaro sponso, 23. 1. 14. Tom. 4.
Quænam aliæ moribus hodiernis sint justæ causæ recedendi a sponsalibus. Difficilius judices procedere debent ad sponsalium dissolutionem, 23. 1. 15. Tom. 4.
An filius majorennis, qui apud nos potest clam parentibus sponsalia contrahere, dirimere possit sic contracta, invita sponsa, sub prætextu dissensus parentum, 23. 1. 16. Tom. 4.
An minores adversus sponsalia restitui possint, 23. 1. 17. Tom. 4.
An, & quando sponsalia utriusque consensu dissolvi possint? An magistratus tali dissolutioni assensum accommodare debeat. Festinandæ nuptiæ post sponsalia, si nullus contradictor existat, 23. 1. 18. Tom. 4.
Sponsalibus diremptis, an & quando restitui debeant arrha ac sponsalitia largitas, 23. 1. 19. Tom. 4.
De pœna eorum, qui bina sponsalia eodem tempore contracta habent. Quæ potiora sint, ubi alia legitima sunt, alia clandestina concubitu firmata. Quid, si priora & posteriora sint legitima. Quid, si priora conditionalia & posteriora pura. Quid, si priora verbis futuri temporis, posteriora verbis præsentis temporis, & concubitu firmata, 23. 1. 20. Tom. 4.
Si duobus sponsalibus contractis, sponsa, quæ jure potiore nitebatur, mortua sit aut sponte destitat, an altera tunc sponsum ad nuptias cogere possit, 23. 1. 21. Tom. 4.
Quibus in casibus sponsus, & sponsa pro marito & uxore habeantur, quibus non, 23. 1. 22. Tom. 4.
De donatione inter sponsum & sponsam, 24. 1. 15. Tom. 4.

Sponsio.

Quæ olim apud Romanos, quæ seculis superioribus in Hollandia fuerint sponsiones in lite, 3. 6. 8. Tom. 1.
Reliqua vide ad vocabulum, *aleator.*

Sportula.

De sportulis judicum & assessorum, 5. 1. 65. Tom. 2.

Stabularius.

Vide *nauta.*

Statua.

Statuis legatis, quæ debeantur, quæ non. Quid debeatur, a
sta-

statuis marmoreis duabus legatis, & *præterea omni marmore*, si adhuc aliæ statuæ marmoreæ sint. Si testator jusserit, statuas poni in loco publico, nec adjecerit, ex qua materia, quales ponendæ sint, 34. 2. 10. Tom. 5.

Statu liber.

De statu liberis, 40. 7. 1. Tom. 5.

Status quæstio.

Quando status controversia, impuberi mota, usque ad pubertatem differatur, quando non, 57. m. 1. & *seqq.* Tom. 5.
Ne de statu defunctorum post quinquennium quæratur, 40. 15. 1. Tom. 5.

Statuta.

Quo modo facienda sit interpretatio statutorum, & quæ regulæ sint observandæ, 1. 3. 24. Tom. 1.
Quid vulgo veniat appellatione statutorum, 1. 4. *part.* 2. *n.* 1. Tom. 1.
Statuta recte dividuntur in personalia, realia & mixta, 1. 4. *part.* 2. *n.* 2. Tom. 1.
Quid sint statuta personalia, & quæ eorum exempla, 1. 4. *part.* 2. *n.* 2. Tom. 1.
Quid sint statuta realia, & quæ eorum exempla, 1. 4. *part.* 2. *n.* 3. Tom. 1.
Quid sint statuta mixta, 1. 4. *part.* 2. *n.* 4. Tom. 1.
Summo jure nec personalia nec realia nec mixta statuta operantur extra territorium statuentis, 1. 4. *part.* 2. *n.* 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. Tom. 1.
Ex comitate tamen realia nunc vulgo egrediuntur territorium statuentis quantum ad mobilia, non item quantum ad immobilia, 1. 4. *part.* 2. *n.* 12. Tom. 1.
Item mixta; sic ut sufficiat, adhibere solemnia loci illius, in quo actus geritur, 1. 4. *part.* 2. *n.* 13. Tom. 1.
Quid juris, si quis alio se conferat, ut actum minore gerat solemnitate, neglectis solemnibus statuto domicilii præscriptis, 1. 4. *part.* 2. *n.* 14. Tom. 1.
Quid juris, si statutum expresse infirmos declaret actus peregrina solemnitate gestos, 1. 4. *part.* 2. *n.* 14. Tom. 1.
Quid juris, si quis extra domicilii aut rerum sitarum locum gesserit actum, neglectis solemnitatibus statuti loci, in quo actus geritur, & adhibitis illis, quas statutum domicilii aut rei sitæ requirit, 1. 4. *part.* 2. *n.* 15. Tom. 1.
De statutis personalibus non ita per generales regulas definiri potest, quo usque magistratus alterius magistratus statuta ac decreta ex comitate servet, 1. 4. *part.* 2. *n.* 16. Tom. 1.
Exempla, in quibus vicinæ gentes mutua comitate & ex conventione de summo jure suo remittunt, & vicini populi statuta ac decreta probant, 1. 4. *part.* 2. *n.* 17. Tom. 1.
Per pacta privatorum recedi non potest a statutis jus publicum aut publicam honestatem concernentibus, nec a statutis prohibitoriis: a cæteris potest, 1. 4. *part.* 2. *n.* 18. Tom. 1.
Hoc etiam fieri potest per pacta tacita, 1. 4. *part.* 2. *n.* 19. Tom. 1.
In dubio præsumendum, unumquemque in contrahendo voluisse se accommodare statutis sui domicilii, ac eorum præscriptio probasse etiam quantum ad immobilia alibi sita, 1. 4. *part.* 2. *n.* 19. Tom. 1.
Tacita pacta ad derogandum statutis alterius territorii non habent locum, quoties statutum domicilii prohibitorium est, nec civibus permittit in contrarium pacisci, 1. 4. *part.* 2. *n.* 20. Tom. 1.
Uti nec, si nihil omnino gestum, actum aut contractum sit: adeoque nec in eo, qui moritur intestatus, 1. 4. *part.* 2. *n.* 21. Tom. 1.
Cujus loci statuta in arrestis faciendis observari debeant, 2. 4. 27. Tom. 1.
Cujus loci statuta in arrestis sub cautione laxandis, 2. 8. 10. Tom. 1.
Cujus loci statuta spectanda in instrumentorum & rationum editione, 2. 13. 24. Tom. 1.
Cujus loci statuta sint observanda in deneganda aut concedenda in integrum restitutione, 4. 1. 29. Tom. 1.
Cujus loci statuta in judicanda per judicem sint observanda? & quid, si pendente lite vel appellatione lex per novam legem abrogetur, 5. 1. 54. Tom. 2.
Si de quantitate legitimæ statuta varient, cujus loci statutum spectandum sit, 5. 2. 47. Tom. 2.
Si alius sit valor nummorum constitutus in uno, quam in altero loco, cujus loci statutum circa valorem spectandum, 12. 1. 25. Tom. 3.
Cujus loci statuta spectanda sint in quæstione, an certam usurariam seu reditus, ex pacto repetere liceat, nec ne, 12. 1. 29. Tom. 3.
Cujus loci statuta inspicienda in quæstione, an quis habeat hypothecam legalem, aut ne, 20. 2. 34. Tom. 3.
Cujus loci, si quæratur de jure prælationis inter creditores, 20. 4. 38. Tom. 3.
Cujus loci, in quæstione, an fidejussor pro evictione dandus sit, 21. 2. 4. Tom. 3.
Cujus loci, in quæstione, an usuræ legitimum excedant modum. Et quid, si debitum sit munitum hypotheca immobilium alibi sitorum, 22. 1. 6. Tom. 3.
Quid, si statuta locorum varient circa quantitatem usurarum ex mora præstandarum, cum alibi debitor, alibi creditor domicilium foveret, 22. 1. 11. Tom. 3.
Cujus loci leges in quæstionibus cambii spectandæ sint, 22. 2. 10. Tom. 3.
Cujus loci statuta spectanda sint in quæstione, quo usque se extendat mariti potestas in uxorem & bona ejus, 23. 2. 60. Tom. 4.
Cujus loci statutum, in quæstione, an ex nuptiis inducatur inter conjuges bonorum communio, 23. 2. 85. & *seqq.* Tom. 4.
Cujus loci statutum, circa dispositionem *l. hac edictali C. de secund. nupt.* 23. 2. 136. Tom. 4.
Cujus loci leges circa solemnia pactorum dotalium, 23. 4. 4. Tom. 4.
Cujus loci leges circa pactitium aut statutarium lucrum dotis, 23. 4. 25. Tom. 4.
Cujus loci, in communione acquæstuum, & quæstione, quæ sub acquæstu contineantur, 23. 4. 19. Tom. 4.
Cujus loci statuta circa mutabilitatem pactorum dotalium, 23. 4. 69. Tom. 4.
Cujus loci statuta circa prohibitam aut permissam inter conjuges donationem, 24. 1. 19. Tom. 4.
Cujus loci statuta circa dotarium pactitium aut statutarium, 24. 3. 27. Tom. 4.
Cujus loci circa societatis continuationem soluto matrimonio, & dissolutionem, 24. 3. 34. Tom. 4.
Cujus loci circa solemnia inventarii, 24. 8. 11. Tom. 4.
Cujus loci, in quæstione æris alieni per hæredes solvendi, 29. 2. 31. Tom. 5.
Cujus loci circa aperturam & inspectionem testamenti, 29. 3. 1. Tom. 5.
Cujus loci in successione ab intestato, 38. 18. 34. Tom. 5.
Cujus loci in jure repræsentationis, 38. 18. 35. Tom. 5.
Cujus loci in successione feudali, ac & in quæstione, an de feudis vasallus testari possit, 38. D. 80. Tom. 5.
Cujus loci in jure primogenituræ, 38. D. 84. Tom. 5.
Cujus loci in executione sententiæ, 42. 1. 59. Tom. 6.
Cujus loci, si quæstio de parata executione ex pacto, 42. 1. 48. Tom. 6.
Cujus loci in præscriptione obligationum aut rerum immobilium, 44. 3. 12. Tom. 6.
Cujus loci in pœnis importandis, 48. 19. 11. Tom. 6.

Stellionatus.

Quid sit crimen stellionatus. Quæ pœna. Quibus modis committatur. An & si quis rem uni prius obligatam obliget alteri, dissimulata priore obligatione, vel rem ani venditam vendat alteri, 48. 20. 1. & *seqq.* Tom. 6.

Stillicidii & fluminis servitus.

Vide *servitutes urbana*.

Stipendia.

An stipendia professorum, concionatorum, advocatorum, militum, sociorum nauticorum arrestari possint, 2. 4. 52. Tom. 1.

Stipulatio.

De usu hodierno stipulationum, 45. 1. 1. Tom. 6.
Quid juris, si quis stipulanti promiserit ea causa, quam subesse falso putabat. An donationis causa stipulatio fieri possit, 45. 1. 2. Tom. 6.
Qui stipulari possint. An quis alteri stipulari possit. Quid juris, si *sibi aut Titio*, vel *sibi & Titio* stipulatus sit, jure civili ac moribus? & de usu *adjecti* in mercatura. Quid, si *sibi decem aut Titio hominem*; vel *sibi aut Titio diversis temporibus*: vel *sibi pure aut Titio sub conditione*? vel vice versa, 45. 1. 3. Tom. 6.
Qui possit ex stipulatu obligari. An impuberes auctore tutore, vel patre jure civili & moribus. An quis uni ex pluribus hæredibus in solidum stipulans, vel unum in solidum promittendo obligare possit, 45. 1. 4. Tom. 1.
An & quando obligetur jure civili ac hodierno, qui promisit,

sit, aliam daturum vel facturum. An promissor facti alieni liberetur mora ejus quem facturum promisit. An gaudeat beneficio ordinis, si is, quem daturum aut facturum promisit, jam ante debitor fuerit, 45. 1. 5. Tom. 6.
Quales res stipulari liceat. An & quo usque quis propriam stipulari possit. Quid, si quis stipulatus sit rem, quæ est extra commercium. Quid, si erratum sit in nomine rei, vel tota materia, parteve ejus. An semel, an magis annua centum debeantur stipulanti centum, donec matrimonium iniverit, 45. 1. 6. Tom. 6.
An, & quo usque diversitas responsionis in quantitate vel qualitate vitiat stipulationem etiam hodie, 45. 1. 7. Tom. 6.
Immobilia moribus tradenda coram lege loci, in quo sita. An tunc necessaria præsentia & acceptatio ejus, cui traditur. An absenti facta revocari possit per tradentem. De traditione feudorum & subfeudorum, ac quibus præsentibus fiat, 41. 1. 38. Tom. 5.
An immobilia tradi possint coram lege alterius loci, quam in quo sita. An in ipso judicii loco hæc traditio fieri debeat. An fieri possit coram judice situs, sed versante in alio territorio. An, absente judice, coram parocho & testibus. Ubi facienda solemnis traditio navium majorum, redituum annuorum, vitalitiorum, & similium, 41. 1. 39. Tom. 5.
An magistratus possit denegare auctoritatem traditioni, si nondum præcesserint trinundinæ proclamationes, aut ei non constet de causa traditionis. Et quid, si contractus simulatus sit, 41. 1. 40. Tom. 5.
Non opus traditione coram lege loci, si res transeant ex titulo hæreditatis, legati, dotis, legalis communionis, familiæ erciscundæ. An & Ecclesiæ vel nobiles debeant res tradere coram lege loci, 41. 1. 41. Tom. 5.
Si venditor immobilia tradat simpliciter, non coram lege loci, sibi nocet, at non suis creditoribus aut aliis: nec emptorem turbare potest in possessione, 41. 1. 42. Tom. 5.

Transactio.

Quid sit transactio, an pactum an contractus. Fit pure vel sub conditione, in & extra judicium, 2. 15. 1. Tom. 1.
An probetur transactio, si instrumento scriptum sit, transactum esse, nec expressum, quid utrimque datum vel promissum vel retentum sit, *ibid.*
An recte transigant tutores, syndici, administratores civitatis, magistri collegiorum, & an decreto opus, si de immobilibus transigant tutores, 2. 15. 2. Tom. 2.
An transigere possit procurator, 2. 15. 3. Tom. 1.
An pater de bonis filii. & an sine decreto, 2. 15. 4. Tom. 1.
An hodie maritus de bonis uxoris, 1. 15. 5. Tom. 1.
An unus ex litis consortibus, invitis reliquis, pendente lite, 2. 15. 6. Tom. 1.
An & quo usque vasallus de feudo, 2. 15. 7. Tom. 1.
An fiduciarius de rebus sub conditione restituendis, in præjudicium fructuarii, 2. 15. 8. Tom. 1.
Quid juris, si fiduciarius cum fideicommissario transigat de dubio fideicommisso, & an hæredes transigentium transactioni isti stare debeant, 2. 15. 9. Tom. 1.
Transigitur de rebus dubiis: etiam de status quæstionibus, libertate, ingenuitate, jura familiæ, 2. 15. 10. Tom. 1.

An

An post rem judicatam, vel pendente lite de in integrum restitutione transigi possit, & quid moribus, 2. 15. 11. Tom. 1.
An de relictis ultima voluntate, non inspectis testamenti tabulis, 2. 15. 12. Tom. 1.
An inspectioni huic renunciari possit. Quid, si aliunde certi sint transigentes de defuncti voluntate; quid, si nuncupativum sit testamentum. An gratis pacisci liceat ante inspectionem, 2. 15. 13. Tom. 1.
An de alimentis præteritis vel futuris ex contractu vel testamento debitis. An gratis de iis paocisci liceat, & quid moribus. Quid sub alimentis in transactione contineatur, 2. 15. 14. Tom. 1.
An de matrimonialibus causis ac sponsalibus valeat transactio, 2. 15. 15. Tom. 1.
An & quatenus de futuris vel præteritis delictis transactio licita fuerit, 2. 15. 16. Tom. 1.
De publicis criminibus non capitalibus transigere non licuit, excepto crimine falsi, 2. 15. 17. Tom. 1.
De capitalibus pœnam sanguinis irrogantibus transigere licuit, excepto adulterio. An in adulterio olim quilibet accusare potuerint, & an ante Constantini tempora crimen adulterii fuerit capitale. An gratis liceat de eo crimine pacisci, 2. 15. 18. Tom. 1.
Transactio de crimine capitali non reo tantum, sed & accusatori, licita est, & utrique tam ante quam post litem contestatam, 2. 15. 19. Tom. 1.
Moribus privati de quibusvis criminibus recte transigunt, sed non impediunt publicam accusationem. De quibus criminibus officii nomine accusantes nunc apud nos transigere possint, & an reus cum his aut cum privatis transigens infamis sit, vel pro confesso & convicto habendus, 2. 15. 20. Tom. 1.
Quis sit effectus transactionis, strictam recipit interpretationem, nec egreditur rem de qua transactum, quod exemplis firmatur, 2. 15. 21. Tom. 1.
An renunciasse censeatur fideicommisso conditionali, si mutuo fideicommisso gravati hæreditatem dividant, & promittant, se adversus divisionem non venturos, & quid juris, si fideicommissum purum fuerit tempore divisionis, *ibid.*
Transactio non nocet aliis quam transigentibus, per unum cohæredem facta non obest cæteris. Inter testamentarium & legitimum hæredem facta super hæreditate, non obest legatariis nec creditoribus, quo minus illi ab altero solidum petant, prout probaverint testamentum valere aut infirmum esse. Recte tamen contra singulos agunt, si velint, pro ea parte, quæ singulis cessit ex transactione, 2. 15. 22. Tom. 1.
Transactio rescinditur ob instrumenta noviter reperta: nec, si doceatur, nullam subfuisse transigendi causam. Ob dolum tamen, aut manifestam calumniam, aut suppressa instrumenta, vel falsa adhibita, rescissio fieri potest, 2. 15. 23. Tom. 1.
An transactio rescindi possit ob enormem læsionem, 2. 15. 24. Tom. 1.

Translatio legati.

Vide *ademptio legati.*

Transmissio.

De transmissione hæreditatis ad hæredes, 29. 2. 11. Tom. 5.
De transmissione fideicommissi, 36. 1. 67. & 68. Tom. 5.

Transmissio reorum.

De transmissione reorum ex jure civili & hodierno, 48. 5. 1. Tom. 6.

Trebellianica.

Sponte adiens fiduciarius hæres deducit quartam Trebellianicam. Quo modo repetat, quod supra dodrantem errore facti restituit. An errorem probare debeat. An possit sine detractione totam hæreditatem restituere, si ita fraudentur creditores ejus, vel quarta non deducta cedat lucro conjugis, posita donationis inter conjuges prohibitione, 36. 1. 47. Tom. 5.
An pluribus restituere rogatus, & ab uno ad adeundum coactus, ex partibus reliquorum non cogentium Trebellianicam deducat, 36. 1. 42. Tom. 5.
An & quando hæc quarta non ex omnibus rebus, sed una, deduci possit. Quæ in Trebellianicam imputanda sint. An ea, quæ conditionis implendæ causa capit a cohærede, aut fideicommissario, aut legatario? Cur plura imputentur in Trebellianicam quam Falcidiam: Qui plura scripserit de hac imputatione, 36. 1. 48. Tom. 5.
An & quales fructus in hanc quartam imputentur, & quartam excedentes restituendi sint. Quibus formulis testator intelligatur etiam fructuum restitutionem injunxisse gravato, vel contra. An fructus ex judicio testatoris percepti, & quartam excedentes, cedant in supplementum eorum, quæ sine culpa fiduciarii ex hæreditate perierunt, 36. 1. 49. Tom. 5.
Quis probet perceptionem fructuum, si hi imputandi vel restituendi sint. Quid circa restitutionem obtineat in fructibus, pensionibus, usuris, anni postremi, quo restitutio facienda. Quid circa onera pensionum & usurarum, nomine hæreditatis debitarum, 36. 1. 50. Tom. 5.
Filiis fideicommisso gravatis fructus in quartam non imputantur, licet moribus duas quartas deducant. Quid, si id pater jusserit. Quid, si filius extraneo restituere debeat. Nepotibus imputantur, sive soli, sive cum patruis avo succedant, uti & parentibus. Nulli tamen imputantur fructus, qui ex ipsa quarta legitima aut Trebellianica percepti sunt, 36. 1. 51. Tom. 5.
An filius fideicommisso gravatus duas quartas deducat, legitimam & Trebellianicam, jure civili & moribus. Quo modo duplicis quartæ computatio fiat. An & nepotibus, parentibus, fratribus, hæc duplex quarta debeatur, 36. 1. 52. Tom. 5.
Nepotes fideicommisso gravati, si non debuerint avo ab intestato succedere, non deducunt duas quartas: Duplici quartæ deductionem liberi ad hæredes quoscunque transmittunt, nec censentur ei renunciasse, si jubeant testamento, ratam haberi voluntatem gravantis, 36. 1. 53. Tom. 5.
Rogatus restituere, quicquid ex hæreditate gravantis post mortem gravati superfuerit, dodrantem consumere potest, de sola quarta restituenda cavet, nisi cautio remissa sit. Si plus quam quarta, aut plus quam dodrans supersit, an de eo testari possit. Quid, si dodrantem donationibus sine causa factis absumpserit. Cui incumbat onus probandi animum fraudandi fideicommissum, 36. 1. 54. Tom. 5.
Quibus de causis talis fiduciarius ultimam quartam alienare possit. An &, ut dotem constituat, jure civili & hodierno, 36. 1. 55. Tom. 5.
Si conjuges se invicem instituant cum alienandi facultate, sed ea lege, ut apud ultimo superstitem residua in duas partes inter utriusque cognatos dividantur, an tunc quarta ultima absumi possit, & cautio ac repertorium remissum exigi. Et quid, si ultimus superstes admodum auxerit patrimonium, 36. 1. 56. Tom. 5.
An cessat Trebellianicæ detractio, si testator eam prohibuerit in liberis aut extraneis: aut fideicommisso piæ causæ relicto. An in fiduciario adire compulso, vel per militare testamentum gravato. An in fideicommissario iterum gravato? & quid, si fiduciarium coegerit adire. An in fideicommisso per actum inter vivos inducto, 36. 1. 57. Tom. 5.
An cesset, si restituere quis jussus sit, præceptis certis rebus, minus quam quartam continentibus. An ex eo, quod testator prohibuit, hæreditatem alienari extra familiam? An, si fiduciarius non confecerit repertorium, 36. 1. 58. Tom. 5.
An ob non confectum repertorium filius fideicommisso gravatus, & duplicis quartæ detractionem habens, amittat legitimam, 36. 1. 59. Tom. 5.

Trebellianica quarta.

Liberi fideicommisso gravati, ex jure canonico & moribus duas deducunt quartas, legitimam & Trebellianicam. Quo modo illæ computentur, 5. 2. 14. Tom. 2.
An & nepotes duas quartas deducant, 5. 2. 15. Tom. 2.
An & parentes aut fratres, 5. 2. 16. Tom. 2.

Tributoria actio.

Quando locus sit actioni tributoriæ, & an ea agere possit, qui jam egit institoria, 14. 4. 1. Tom. 3.
Quorum scientia & patientia adesse debeat, ut tributoriæ actioni locus sit, 14. 4. 2. Tom. 3.
Quid veniat appellatione *mercis peculiaris*, & in quibus hæc actio distet ab actione de peculio, ac peculium a merce peculiari, 14. 4. 5. Tom. 3.
Quibus detur hæc actio, contra quos, & ad quid agatur. Non est hic potior domini aut patris, quam reliquorum causa: nec eorum, qui prius egerunt. Potiores tamen sunt, qui privilegium aut hypothecam habent, vel rem vendiderunt ac tradiderunt, non habita fide de pretio, 14. 4. 4. Tom. 3.
Quid juris, si iniqua inter creditores distributio facta sit dolo vel errore? & quibus modis dolus per distribuentem fiat, 14. 4. 5. Tom. 3.
Si servus separatas tabernas aut negotiationes habeat, ad singulas separatim creditores in tributum vocantur, 14. 4. 6. Tom. 3.

An idem nunc in nostris mercatoribus diversas diversis in locis tabernas habentibus obtineat, 14. 4. 6. *& seqq.* Tom. 3.

Tributum.

Vide *Vectigal.*

Tutela, Tutores.

Quid sit tutela & cura. Quid actor vel adjutor tutelæ. Et cur actor constituatur, 26. 1. 1. Tom. 4.

Et munus virile, publicum, personale, gratuitum, 26. 1. 2. Tom. 4.

Qui possint esse tutores. An & filiifamilias jure civili ac moribus, 26. 1. 3. Tom. 4.

Recensentur plures, qui non possunt esse tutores. Si minor se majorem simulaverit, & tutelam susceperit, an juvari possit per restitutionem, 26. 1. 4. Tom. 4.

An, qui per veniam ætatis aut per nuptias pro majorenne habetur, invitus cogi vel volens admitti possit ad tutelam gerendam, 26. 1. 5. Tom. 4.

Judæi an Judæorum. An Pontificii pupillis reformatæ religionis. An vectigalium conductores, 26. 1. 6. Tom. 4.

Datur tutor personis. An certæ rei vel causæ jure civili & moribus? An illegitime natis? An impuberibus furiosis, 26. 1. 7. Tom. 4.

De variis tutelarum speciebus; de tutela sexus ex veteri jure civili & moribus, 26. 1. 8. Tom. 4.

Qui testamento tutorem dare possit? An & pater minorennis, 26. 2. 1. Tom. 4.

Filiis datus tutor, an & posthumis, aut iis quos se habere ignorabat, aut nepotibus datus videatur, 26. 2. 2. Tom. 4.

Si pater det tutorem *Titio vel Mævio filio*, *utri tutor esse voluerit*, vel *Titium aut Mævium*, quid juris? *ibid.*

An exhæredato tutor a patre detur, 26. 2. 3. Tom. 4.

An tutor recte detur sub conditione? An & sub hac, si voluerit, 26. 2. 4. Tom. 4.

An noverca possit per testamentum mariti sui dari tutrix privignis suis, *ibid.*

An extraneus hodie testamento tutorem dare possit respectu bonorum, quæ reliquit: & an hodie testamentarii etiam a magistratu confirmandi sint, 26. 2. 5. Tom. 4.

Quando opus sit confirmatione tutoris ex jure civili, & an confirmatus dativus potius quam testamentarius sit, 26. 3. 1. Tom. 4.

Quinam confirmentur sine inquisitione & satisdatione? quinam cum inquisitione? quinam cum inquisitione & satisdatione; ac in quæ inquirendum, 26. 3. 2. *& seqq.* Tom. 4.

Quibus & quando deferatur tutela legitima, 26. 4. 1. Tom. 4.

Quando, & quibus præstitis mater & avia ad tutelam admittantur? An testamento pater id impedire possit? An invitæ cogantur suscipere? Quæ potior, si sit avia & mater minorennis, 26. 4. 2. Tom. 4.

An mater ob sponsalia vel nuptias secundas a tutela expellatur. Quid, si pater aliud testamento caverit? An recuperet tutelam, si iterum vidua fiat, 26. 4. 3. Tom. 4.

Quid juris hodie sit circa tutelam legitimam, 26. 4. 1. Tom. 4.

De legitima patronorum, parentum, & fiduciaria tutela, 26. 4. 5. & 6. Tom. 4.

Cujus jurisdictionis sit datio tutoris? Quales magistratus potuerint tutores dare? An & ordo decurionum, 26. 5. 1. Tom. 4.

An tutor dari possit pupillo non subjecto jurisdictioni dantis? Quis det, si pupillus uni origine, alteri domicilio subjectus sit? Et an sola habitatio sufficiat, ut ei tutor detur, 26. 5. 2. Tom. 4.

An dari tutor non subjectus jurisdictioni dantis, 26. 5. 3. Tom. 4.

An magistratus se ipsum, aut collegam possit tutorem dare, & collegam cogere, 26. 5. 4. Tom. 4.

An hodie magistratus ordinarii possint dare tutorem, si camera pupillaris testamento exclusa sit? An curia provincialis? An Senatus juridicus Universitatis Leydensis, 26. 5. 5. Tom. 4.

An tutor datus in loco domicilii, datus censeatur universo patrimonio, *ibid.*

Qui possint tutores petere pro pupillis? Qui petere teneantur? & quæ pœnæ, ac quando locum habeant contra non petentes? Et quid moribus, ac an & pro minoribus invitis nunc curator petatur, 26. 6. 1. *& seqq.* Tom. 4.

De administratione tutorum. Vide *administratio.*

De inventario per tutorem conficiendo. Vide *repertorium.*

De satisdatione tutorum. Vide *satisdatio tutorum.*

De auctoritate tutorum. Vide *auctoritas tutorum.*

Quando ex facto tutoris minor agere vel conveniri possit, 26. 9. 1. & 2. Tom. 4.

An tutor durante vel finita tutela conveniri possit ex facto pupilli nomine interposito? Et quid, si se pro pupillo obligaverit? An id præsumendum sit? Quid, si tutor dolum commiserit, vel nomine pupilli contraxerit, sciens, eum solvendo non esse, 26. 9. 3. Tom. 4.

An pupillus conveniri ex dolo tutoris, 26. 9. 4. Tom. 4.

An tutor magis suo, an pupilli nomine præsumatur contraxisse, 26. 9. 6. Tom. 4.

Quid sit tutor suspectus vel quasi suspectus, & ex quibus causis? An quia pauper? Quid, si suspectus sit dives, vel cautionem offerat, 26. 10. 1. & 2. Tom. 4.

An & legitimi possint suspecti postulari. An parentes, patroni? Quo modo legitimorum famæ consulatur, 26. 10. 3. Tom. 4.

Qui postulent suspectos? An prætor removere possit, nemine postulante, si suspecti appareant, 26. 10. 4. Tom. 4.

Postulatio fit durante tutela. Quid, si tutelæ administratio intervalla habeat, 26. 10. 5. Tom. 4.

Qui possint removere, & an remotio sit jurisdictionis ordinariæ, an legitimæ, 26. 10. 6. Tom. 4.

An suspectis postulatis interim adimatur administratio? An & quando remoti infames fiant? Quibus aliis pœnis coerceantur, 26. 10. 7. Tom. 4.

An & quo usque adhuc hodie obtineat suspecta postulatio, 26. 10. 8. Tom. 4.

De excusationibus tutorum, vide *excusatio.*

Ubi pupillus educari vel morari debeat, vide *educatio pupillorum.*

De alimentis pupillorum, vide *alimenta.*

Quibus modis tutela finiatur? An remotus ob dolum liber sit a futuræ administrationis periculo, 27. 3. 1. Tom. 4.

An actio tutelæ detur durante, an finita tutela, & quo respectu finita esse debeat? An durante tutela, pupillus tutorem convenire possit actionibus tutelæ vetustioribus? An actio ex delicto tutoris, durante tutela commisso, pereat pupillo per mortem tutoris intra pubertatem contingentem, 27. 3. 2. Tom. 4.

Potest tutor promittere, se quotannis rationes redditurum. Hodie quotannis reddendæ nisi aliud magistratui aut testatori videatur. Cui rationes durante tutela reddendæ, 27. 3. 3. Tom. 4.

Cui detur actio directa tutelæ? Ubi & de creditoribus pupilli obærati, & marito pupillo minorennis, 27. 3. 4. Tom. 4.

Contra quos detur? An & contra hæredes, & fiscum, si bona tutoris publicata sint? An contra tutoris defuncti aut remoti successorem in officio de rationibus prioris defuncti vel remoti? An contra patrem, si filiusfam. tutelam gesserit? An moribus etiam contra viduam tutoris? An contra vitricum a matre tutrice superinductum, 27. 3. 5. Tom. 4.

Si tutor matri aut avo pupilli permiserit administrationem, quis conveniatur, 27. 3. 6. Tom. 4.

An fides habenda tutori, asserenti, se quædam in rationes pupilli erogasse? Et quid, si hoc pater pupilli testamento præceperit, 27. 3. 7. Tom. 4.

De petitione reliquorum una cum usuris, etiam ex facto contutoris. An præstandæ usuræ usurarum multoties in sortem conversarum? Quid veniat appellatione reliquorum, 27. 3. 8. Tom. 4.

An in reliquis reddendis præcise sequi oporteat inventarium, vel declaratam testamento ejus qui tutorem dedit, patrimonii quantitatem, 27. 3. 9. Tom. 4.

An tutor cogi possit reliqua reddere ante probatas rationes? An reliqua peti possint parata executione? An peti fiduciaria reliquorum solutio, 27. 3. 10. Tom. 4.

An & quando tutor liberetur a redditione reliquorum, si pupilli, vel ipse pupillus pubes factus, liberationem a rationum redditione legaverit? Et qua formula uti debeat pupillus, si reliquorum restitutionem remittere tutori velit, 26. 3. 11. Tom. 4.

Tutor regulariter præstat culpam levem, quandoque levissimam; quandoque dolum & latam culpam, 27. 3. 12. Tom. 4.

Pater pupilli non potest tutori remittere dolum futurum: pupillus potest præteritum, 27. 3. 13. Tom. 4.

Recensentur plures doli & culpæ, per tutores præstandæ, species. An excusetur tutor, si qua male gesserit, sed ex consilio matris aut propinquorum pupilli? Et quid, si pater ipse id præceperit; vel nominatim prohibuerit, quædam fieri quæ pupillo utilia sunt, 27. 3. 14. Tom. 4.

An tutor teneatur, si pecunia pupilli, jure asservata, reprobetur ut ærosa? Aut si lucrosam sine inventario adierit hæreditatem, & casibus fortuitis illa desierit solvendo esse? An culpa aut dolus præsumi debeat, si tutor initio tutelæ inops, postea dives appareat? Et quid in publicis administratoribus nunc obtineat, 27. 3. 15. Tom. 4.

Triginta annis durat hæc actio. An & quando post rationes redditas ac probatas adhuc actione tutelæ agi possit? An peti repetita rationum redditio ob calculi errorem aliasque causas, 27. 3. 16. Tom. 4.

Quo in loco rationes reddendæ, 27. 3. 17. Tom. 4.

De actione de rationibus distrahendis contra tutores competen-

tente; & quales actiones cum ea concurrant? An tunc una alteram tollat, 27. 3. 19. Tom. 4.
De utili curationis causa actione; & an durante cura detur, 27. 3. 20. Tom. 4.
De contraria tutelæ actione, 27. 4. 1. & 2. Tom. 4.
Ad quid tendat? An & ad usuras impensarum? An & ad ea, quæ ante cœptam administrationem, vel post eam finitam a tutore erogata? Aut quæ a patre pupilli erant debita tutori, vel tutori debita, durante tutela desierunt præscriptione deberi, 27. 4. 3. Tom. 4.
An tutor impensas repetat, si illæ exitum felicem non habuerint? Vel in lite, in quam impensum, succubuerit? Quid, si id solverit, ad quod non ipse, sed alterius regionis tutor conveniri debuit, 27. 4. 4. Tom. 4.
Quid, si supra vires patrimonii pupillaris impenderit? Quid, si plus impenderit, quam debebat, vel in sua causa fuisset impensurus, 27. 4. 5. Tom. 4.
Si nomine pupilli indebitum solverit, an & hoc contrario possit judicio repetere, 27. 4. 6. Tom. 4.
An & damna suis rebus per pupillum illata? vel quæ passus est naufragio aut vi latronum, dum iter pro pupillo faciebat, 27. 4. 7. Tom. 4.
Tutor etiam jure compensationis impensas recuperare potest. An rejecta compensatione adhuc contrariæ actioni locus sit, 27. 4. 8. Tom. 4.
An & petere possit, sibi cedi actiones contra reliquos contutores? An & sine cessione agere possit: & cur magis, quam fidejussor, 27. 4. 9. Tom. 4.
Si tutor se aut sua pro pupillo obligaverit, recte petit, se aut res suas per pupillum liberari, quia ipso jure post finitam tutelam obligatus manet, & conveniri potest, 27. 4. 10. Tom. 4.
An hac actione tutor cogat pupillum, ut is tutelæ rationes recipiat, 27. 4. 11. Tom. 4.
De salario tutori constituendo. Quantum nunc tribuatur, & qui id petere nequeant, 27. 4. 12. Tom. 4.
De fidejussoribus tutorum, vide *fidejussores tutorum*.
De nominatoribus tutorum, vide *nominatores*.
De hæredibus tutorum, vide *hæredes*.
De magistratibus, qui tutores dederunt, conveniendis, vide *Magistratus*.
De incremento juris circa res minorum sine decreto non alienandas, & an res minorum auctione publica per tutores distrahi debeant, 27. 9. 1. Tom. 4.
An & decreto opus ad alienationes jurium pupilli, ut emphyteuseos, superficiei, salinarum, fodinarum, possessionis, ususfructus, realium servitutum, census, reditus, actionis, molendini natatilis, 27. 9. 2. Tom. 4.
Quid veniat hic nomine alienationis, ubi excutiuntur pleræque species, sub generali alienationis appellatione contentæ, 27. 9. 3. Tom. 4.
Quid nomine obligationis. An tutor prædium emens pro pupillo, illud pro pretio obligare possit sine decreto. An pignus legale in bonis pupilli sine decreto nascatur. Si pupillus pupillo, fundum ementi auctore tutore, pecuniam dederit ea lege, ut fundus pignori sit, an pignus tale valeat sine decreto, 27. 9. 4. Tom. 4.
Cujus loci magistratus decretum debeat interponere: & quid, si pupillo Italico, prædia provincialia habenti, tutor a præside datus sit ad res provinciales, 27. 9. 5. Tom. 4.
Justa causa subesse debet, ut decretum interponatur, & inquirendum in causam, nec sufficit, eam libello tutoris significari: & quæ potissimum inquirenda ac observanda sint, 27. 9. 6. & 7. Tom. 4.
An tantum ob æs alienum, an vero etiam ob utilitatem pupilli decretum interponi possit, 27. 9. 8. Tom. 4.
Nulla est alienatio sine decreto facta. Quid, si illud sit impetratum per sub vel obreptionem. Quid, si decretum, bona esse obliganda, & sint alienata: aut vice versa. Quid, si prætor decreverit alternatim *bona alienari vel obligari*. Quid, si decreverit alienationem, cum sciret, nullam subesse justam causam, 27. 9. 9. Tom. 4.
Si alienatio sine decreto facta sit, quo modo ob id tutor teneatur, remissio debiti inutilis sit: res alienata vindicetur cum fructibus: pretium per emptorem repetatur, quatenus in rem pupilli versum: & cui incumbat onus probandi, 27. 9. 10. Tom. 4.
In dubio emptor decreti interpositionem probare debet. Uti vitium decreti allegans, id docere tenetur, 27. 9. 11. Tom. 4.
Recensentur multi casus, quibus alienatio sine decreto valet, quia ex quadam necessitate fieri debuit, 27. 9. 12. Tom. 4.
Enarrantur casus, quibus voluntariæ alienationes & obligationes sine decreto subsistunt, 27. 9. 13. Tom. 4.
Quomodo per ratihabitionem expressam vel tacitam confirmetur alienatio facta sine decreto. An talis ratihabitio impediat *remedium l. n. C. de rescind. vend.* An confirmetur alienatio, si pupillus tutori vel alteri sine decreto alienandi hæres fiat, 27. 9. 14. Tom. 4.
In quibusdam locis requiritur ultra decretum consensus agnatorum, & alia. Quo modo his se opponant, si decretum sit interpositum, iis non auditis. Quid, si vocati venire aut consentire nolint, 27. 9. 15. Tom. 4.
An decreto opus, si is vendat, qui in loco domicilii per nuptias, veniam ætatis, aut aliter pro majore habetur, & res sita sit in loco, ex cujus jure adhuc minor est. An opus decreto, si vi statuti pro majore habeatur, sed addatur, ne immobilia sine consensu agnatorum alienet, 27. 9. 16. Tom. 4.
Qua solemnitate alienandæ res Ecclesiæ, fisci, civitatis, vici, pagi. An aliter, quam auctione publica, 27. 9. 17. Tom. 4.
An tutor arrestari possit pro debito pupillari, 2. 4. 37. Tom. 1.
Tutores & similes an recte transigant, & an decreto opus, si transigant de immobilibus, 2. 15. 2. Tom. 1.

V

Vacatio munerum & honorum.

Vide *immunitas*.

Vadimonium.

Quid sit vadimonium deserere, 2. 11. 1. Tom. 1.
Quid juris, si vadimonium deserant, qui non jure vocati sunt, puta minores, *ibid.*
Deserto vadimonio actor jure Romano non potuit petere definitivam sententiam, sed pœnam promissam vel id quod interest. Contra, ex novella Leonis. Cujus temporis interesse spectetur, & quid juris, si qui duos sistere promisit, unum tantum sistat, 2. 11. 2. Tom. 1.
Cesset actio ad pœnam vel id quod interest, si reus ante diem sistendi mortuus sit: etiam post diem sistendi in actione injuriarum, 2. 11. 3. Tom. 1.
Item si pupillus, cujus tutor caverat, mortuus fuerit, vel adoleverit, vel hæreditas cujus nomine conveniebatur abstentus sit, 2. 11. 4. Tom. 1.
Quid juris, si reus post diem sistendi se sistat cum nondum actoris jus deterius esset redditum, *ibid.*
Multis ex causis reus, licet die dicto se non sistat, excusari potest, 2. 11. 5. Tom. 1.
Vide ulterius ad verbum *contumacia*.

Valor monetæ.

Vide *moneta*.

Vasallus.

An Vasallus dominum directum possit sine venia in jus vocare, 2. 4. 11. Tom. 1.
Vasallus an possit transigere de feudo, 2. 15. 7. Tom. 1.

Vectigal.

An publicani sint etiam, qui a municipio vectigalia conduxerunt, 39. 4. 1. Tom. 5.
An jure civili aut hodierno publicanus, finita conductione invitus ad iteratam conductionem cogi possit. An finita conductione tantum offerens, quantum alii, his præferendus sit, 39. 4. 2. Tom. 5.
Qui ad vectigalium reconductionem admittendi sint, vel non. Ubi de his, quibus id per sententiam interdictum, de reliquatoribus, fisci vel reipublicæ debitoribus, tutoribus, filiisfamilias, minoribus, militibus, clericis, mulieribus, magistratibus, nobilibus, potentioribus, peregrinis, servis, 39. 4. 3. Tom. 5.
Qui amplius ex placitis Ordinum Hollandiæ vectigalia conducere nequeant. An illi, quorum uxores ex pactis antenuptialibus dotem salvam habere debent; quive non noie auctionem publicam mature a delegatis Ordinum impetrarunt, causa cognita, conducendi licentiam, 39. 4. 4. Tom. 5.
Conducere prohibiti an possint id facere per interpositam personam. An conductorum socii aut participes esse. An jure hæreditario succedere in conductionem. Quæ singularia sint in hæredibus publicanorum, 39. 4. 5. Tom. 5.
De modo & forma locandi vectigalia apud Romanos, & societatibus publicanorum, & magistris societatum. Quo modo apud nos, & quibus legibus fiant locationes. Quot socios conductor possit assumere. Quid, si plures eodem momento eandem pensionem offerant. An singuli publicani in solidum teneantur. An & laudatores ac approbatores publicanorum aut fidejussorum. An corporaliter puniendi, si non solvant pensionem. De coercendis turpibus collusionibus in conducendis vectigalibus. An & sublocationes fieri possint, 39. 4. 6. Tom. 5.

An publicani petere possint remissionem pensionis ob insolitam sterilitatem, & unde ea procedere possit. An & id quod interest ob non præstitas conditiones promissas. An augenda pensio ob insolitam ubertatem. Quid juris, si ante finem conductionis augeantur vectigalia, aut ipsum territorium. An liberentur publicani, si pensionem hosti invadenti solvere coacti sint, 39. 4. 7. Tom. 5.
Aliquando sine locatione fit vectigalium exactio. Quando id consultum sit. Aliquando pars quarta, dimidia, aut alia, elocatur, 39. 4. 8. Tom. 5.
Qui vectigalia imponant. An municipia, vel rectores provinciarum. De pœnis imponentium nova vectigalia sine Principis auctoritate, aut vetera augentium, 39. 4. 9. Tom. 5.
Soli Ordines in Hollandia imponunt aut permittunt vectigalia. An in his imponendis ratum, quod majori parti placuit. Quo modo semel unanimi consensu inductorum executionem pati debeant singulæ civitates, & per quos cogendæ. An una civitas Hollandiæ graviora possit imponere tributa frugibus aut mercibus ex alia Hollandiæ urbe advectis, quam quæ imponit natis aut factis in suo, 39. 4. 10. Tom. 5.
Quid sit vectigal in stricto sensu. Ubi & de *portorio*. Quanta portio pro importatione, pro transitu, aut nomine rerum venditarum solvenda fuerit. Quid denotetur per vectigal in latissimo sensu, 39. 4. 11. Tom. 5.
Medio sensu continetur sub vectigali tributum & vectigal in specie. Quid & quotuplex apud Romanos fuerit tributum. Sub vectigalibus tunc contenta *portoria*, *decumæ*, *scripturæ*, onera salinarum, picariarum, metallorum, vicesimæ variæ, quadragesima, quinquagesima, centesima, ducentesima, 39. 4. 12. Tom. 5.
Moribus nostris vectigalia publica vel personalia sunt, vel realia. Quæ personalia. Quæ realia. An quadragesima pretii immobilium, tricesima hæreditatum, magis reale an personale vectigal sit, 39. 4. 13. Tom. 5.
Recensentur placita Ordinum Hollandiæ de impositionibus, *op de Bieren*, *Wynen*, *Blee*, *Brandwynen*, *Azyn*, *Tabacq*, *inkomende Granen*, *Boter*, *Steur en Salm*, *Fruyten*, *'t Gemaal*, *Sout*, *Zeep*, *Turf*, *Koolen*, *Brandhout*, *Beestiael*, *Grove Waren: Wage*, *ronde Maten*, *Dienstboden*, *Paarden*, *Hoornbeesten*, *besayde Landen Warmoes Landen*, *klyn Zegel*, *Carossen*, *Calessen*, *reysende Luyden*, 39. 4. 14. Tom. 5.
De vicesima successionum & mortis causa donationum: de quadragesima alienatorum aut donatorum inter vivos: de millesima, quadringentesima, ducentesima, centesima patrimoniorum: de tributis, quæ dicuntur *Verpondingen*, *Huysgelden*; de variis impositionibus, quæ nunc abrogatæ, 39. 4. 15. Tom. 5.
De teloniis per Hollandiam exigendis, vulgo *tollen*, 39. 4. 16. Tom. 5.
Multæ impositiones Hollandicæ etiam in aliis regionibus inductæ, etiam in iis, quæ subsunt Ordinibus Generalibus. De tributo ab Ordinibus Generalibus imposito, quod dicitur *Licent en Convoyof Veylgelt*. Præfecti navium bellicarum sub sua tuitione recipere debent naves ad quemcumque Belgii fœderati portum tendentes, 39. 4. 17. Tom. 5.
Quæ sit optima vectigalium instituendorum ratio. Leges de vectigalibus strictam recipiunt interpretationem; consuetudo tamen optima hic interpres est, 39. 4. 18. Tom. 5.
Puniendæ concussiones publicanorum. Quo modo coerceantur jure civili & moribus, 39. 4. 19. Tom. 5.
De pœnis eorum, qui publicanis injuriam inferunt, ædes eorum aut bona diripiunt. De pœna commissi ob fraudatum vectigal. Quid si res quædam professæ, quædam non, vel unus ex pluribus unius rei dominis fraudaverit. An evanescat commissi pœna morte fraudatoris, 39. 4. 20. Tom. 5.
Quo modo apud nos puniantur fraudatores, quique ope juverunt, sive directo, sive artificiis variis fraudaverint per liberos, famulos, uxores &c. Quæ sint pœnæ fraudantium portoria, *Convoy en Licent Gelden*. Quæ fraudantium telonia, 39. 4. 21. Tom. 5.
Multa constituta ad fraudes impediendas; ubi ne ruri œnopola sit, aut vinum exoneretur: ne œnopolæ minutim vina vendant ut caupones: ne privati cerevisiam in urbe aut ruri coquant: ut liceat publicanis explorare caveas œnopolarum; ut molitores frumenti satisdent in casum fraudis: ne nocte vel locis insolitis merces exonerentur: ut liceat aperire cistas, sarcinas &c. ad fraudes detegendas: ut suspectis fraudis jusjurandum deferatur purgatorium, 39. 4. 22. Tom. 5.
Cui cedant commissa & reliquæ pecuniariæ pœnæ, jure civili ac moribus, 39. 4. 23. Tom. 5.
Cessat pœna commissi interitu rei, in qua fraudatum, lapsu quinquennii: & quid moribus. Quid, si professio rerum facta sit, sed vectigal non exactum a publicano. An inde nascatur jus immunitatis in futurum. An publicani possint amicis remittere vectigalia jure civili & hodierno, 39. 4. 24. Tom. 5.
Quid, si impubes, minor, miles fraudem fecerit. Quid, si majorennis, sed per errorem? Quid, si liberi, famuli, ignorante patre vel domino. Quid juris nunc in his omnibus. Quid, si quis dolo publicani circumventus fraudaverit. Et de doli talis coercitione. Quid, si per tempestatem aut aliam necessitatem merces loco non solito exonerentur. Quid, si super fraudatione transactum sit, & quibus præsentibus transigi debeat, 39. 4. 25. Tom. 5.
An pœnæ remissionem, aut partem pœnæ habeant, qui suas, & sociorum fraudes detegunt, 39. 4. 26. Tom. 5.
De immunitate a vectigalibus. V. *immunitas*.
De pœnis importantium aut exportantium merces vetitas, 39. 4. 31. Tom. 5.
Quales ultra videndi de vectigalibus, & quales potissimum consulendi causarum patroni, si de hisce litigandum sit, 39. 4. 32. Tom. 5.

Vellejanum senatusconsultum.

Ratio Vellejani introducendi. Quid eo cautum sit. Non ipso jure, sed ope exceptionis mulieres tutæ sunt, paucis casibus exceptis, 16. 1. 1. Tom. 3.
Quibus detur hæc exceptio. An & fidejussoribus mulieris, aut delegatis a muliere, cum mulieris debitores non essent. An & iis, qui ex mulieris mandato pro aliis fidejusserant, 16. 1. 2. Tom. 3.
Cui opponatur. Quid, si creditor sciverit mulierem intercedere. Quid, si ignoraverit, sed mulier in dolo sit, 16. 1. 3. Tom. 3.
Opponi potest etiam post sententiam: eaque opposita, reviviscunt cum sua qualitate, aut renascuntur actiones in pristinos debitores ac fidejussores, mediante in integrum restitutione ex generali clausula edicti prætorii, 16. 1. 4. Tom. 3.
Peti potest restitutio actionum, licet pendeat conditio vel dies intercessioni apposita, vel pristina actio acceptilatione sublata sit, vel mulieri creditor, aut mulier debitori veteri hæres extiterit, 16. 1. 5. Tom. 3.
An restituenda pristina actio, si mulier intercesserit pro obligatione inefficace; vel per aliud ordinarium remedium creditori consultum sit, 16. 1. 6. Tom. 3.
Quid juris, si mulier una cum masculo intercesserit, 16. 1. 7. Tom. 3.
Recensentur plurimi modi, quibus mulieres intercedunt. An & promissione indemnitatis. Non interest, pro quo intercedat, 16. 1. 8. Tom. 3.
An mulier huic senatusconsulto efficaciter renunciare possit in judicio & extra judicium, publico vel privato instrumento; & quid, si cum intercessisset interposita renunciatione, brevi post alio in negotio intercedat sine renunciatione. An & ex circumstantiis renunciatio colligi possit, 16. 1. 9. Tom. 3.
An eo ipso, quo renunciavit Vellejano etiam renunciasse censatur authenticæ, *si qua mulier*. An isti authenticæ renunciare possit, 16. 1. 10. Tom. 3.
Recensentur casus, quibus sine beneficiorum renunciatione uxor efficaciter pro marito intercedit, *ibid*.
Recensentur plurimi casus, quibus cessat Vellejani exceptio: inter quos de solutione sine prævia intercessione, de donatione, de dolosa vel post biennium repetita intercessione, de solutione debiti mulieri facta, de præmio accepto pro intercessione, de intercessione apud minorem, vel pro debito, ad quod & sine intercessione obligata erat: de muliere publica mercatrice, & ea, quæ dignitatem ac regalia habet, 16. 1. 11. Tom. 3.
Si mulier solverit ex intercessione, habet aliquando condictionem indebiti, habet & regressum contra eum, pro quo solvit, 16. 1. 12. Tom. 3.

Venatio.

Quo modo venatio in fructu sit, 7. 1. 23. Tom. 2.
Qui judicent de violatis venationis legibus, 5. 1. 127. Tom. 2.
An venatio vel aucupium locum habeat in animalibus mansuetis. An & quando in mansuefactis, aut feris, 41. 1. 3. Tom. 5.
An & in alieno loco liceat invito domino venari, aut aucupium facere, & cujus tunc sit fera capta. An venatio sit in fructu. An aper in meum incidens laqueum meus fiat, si laqueum in publico vel alieno loco posuerim, sciente vel ignorante domino, 41. 1. 4. Tom. 5.
An liceat venari vel piscari in alienis vivariis, sylvis circumseptis, piscinis, stagno vel lacu. An in mari, flumine. An, qui longo tempore solus in diverticulo maris piscatus fuit, in posterum alios prohibere possit. An prohibere possim, ne alius ante meum agrum in flumine vel mari piscetur. Et quid moribus, 41. 1. 5. Tom. 5.

An & quibus hodie liceat in flumine publico piscari. Qui nunc habeant jus venandi. Quæ in venando observanda, & a quibus abstinendum. Quæ observanda circa decipulas anatum, *Vogelkoijen*, columbaria, piscationem, præcipue halecum, prope littora nostra, aut in flumine vel aquis nostris mediterraneis, 41. 1. 6. Tom. 5.
Qui non habet jus venandi, feram occupando non facit suam. An evitet mulctas, si capiat in suo feram sibi nocentem. An animalia nostra mansuefacta nunc desinant nostra esse, si redeundi consuetudinem dereliquerint. An hodie mulctandus qui occupat feram, quam alius adhuc persequitur, 41. 1. 7. Tom. 5.

Venditio pignoris.

Quando creditor possit pignus vendere. Quando secundus creditor, cui pignus pignori datum est. An pignus obligatum pro debito, annua bima trima die solvendo, vendere liceat, si primæ pensionis intuitu mora facta sit. Prorogato termino solutionis debiti principalis etiam differenda venditio pignoris, 20. 5. 1. Tom. 3.
An pignoris venditio impediri possit ex eo, quod parum restet solvendum. An debitoris denunciatione, aut pœnæ comminatione, aut prohibitione testamento facta, ne res alienetur extra familiam. An intercessione per secundum hypothecarium facta. An decreto opus, si vendenda sit res, quæ pupillo vel a pupillo pignori obligata est, 20. 5. 2. Tom. 3.
An ipse debitor possit pignus emere, & quid, si emerit. An & quando creditor possit emere pignus jure Romano ac moribus, 20. 5. 3. Tom. 3.
Si plures res simul obligatæ sint, creditor eligit, quam vendere velit. An generalem & specialem habens hypothecam vendere possit res generaliter obligatas ante speciale pignus, 20. 5. 4. Tom. 3.
Quæ solemnia adhibenda fuerint in pignoris venditione, 20. 5. 5. Tom. 3.
An valeat venditio pignoris privatim facta, si id pacto actum sit, nec tamen postea debitor id pati velit vel aliorum creditorum intersit, ne id fiat, 20. 5. 6. Tom. 3.
An venditio & subsecuta addictio valeat, si solemnia quædam omissa sint, vel decretum a non competente judice sit interpositum, vel debitori nulla ante venditionem denunciatio facta sit. Et an tunc cum pretio usuræ sint emptori reddendæ, 20. 5. 7. Tom. 3.
Onid juris, si solemnia quidem observata sint, sed vel is vendiderit, qui non habebat vendendi jus, vel, cum id haberet, in vendendo fraudulenter versatus sit. Et quid, si apparitores dolo rem vilioris vendiderint. Quid moribus, 20. 5. 8. Tom. 3.
Si fidejussor pignus emerit, vel secundus ab antiquiore, potuit jure Romano debitor pignus, reddito pretio, ab emptore avocare; non item moribus Hollandiæ, 20. 5. 9. Tom. 3.
An venditioni pignoris possit apponi pactuoi, ut intra certum tempus redimere liceat. Quid moribus. An infirmanda venditio pignoris, ad obtinendam solutionem fiduciariam facta, si condemnatus deinde per definitivam absolvatur, *ibid.*
Si pignus solemniter extraneo venditum ac traditum sit, is dominium acquirit, & vindicare rem potest: nec a debitore vel cæteris creditoribus inquietari, nec ab ipso creditore vendente, licet is ex alia causa agere vellet. Si antiquior creditor privatim a debitore pignus emerit, per reliquos creditores ei pignus evinci potest, sed tunc ipsi primo reviviscit suum pignoris & prælationis jus. Quid juris, si simul primus & secundus creditor privatim pignus emerit, 20. 5. 10. Tom. 3.
Si posterior creditor pignus vendat, prior contra emptorem hypothecaria agere potuit, paucis casibus exceptis. Hodie agit contra eos, ad quos pretium pervenit, maxime, si tempore judicii concursus inter creditores conditio debiti adhuc penderit, & ob id debitum quidem indicatum, sed solutio obtenta non sit, 20. 5. 11. Tom. 3.
An pignora vendenda sint parata pecunia. An debitor liberetur, si creditor pretium ad emptore consequi nequeat. An pignus iterum periculo primi emptoris vendi. Quid moribus, si auctionarius pretium mobilium consequi nequeat. Quid, si auctionarius vel curator bonis datus fugerit cum pretio, 20. 5. 12. Tom. 3.
De jure dominii a Principe impetrando, si pignus emptorem non inveniat. An hoc moribus adhuc in usu sit, 20. 5. 15. Tom. 3.

Venditio rerum auctoritate judicis.

Creditores rei servandæ causa in possessionem missi petere possunt a judice decretum seu licentiam vendendi, 42. 5. 1. Tom. 6.
Quo modo, quo in loco, sit facienda venditio. Quale jus singulare hac in parte habeant Amstelodamenses, Zelandi. Et quid, si mobilia jussu Curiæ Holl. ruri sint pignori capta, 42. 5. 2. Tom. 6.
Alia de venditione rerum auctoritate judicis, vide supra ad verbum *Venditio pignoris.*
Quo modo impediri possit facto debitoris venditio jam decreta. An obtineri rescissio venditionis jam factæ. Quomodo impediatur venditio facto tertii, se dominum asserentis. Et quid, si se jus aliquod in re vendenda habere contendat, 42. 5. 3. Tom. 6.
De oppositione adversus decretam venditionem, vide *oppositio.*

Venditor.

Vide *emptio*, *emptor.*
Quando venditor possit vindicare rem a se venditam, vide *vindicatio.*

Venenarii.

De venenariis, venena temere vendentibus, fontes, flumina, pascua, veneno inficientibus. An in his conatus puniatur, ac effectus, 48. 8. 14. Tom. 6.

Venia ætatis.

An minor, qui veniam ætatis impetravit, sine curatore in jus vocari possit, 2. 4. 4. Tom. 1.
Qua ætate quis jure Romano ac moribus veniam ætatis impetrare possit? & quæ probanda sint, 4. 4. 3. Tom. 1.
Solus Princeps ætatis veniam dat. Quid moribus. An curiæ provinciales Hollandiæ & Ultrajecti. An civitates & municipia, 4. 4. 4. Tom. 1.
Qui veniam ætatis impetravit, adversus postea gesta non restituitur. An immobilia alienare possit jure Romano & hodierno, 4. 4. 5. Tom. 1.
An per veniam ætatis in loco domicilii pro majore habitus, in alio quocunque loco pro tali habendus sit ratione contractuum, alienationis immobilium, & similium, 4. 4. 8. Tom. 1.
Quid, si migret ad alium locum, qui veniam ætatis impetravit, 4. 4. 9. Tom. 1.
An, qui impetravit ætatis veniam, restitui possit adversus impetrationem, si sibi damnosam putet, 4. 4. 10. Tom. 1.
Si quid dandum vel faciendum sit ex contractu vel testamento, cum vel donec quis ad legitimam sive perfectam ætatem pervenerit, non videtur designata ea, quæ ex venia ætatis fluit, sed ætas 25. annorum, 4. 4. 11. Tom. 1.

Venter.

De ventre inspiciendo, custodiendoque partu, 25. 4. 1. & *seqq.* Tom. 4.
Si muliere ventris nomine in possessionem missa eadem possessio dolo malo ad alium translata esse dicatur, 25. 5. 1. Tom. 4.
Si mulier ventris nomine in possessione calumniæ causa esse dicetur, 25. 6. 1. Tom. 4.
De ventre in possessionem mittendo, & curatore ejus, 37. 9. 1. & 2. Tom. 5.

Verborum obligatio.

Vide *stipulatio.*

Versum in rem, & actio de in rem verso.

An actio detur contra patrem, si mutuum in rem patris filiofamilias creditum & versum sit. Quid, si creditum quidem, sed non versum: vel versum quidem, sed ab initio in rem patris creditum non sit, 14. 6. 5. & 15. 3. 3. Tom. 3.
Quæ sit ratio introductæ actionis de in rem verso, quibus detur, contra quos, & ad quid, 15. 3. 1. Tom. 3.
Non sufficit in rem patris acceptum esse, sed & versum esse debet. Nec datur actio ultra quam versum est. An necesse, ut & duret utilitas versi, 15. 3. 2. Tom. 3.
Quales impensæ hac actione repeti possint. An & quando voluptuariæ, voluptuariæ quando fiant utiles, 15. 3. 4. Tom. 3.
Quibus modis censeatur quid in rem patris versum, ut huic actioni locus sit, qua occasione casus quidam dubii recensentur, 15. 3. 5. Tom. 3.
Quibus in casibus cesset hæc actio; & in quibus differat ab actione de peculio, 15. 3. 6. Tom. 3.
Quid juris, circa actionem de in rem verso, si filiusfamilias pecuniam mutuatus sit ad vestem emendam, si pecunia perierit, & vestis tamen empta sit, 15. 3. 7. Tom. 3.

Vestibulum.

De vestibulo communi. Quid in eo possit vel non possit sociorum unus reliquis invitis, ubi de clivis faciendis, fenestris

stris aut januis aperiendis, & similibus: & an peti possit divisio vestibuli communis, uno invito, 8. 2. 18. Tom. 2.

Vestis.

Quæ veniant vestis appellatione, & quæ species ejus sint, 34. 2. 9. Tom. 5.
Quid sub *veste facta* contineatur, 34. 2. 1. Tom. 5.
Veste *virili* legata, an & muliebris debeatur, qua testator ut virili usus est. Et quid juris in stipulatione. Quædam aliquando ad vestem, aliquando ad ornamenta pertinent, 34. 2. 10. Tom. 5.
Quæ contineantur legato *vestis suæ*. An legata *veste*, vel *lana purpurea*, vel *iis*, *quæ uxoris causa parata*, debeantur empta post mortem testatoris. Quid intersit, si legentur, *quæ uxoris causa parata sunt*, *& parata erunt*. Quæ contineantur sub iis quæ *uxoris causa parata*. Legata *veste lugubri*, *aut nuptiali*, qualis debeatur, 34. 2. 11. Tom. 5.

Veterani.

De veteranis & missione militari, 49. 17. 1. Tom. 6.

Via publica.

Quæ sint viæ publicæ, privatæ, vicinales. Cui cedant fructus in viis publicis & vicinalibus nati. Quis in occursu vehiculorum, equitum, peditum, cedere debeat in via publica, 43. 7. 1. & 2. Tom. 6.

Vicesima.

An fructuarius ferre debeat ex nostris moribus onus vicesimæ, centesimæ, ducentesimæ &c. 7. 1. 38. Tom. 2.

Vidua.

Vidua retinet mariti prioris dignitatem, sic ut & in multis viri defuncti artificiis exercendis perseverare possit, 1. 9. 5. Tom. 1.
An & retineat stipendia, honoraria, marito ratione dignitatis præstari solita, 1. 9. 6. Tom. 1.
Viduæ concionatorum percipiunt annum gratiæ, quandoque & modicum stipendium, *ibid.*
Quid juris circa annum gratiæ, si concionator ad aliam vocatus ecclesiam moriatur, antequam in nova sit inauguratus, 1. 9. 7. Tom. 1.
Vidua ad alias nuptias transiens sequitur mariti secundi dignitatem: nec iterum vidua facta ad primi mariti aut natalium propriorum dignitatem redire potest, 1. 9. 8. Tom. 1.

Vindicatia & rei vindicatio.

Quid sit rei vindicatio. Quomodo olim alter alterum ex *jure manuum consertum* vocaverit vindicationis faciendæ causa, 6. 1. 2. Tom. 2.
